CURSUS PHILOSOPHICUS THOMISTICUS AD MENTEM DIVI THOMAE...

Digitized by Google

ONALE VITT. EMANUELE
2
E
117
P.VI.25*
Digitized by Google

185

14.18.2.37

Digitized by Google

CURSUS PHILOSOPHICUS THOMISTICUS

AD MENTEM DIVI THOMÆ Doctoris Angelici directus:

IN QVO

Philosophia universa ex ipsis planè fundamentis & principiis methodo hactenus arteque inusitatâ restauratur:

Conclusiones etiam singulæ ex principiis tribus expositis syllogisticè deductæ nervosè reducuntur:

ET PRO ELIDENDIS DIFFICULTATIBUS OBJECTIONES quælibet suis plenè instantiis evacuantur.

Cum Indice Quæstionum necessario.

AVCTORE

P. F. ALEXANDRO PINY,
Ordinis F F. Prædicatorum Sacræ Theologiæ Baccalaureo & Professore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TOMUS III.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud WILHEL. & FRANC. METTERNICH, Bibliopp.
An der hohen Schmidt / ANNO MDC. LXXXXIII.
Cum Privilegio Sac. & Cæs. Majestatis speciali.

Ex libris S.ti Mariæ in Campitello

12.31.E.11

INDEX

TOMI TERTII.

LIBER PRIMVS

De principijs intrinsecis entis, seu corporis mobilis, & naturalis; sive de materia & forma. Pag. 11

QUÆST. I. *Vtrum materia prima sit pura potentia Metaphysica, omnem omnino à se excludens actum Metaphysicum.* ibid.

Concluditur negativè. 14

Solvuntur objectiones. 16

Discutitur mens D. Thomæ. 21

Quæstiuncula utrum materia prima sit ingenerabilis, & incorruptibilis. 25

II. *Vtrum materia prima sit de se pura potentia Physica, per exclusionem omnis omnino existentiæ etiam partialis.* 28

Concluditur affirmativè. 30

Solvuntur objectiones. 33

Discutitur mens D. Thomæ. 43

Quæstiuncula utrum forma generanda habeat esse aliquod in materia inchoatum. 45

III. *Vtrum materia prima possit divinitus existere sine forma.* 49

Concluditur negativè. 51

Solvuntur objectiones. 53

Discutitur mens D. Thomæ. 59

Quæstiuncula utrum materia sub una existens forma, habeat appetitum ad alias. 60

IV. *Vtrum una & eadem materia pluribus informetur, vel informari possit formis sive totalibus, sive partialibus.* 65

Concluditur tam de facto quam de possibili negativè. 68

Solvuntur objectiones 68

Discutitur mens D. Thomæ. 76

Quæstiuncula in quo essentialiter consistat eductio, & quaenam educta fuerint, vel educantur formæ. 78

V. *Vtrum ad unionem materiæ cum forma intercedat nexus aliquis ab utraque realiter distinctus.* 84

Concluditur affirmativè. 85

Solvuntur objectiones. 89
Discutitur mens D. Thomæ. 97
Quæstiuncula utrum totum Physicum distinguatur à materia & forma unitim sumptis. 101
Corollarium per quid differant violentum & artificiale à naturali & in quo consistant. 107

LIBER SECUNDUS

De principiis entrinsecis entis naturalis, seu mobilis; sive de causa efficiente & finali. 112
QUÆST. I. *De necessitate præmotionis inter causam primam, & causam secundam.* ibid.
CAPUT I. *Vtrum Deus, sive causa prima physicè præmoveat causam secundam ad agendum.* 117
Concluditur affirmativè. 118
Solvuntur objectiones. 122
II. *Vtrum causa cui præfata deesset præmotio, esset adhuc verè & expeditè potens.* 126
Concluditur affirmativè. 127
Solvuntur objectiones. 129
III. *Vtrum præmotio concilietur cum libertate.* 132
Concluditur affirmativè. 133
Solvuntur objectiones. 137
IV. *Vtrum ex præmotione ad materiale peccati sequatur præmovere Deum ad formale.* 147
Concluditur negativè. 149
Solvuntur objectiones. 152
Discutitur mens D. Thomæ de præmotione. 155
QUÆST. II. *Vtrum causa efficiens sit per se ipsam, seu per substantialem formam immediatè operativa.* 158
Concluditur negativè. 159
Solvuntur objectiones. 161
Discutitur mens D. Thomæ. 168
III. *Vtrum idem numero effectus possit ab alia; & alia efficiente causa procedere, quæ sint ejusdem ordinis & totales.* 169
Concluditur negativè. 170
Solvuntur objectiones. 173
Discutitur mens D. Thomæ. 179
IV. *Vtrum efficiens causa, seu agens petat esse simul cum passo, an verò detur actio in distans.* 180
Concluditur negativè de actione in distans. ibid.
Solvuntur objectiones. 183

Discutitur mens D. Thomæ. 185
V. *Vtrum de ratione causæ instrumentalis Physicæ sit aliquid in se recipere à causa principali ad hoc ut agat.* 186
Concluditur negativè de virtute extrinsecè assistente, & de activa potentia obedientiali; non verò de virtuosa motione principalis causæ in instrumento intrinsecè recepta. 189
Solvuntur objectiones. 192
Discutitur mens D. Thomæ. 196
Quæstiuncula, utrum omne instrumentum physicum habere debeat virtute propria actionem aliquam dispositivè se habentem ad effectum principalis agentis. 198
VI. *Vtrum bonitas realis finis, an potius ejus apprehensio sit ratio formalis, sub qua finalizat.* 202
Concluditur affirmativè de bonitate realis finis. 204
Solvuntur objectiones. 206
Discutitur mens D. Thomæ. 210
Quæstiuncula utrum bruta agant formaliter propter finem. 212
Corollarium de casu, fortunâ & fato. 218

LIBER TERTIUS

Physica universalis, ubi de proprietatibus entis seu corporis mobilis in communi. 220
QUÆST. I. *Vtrum motus realiter distinguatur à termino ad quem.* ibid.
Concluditur affirmativè de distinctione reali modali. 222
Solvuntur objectiones. 225
Discutitur mens D. Thomæ. 227
Quæstiuncula quid requiratur ad unitatem numericam motus. 228
Corollarium in quo varia de motu expenduntur, & resolvuntur. 233.
II. *Vtrum componatur continuum ex partibus, an verò ex solis indivisibilibus.* 239
Concluditur negativè de solis indivisibilibus. 240
Solvuntur objectiones. 243
Discutitur mens D. Thomæ. 250
Quæstiuncula, utrum partes illæ quibus componitur continuum, debeant continuari & terminari per indivisibilia ab ipsis distincta. 251
III. *Vtrum possibile sit infinitum in actu.* 257
Concluditur negativè. 259
Solvuntur objectiones. 262
Discutitur mens D. Thomæ. 270

IV. *Vtrum unum & idem corpus possit esse circumscriptivè in duobus locis.* 272
Concluditur negativè etiam de potentia Dei absoluta. 275
Solvuntur objectiones. 278
Discutitur mens D. Thomæ. 283
Quæstiuncula, utrum detur, aut naturaliter dari possit vacuum in rerum natura. 284
Corollarium ubi varia de loco & vacuo expenduntur & resolvuntur. 287
QUÆST. ULTIMA: *Vtrum tempus sit & existat præsens, ratione partis divisibilis, an solum ratione instantis.* 292
Concluditur negativè. 294
Solvuntur objectiones. 296
Discutitur mens D. Thomæ. 300
Corollarium in quo varia de tempore & duratione expenduntur & resolvuntur. 301

DE PHYSICA PARTICULARI

In libros de mundo & cælo.

QUÆST. I. *VTRVM mundus potuerit esse ab æterno secundum entia permanentia.* 306
Solvuntur objectiones. 310
Quanam fuerit mens D. Thomæ circa præsentem difficultatem. 317
QUÆST. II. *Vtrum potuerit mundus esse ab æterno secundum entia successiva.* 318
Solvuntur objectiones. 321
Quanam fuerit mens D. Thomæ circa præsentem difficultatem. 325
QUÆST. III. *De mundo cœlesti, sive de natura, proprietatibus & efficientia cœlorum.* 329
Corollarium, de astrorum numero, figura, qualitatibus, maculis, eclipsibus, & astrologia judiciaria. 338
QUÆST. IV. *De mundo elementari, sive de elementorum numero, qualitatibus, & quiete in proprio loco.* 345
QUÆSTIUNCULA, *an qualitates elementares contrariæ possint se simul compati in eodem subjecto.* 353
COROLLARIUM, *de variis ad elementa in particulari pertinentibus.* 358

In libros de ortu & interitu.

QUÆST. I. *Vtrum in generatione & corruptione corporis naturalis fiat resolutio usque materiam primam.*
Solvuntur objectiones. 364
Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem. 379
QUÆSTIUNCULA. *quodnam sit subjectum generationis, tum ut est actio, tum ut est mutatio, tum ut passio est.* 380
Corollarium de generatione & corruptione viventium. 382
QUÆST. II. *De alteratione: utrum intensio qualitatum in alteratione fiat per additionem partialis qualitatis an vero per modum majoris radicationis.* 384
Solvuntur objectiones. 392
Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem. 399
QUÆST. III. *De actione & reactione; ubi de antiperistasi.* 407
QUÆST. IV. *De rarefactione & condensatione ad quid per se primo terminentur rarefactio & condensatio.* 410
Solvuntur objectiones. 415
QUÆST. V. *De mixtione, utrum elementa maneant formaliter in mixto.* 420
QUÆSTIUNCULA, *De mixti temperamento, utrum dabile sit temperamentum æquale ad pondus.* 426
Corollarium, de principiis mixti juxta doctrinam [illegible] 430
QUÆS[illegible]
Ap[illegible] *in libros meteorum.* 442

In libros de anima.

QUÆST. I. *De anima in communi; utrum in vivente sint* [illegible]
QUÆSTIUNCULA[illegible]
QUÆS[illegible]
QUÆS[illegible]
QUÆS[illegible]
QUÆSTIUNCULA, *quanatione sit dare potest realis distinctio potentiarum* 468

rum verbi gratia intellectus & voluntatis, cum distinctione solum rationis objectorum, puta veri & boni. 470

De anima vegetativa.

Præmittuntur faciliora. 472
QUÆSTIUNCULA I. *Vtrum nutritio & augmentatio sint motus continui & successivi.* 474
QUÆST. II. *Vtrum nutritio & augmentatio durent toto tempore vitæ,* 479

De anima sensitiva.

Præmittuntur faciliora. 482
QUÆSTIUNC. I. *Vtrum indigeant sensus speciebus intentionalibus seu impressis ad eliciendas sensationes.* 491
QUÆSTIUNC. II. *Vtrum sensus externi formen idolum seu speciem expressam, ut cognoscant.* 495
QUÆSTIUNC. III. *An & quot sint sensus interni, & qualiter distinguantur.* 498

De anima rationali.

Præmittuntur faciliora. 500
QUÆSTIUNC. I. *Vtrum una anima sit velesse possit intra eandem speciem substantialiter perfectior altera.* 505
QUÆSTIUNC. II. *Vtrum intellectus agens & intellectus patiens sint distincta realiter potentiæ.* 506

INTRODUCTIO AD PHYSICAM.

CUM universa Philosophia in rerum naturalium cognitione versetur, tum maxime hæc Philosophiæ pars, quæ propterea naturalis scientiæ sibi vendicat appellationem. Hæc enim naturam contemplatur, abditaque illius arcana scrutatur; ad imas terræ viscera mox se deprimit, mox ad æthereas cœlestesque plagas scipsam evehit; nihilque omnino cœlum inter & terram, quod non perlustret. Quia vero adæquatum ejus objectum est, ut dicemus, ens mobile, sive ens ex talibus conflatum & compositum intrinsecis & essentialibus principiis, ex quibus scilicet oritur motus sive mobilitas velut propria passio, ideo & in quatuor partes pars hæc Philosophiæ dividi solet, in quarum prima, quæ octo libros continet physicorum, agitur de ente mobili in communi; in reliquis vero tribus juxta tres species motus, localis scilicet, alterationis, & augmentationis, de tribus illis, eorumque subjectis agitur; unde secunda physicæ pars libros continet de Cœlo & Mundo, quibus proprius est motus localis, tertia vero pars continet libros de generatione, in quibus agitur de generabilibus & corruptibilibus, quibus proprie competit alterationis motus: ac denique pars quarta & ultima libros continet de anima; solum enim animatis & viventibus motus competit augmentationis. *Ordo doctrinæ.*

Quia igitur hæc physicæ pars prima, quam divi sit Aristoteles in octo libros tractat de ente mobili seu naturali in communi; & hoc ita in communi sumptum tria comprehendit, puta principia naturalia seu essentialia & intrinseca, ex quibus oritur mobilitas, *Divisio operis.*

bilitas, quæque sunt numero duo, materia & forma; tum principia extrinseca, quæ sunt causa efficiens & finalis; & demum ipsius entis mobilis proprietates, quæ sunt quantitas, unde redditur formaliter extensum per partes ab invicem separabiles, tum finitudo, locus connaturalis, duratio & principaliter ipse motus, nos propterea hanc physicæ partem in tres dividemus libros, in quorum primo de materia agemus, & de forma, quæ sunt principia præfati entis intrinseca, & rationem habent naturæ, ex quibus propterea rationem sortitur entis naturalis. In secundo autem agemus de causis, quæ sunt principia ejus extrinseca, tum de efficiente, ubi de physica præmotione, qua sibi causa prima subordinare debet causam secundam; tum de finali tandem in tertio tractabimus libro de motu ut sic & in communi, de continuo, de infinito, de loco, aliisque hujusmodi, quæ præfatas concernunt proprietates entis mobilis sive naturalis: porro ut ad graviora, quæ in his pertractabimus libris viam paremus, lubet hic aliqua præmittere de nomine, qualitate, objecto, atque principiis physicæ in genere, aliisque facilioribus, & notioribus, ut eorum adepta notitia non parum juvetur animus pro difficilioribus investigandis & perscrutandis. Igitur

Sciendum primò, physicæ nomen trahere à Græco φύσις quod naturam significat. Est enim scientia de rebus naturalibus, seu de corpore naturali ut sic: quia disputat de natura, causis, & proprietatibus corporis naturalis, sive in communi, quæ est Physica universalis; sive in particulari, quæ est Physica particularis; ut Physica de Mundo; de generatione & corruptione; tum de anima. Corpus autem hoc loco sumitur pro substantia corporea; diciturque corpus naturale, quatenus est compositum ex *naturis*: quod naturæ nomen, ut statim explicabimus tribuitur materiæ & formæ, quæ sunt partes seu principia intrinseca corporis naturalis. Notandum quoq; est, in hac Philosophiæ parte maxime obscurum esse Aristotelem; ideoq; suos physicorū libros vocat Acroamaticos, seu Auscultatorios & physicæ auditus; quod propter abstrusam & reconditā doctrinam quā continent, sola lectione aut privato studio comprehendi non possint; sed periti Interpretis operā exigant, attentissimosq; & studiosissimos auditores.

De objecto Physicæ. *Sciendum secundò*, quod quamvis ens mobile, quod assignant communiter Thomistæ pro physicæ objecto sit in re idē quod corpus mobile, substantia mobilis, & ens naturale, propterea quod non est nec dicitur ens mobile, nisi quia habet in se principium motus & quietis, & consequenter, nisi quia habeat in se naturam, quæ est tale principium, quæque constitutiva est corporis & substantiæ naturalis; nihilominus congruentius assignatur præfatum physicæ objectum per ens mobile quam per cor-

corpus aut substantiam mobilem seu naturalem : tum quia id quod assignatur pro objecto in scientia debet ad illam præsupponi ut quid notum, nec debet in illa probari ; atque ita cum connexio mobilitatis cum ente , & quod omne mobile sit ens, præsupponatur ad physicam ut quid notum, & nec in illa nec in alia probetur scientia, connexio autem mobilitatis cum corpore, seu quod omne mobile sit corpus non supponatur in Physica, ut quid notum, sed potius in illa probetur; dum scilicet in sexto libro Physicorum per id quod omnè mobile debet esse partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem* , demonstratur omne mobile debere esse divisibile, subindeque & corpus, consequenter fit, congruentius assignari objectum physicæ per ens mobile quam per substantiam, seu corpus mobile sive naturale; tum etiam quia objectum, sive subjectum scientiæ cujuslibet & sua propria passio convertí debent, seu dici ad convertentiam; nam sicut omnis homo est risibilis , ita & omne risibile est homo: Jam sic est quod mobile non convertitur cum substantia, seu corpore naturali seu mobili; quia licet omnis hujusmodi substantia & omne tale corpus sit mobile , non tamen omne mobile est substantia aut corpus, quia quantitas in Sacramento Altaris est mobilis, & tamen nec est substantia nec corpus: ergo nec substantia naturalis, seu mobilis , nec corpus mobile seu naturale dici debent objectum adæquatum physicæ , bene quidem ens mobile , de quo velut de suo objecto demonstrat Physica motum, tanquam præcipuam proprietatem.

Sciendum tertiò, Physicam esse vere scientiam , eamque speculativam, & primo quidem quod sit scientia ex eo patet, quia re vera est habitus certus & evidens per demonstrationem acquisitus; & in ea per propria principia motus diversæ de ente mobili passiones demonstrantur. Neque obstat, quod plura sint circa quæ versatur Physica , ut quod in omni vere sint tonitrua, & quod in omni hyeme sint frequentes pluviæ, & similia , quæ se aliter habere possunt ; cum tamen scire sit rem per causam cognoscere , & quod illius est causa , & quod aliter se habere non potest : non inquam id obstat ; quia [ut diximus *in Logica lib.* 3. ubi de scientia , quæ est demonstrationis effectus] non omnes scientiæ habere debent æqualem gradum certitudinis; sed sufficit ad rationem scientiæ, quod illud quod demonstrat regulariter saltem aliter se habere non possit; & sic saltem aliter se habere non possunt aliqua , quæ demonstrat Physica; licet quoad alia quæ etiam demonstrat; multo majorem habeat certitudinem. Est igitur Physica habitus verè scientificus , non tamen practicus sed speculativus, *An Physica sit scientia & quæ sit.*

rivus, quia agit de rebus naturalibus, quarum plures non sunt à nobis operabiles: quod si aliquæ habeant principia in nobis, de illis ac de omnibus aliis agit Physica, non quidem tradendo modum, quo fiant [quod requireretur ut esset habitus practicus] sed contemplando earum naturas, propriasque de illis passiones demonstrando, quod est proprium habitus speculativi.

Quod si Physica una specie scientia

Sciendum quartò, quod quamvis ea de quibus agit Physica, sint adeo diversa in esse entis, si tamen adhuc Physica una specie scientia ejusdem atomæ speciei, etiam quoad omnes suas partes, & prout ly *ens mobile*, de quo agit comprehendit & ea de quibus agitur in octo libris Physicorum, & in libris de cœlo, de generatione, & de anima; cujus ratio est, quia ut dictum fuit in Logica, unitas specifica scientiarum ab unitate objecti non in esse entis, sed formaliter in esse objecti, & sub certa abstractione à materia est desumenda; cum ita tantum scibile sit, in quantum abstrahit à materia: jam sic est quod objectum Physicæ quoad omnes suas partes, licet in esse entis sit in pluribus omnino diversum, in esse tamen objecti est ejusdem atomæ speciei; sub eadem enim omnino consideratur abstractione à materia, ut abstrahens videlicet à materia singulari, & concernens materiam sensibilem: ergo Physica quoad omnes suas partes est una specie scientia unitate speciei atomæ. Ideo quod Physica quoad omnes suas partes, & quoad omnia sua partialia, quæ attingit objecta, eisdem prorsus utitur principiis, scilicet eodem principio radicali cujuslibet motus; cum omnis passio, quam Physica de quovis suo partiali objecto demonstrat, sit aliqua mobilitas proxima ad aliquem motum vel mutationem Physicam ordinata; & omnis hujusmodi mobilitas proxima sive ad motum accidentalem sive ad mutationem Physicam substantialem radicetur in substantia materiali, illaque proinde dicatur ens mobile radicaliter, quatenus est radix omnis talis mobilitatis proximæ ad motum vel mutationem Physicam ordinatæ; ergo cum & ex unitate principii desumatur unitas specifica scientiæ sicut & objecti in esse objecti, evidenter sequitur, esse Physicam quoad omnes suas partes unam specie scientiam unitate speciei atomæ.

Nota.

De hoc vocabulo natura.

Sciendum 5. variam esse hujus vocabuli *natura* significationem. Et quidem sumitur multoties pro essentia rei cujuscumque; qualis dicitur natura Angelica, humana, equina, ignea, &c. Tum pro universitate rerum, pro collectione causarum naturalium, pro rerum temperamento proprio, viribusque agendi propriis. Verum hoc loco sumitur tantum pro primo ac radicali prin-

principio earum operationum aut proprietatum, quæ sunt in substantia corporea completa, ut in homine, in equo, in igne, &c. sic forma substantialis, per quam constituitur lapis in esse lapidis, est principium emanativum illarum proprietatum & qualitatum, quæ reperiuntur in lapide; quo etiam pacto est principium illius gravitatis & motus, per quem deorsum tendit. Ita in animali anima est principium *activum* earum operationum quas exercet; ut enim vegetativa est, dicitur principium nutritionis & augmentationis: ut sensitiva vero dicitur principium sensationum, tam internarum, puta imaginationis, quam externarum, puta auditionis, visionis, &c. Item sic est principium motus progressivi, motuum appetitus sensitivi, ut amoris, odii, tristitiæ, gaudii, &c. Et rid o quia anima sive forma est ita principium naturale, activum, scilicet ujusmodi motuum sive mutationum physicarum induit. tionem naturæ, sumptâ hy *naturâ*, ut sumitur & consideratur in Physica & a Physico. Attendum forma sed & ipsa materia rationem h b naturæ; cum illa sit similiter principium radicale, non quidem activum ut forma, sed *passivum* multarum operationum, aut motuum, qui in ea recipiuntur, aut saltem sine qua non forbent ut nutritio & augmentatio, aliaque id genus, quæ propria sunt corporum animato.ũ.

Scien dum 6. naturam juxta hanc acceptionem definisse Aristotelem: *Principium & causam primò & per se, & non secundum accidens, motus & quietis ejus in quo est*, seu corporis illius, quod constituit & in quo includitur ipsa natura. Pro ujus definitionis declaratione notandum est primò, quod *motus* hic non sumitur tantum pro motu proprie dicto, qualis est motus local, aut motus intensionis, vel augmentationis, sed etiam pro motu emanationis, unde proceduat proprietates physicæ ab essentia, quæ scilicet arguunt in ea mutationem aliquam physicam; Item & pro illo genere mutationis, quam secum afferunt novæ actiones ortæ ab ejusmodi principio intrinseco; ut diximus supra de nutritione, de sensatione & aliis hujusmodi; sit autem in hac definitione sermo de motu simul & de quiete; quod tamen intelligi debet in sensu disiunctivo; ita quod natura dicatur principium, vel motus in iis quæ moventur vel quietis in iis maxime, quæ acquisito termino, in ipso positive consistunt: quomodo lapis hæret proprio in loco, sistendo etiam motui contrario. Definit autem Aristoteles naturam principium & *causam*, in quo quidem differt à privatione, quam statim ostendemus, esse quidem principium, non autem causam. Tandem definitur natura principium *primò & per se, & non secundũ acci-*

De definitione naturæ ex Aristotele.

accidens; ut hoc pacto significentur materia & forma substantialis, quæ sunt prima, intrinseca & radicalia principia illius motus. Quod non convenit potentiis accidentalibus, v.g. gravitati aut levitati, à quibus oritur quidem proximè motus, sed non *primo & radicaliter*, nec sunt in corpore naturali seu mobili, ut partes ejus substantiales, sed tantum *secundum accidens*. Ita etiã ubi medicus per artem sibi propriam seipsum sanat, ars illa non est, nisi secundum accidens principium sanitatis in ipso Medico: neque enim ars illa in nobis est, nisi ut forma accidentalis.

De substantia corporea

Sciendum 7. substantiam corpoream, quæ considerandæ venit in Physica, quæq; dici solet corpus naturale, in eo differre maximè à substantia immateriali, qualis est Angelus, quod illa sit cõposita ex substantiis partialibus, quæ totalem ejus essentiam cõstituant; quarum altera dicitur *materia prima*, altera autem *forma substantialis*. Sic homo constat ex materia, tum ex anima rationali, tanquam ex forma, quæ dat illi esse hominis, estq; principium facultatum atque operationum, quæ sunt hominis propriæ. Enim vero ubi homo interiit, facta animæ separatione à corpore, tunc manifestè deprehenditur, quemadmodũ anima prius cũ corpore ipsam hominis essentiam totalem constituerat. Idemq; istud patet ex quavis alia corruptione & transmutatione substantiali: ut quando lignum in ignem convertitur, perituque esse ligni; tunc enim necesse est, ut aliquid substantiale ipsius ligni remaneat, ne dicatur lignum prorsus annihilari, & consequenter ignis produci ex nihilo: illud autem quod remanet, semperque in eo casu perseverat, incorruptibiliter vocatur *materia prima*, ut jam dixi, perituque tantum ipsi adjuncta pars substantialis, quam *formam substantialem* nominant, quæ constituebat ly *esse ligni*, eratque principium earum omnium proprietatum quæ consequuntur esse ligni; ajuntque materiam & formam illam esse principia intrinseca, seu partes compositivas ligni: quo pacto etiam corpus & anima rationalis sunt principia intrinseca, seu partes ex quibus constat homo quod perinde statuendum est de quavis alia substantia corporea. Jam vero pro declaratione hujusmodi principiorum

De principiis Physicæ

Sciendum 8. principium aliquando idem esse ac initium rei alicujus, aliquando vero significare id vel unde res est, vel unde res fit, vel unde cognoscitur. Quapropter alia dicuntur *principia cognitionis*; Illæ nimirum propositiones, quæ sunt primò & per se notæ, ex quibus soleat inferri per discursum multæ aliæ cognitiones, ut notavimus in introductione ad Metaphysicam. Alia autem sunt principia rei: sic maximè causa omnis, utpote dans esse rei vocatur ejus principium; & hoc est quod intelligendum

venit

venit in Physica sub nomine principii entis sive corporis naturalis & mobilis. Quo pacto ex principiis alia sunt *intrinseca*, alia vero *extrinseca* principia extrinseca dicuntur ea, quæ sunt extra rem principiatam; id est quæ non sunt partes ipsius compositivæ. Ita finis propter quem res esse aut fieri intelligitur, est principium illi extrinsecum. Ita & causa efficiens, à qua per veram productionem procedit effectus, ut suo loco fusius explicabitur. Principia vero intrinseca entis seu corporis naturalis, sunt partes illud ut totum componentes, ac proinde intra ipsum inclusæ, solentque etiam appellari *elementa compositi*.

Quod sint principia compositionis.

Sciendum 9. Quod ubi sermo est de principiis intrinsecis compositionis entis, sive corporis physici hæc in doctrina, quam amplectimur, Aristotelis sunt duo, materia scilicet & forma substantialis; propterea quod sunt partes essentiales, ex quibus constat; illisque convenit definitio principiorum, *ex 1. Phys. Principia sunt, ex quibus primò & per se, non per accidens res naturales constituuntur.* Item: *Quæ neque ex se se, neque ex aliis, sed ex ipsis omnia fiunt*; eo nimirum sensu, quod omnia corpora naturalia fiant ex materia & forma substantiali: nec materia illa & forma fiant, seu componantur ex se invicem, id est, non habeant aliam aut materiam aut formam sui constitutivam: alioquin fieret processus infinitus; unde notandum est contra antiquos, non esse unicum dumtaxat rerum omnium principium constitutivum, seu compositivum, puta ignem, aut aquam, &c. Quia sequeretur inde, nullam esse inter corpora naturalia diversitatem essentialem: neque vero etiam ex uno v.g. igne, aut ex alio pariter elemento proditent tam diversæ operationes & proprietates. Quod autem non plura sint præfata principia compositiva, quam duo allata, ex eo patet, quod duo sufficiunt; nec alia assignari possunt; unde merito ab Aristotele rejiciuntur veteres, qui principia alia, imo & infinita statuebant. Quo modo Epicurei docebant omnia constare ex atomis undequaque fortuito occurrentibus; sicque adversabantur doctrinæ de providentia Numinis.

Nota.

Quot sint principia generationis

Sciendum 10 quod si sermo fiat de principiis intrinsecis non compositionis, sed generationis corporis physici, in quantum scilicet generatio est transmutatio quædam substantialis, qua ipsa transmutatur materia prima, quasi transeundo à nõ esse formæ alicujus substantialis, ad esse illius, tunc principia ejus intrinseca sunt tria, puta materia prima tanquã subjectũ; deinde forma ipsa substantialis, ut terminus ad quẽ; ac demiq; privatio sive non esse formæ in materia jã disposita, ut terminus a quo. Cujus ratio est quia illa dicũtur principia rei alicujus interna, sine quibus intelligi aut definiri nõ potest, utper se patet: jã si. est quod sine illistri

bus generatio naturalis definiri aut explicari non potest, quatenus rationem habet transitus seu transmutationis, sub qua ratione in præsenti consideratur: primo enim debet esse subjectum quod transit secundo terminus à quo fit transitus; & tertio denique terminus ad quem fiat. nam & iste est terminus a quo specificatur generatio, siquidem ex eo generatio dicitur, vel humana, vel equina, quæ terminatur ad formã vel humanam vel equinam. Notandum autem, quod nequ hic agitur, nisi de generatione quæ fiat viâ naturali, id est, materiâ jam præexistente sub forma, & quæ disponatur ad formam novam. Aliquando creatur cælum v.g. privatio in eo casu locum non habet: sic autem sumpta generatione dicitur tunc privatio in ea principiare per se; quia per se intelligi non potest generatio illa sine privatione ut termino à quo; & ex hoc exoritur forma præcedens à ratione principii intrinseci, sive per se generationis; siquidem per accidens est v.g. igni, quod generetur ex materia præexistente sub forma ligni: cum generari possit ex materia sub aliis formis præexistente. At per se est, quod fiat ex *non esse ignis*.

Quomodo & quomodonam principiet privatio.

Sciendum 11. quod quamvis non principiet nec principiare possit privatio realiter positivè, non tamen propterea excludi debet à numero principiorum entis realis, neque propterea dici debet solum principiare per rationem, quia & principiat negativè nemine cogitante; & itanon solum principiat per rationem; & principians solum negativè est nihilominus terminus à quo ipsius corporis naturalis in fieri, subindeque & est principium entis realis: Quandonam vero dici debeat principiare, dico ipsam principiare in instanti generationis per sui desitionem seu desinendo, vel per primum non esse sui; unde non est dicenda principiare, quando non est absolutè; alioquin pariter dicerur posse principiare etiam quando corpus est in facto esse, cum tunc absolutè non sit; sed est dicenda principiare quando non est desinendo, seu quando primo non est.

De causis.

Sciendum 12. causam ut sic esse principium per se dans esse alteri realiter & natura à se distincto: ut quando lumen aut calor procedunt ab igne: vel quando materia & forma permutuam sui communicationem dant esse corpori naturali, ab illis realiter & distributivè sumptis realiter distincto; ex qua quidem definitione colligitur, privationem, quamvis sit principium generationis, non esse tamen illius causam; cum enim sit non ens, sive non esse formæ, alteri dare esse non potest. Item conditiones ad agendũ non sunt causæ, quia non dant esse. Item Pater æternus dans esse Filio quem generat, non est propriè illius causa quia non habet

neq

nec communicat distinctum esse naturæ. Notandum autem, quatuor has vulgò enumerari causas. Primo est *efficiens*, quæ definiri solet principium, unde res est, seu à quo proxime fit effectus; nequit ullus est effectus sine causa ipsius productiva. Secundo est causa *finalis*, propter quam est aut fit. Sic enim verbi gratia sanitas acquirenda est causa aut medicinæ aut deambulationis: præterea verò si effectus est quid compositum ex partibus, habet illas partes tanquam sui causas intrinsecas, a quibus esse accipit: ita corporis naturalis causæ intrinsecæ dicuntur materia prima & forma substantialis. Atque hoc quidem pacto materia dicitur principium ex quo subinexistente fit corpus naturale: forma autem est principium ex quo inexistente fit corpus naturale, & constituitur in esse talis speciei completæ.

Quæ sint diversa in causa.

Scient. 13. Hæc distinguenda esse in omni causa; nempe entitatem ipsius causæ; tum virtutem causandi; item conditiones ad causandum actu; ac denique ipsam causalitatem: entitas causæ est res ipsa quæ dat esse alteri: virtus causandi est ratio; unde res potest dare esse alteri; ut in igne vis productiva alterius ignis, & sic de aliis agentibus. In fine verò virtus causandi est bonitas per quam movet ad sui prosecutionem. In materia, est ratio potentiæ passivæ unde formam in se recipiat, & eadem in forma est ratio actus, unde materiam actuare possit. Conditio autem ad causandum est id sine quo causa suam causalitatem exercere non potest, licet in illam causalitatem, nihil influat: sic præsentia intima est conditio sine qua forma non informet materiam. Ita in causa efficiente conditiones ad agendum sunt distinctio agentis & passi; tum dissimilitudo inadæquatia, proportio majoris inæqualitatis, seu excessus virtutis activæ supra resistentiam passi &c. denique causalitas est id quo posito, causa intelligitur causans actu; vel, si lubet, est influxus actualis in rem causatam, sic actio est causalitas causæ agentis seu efficientis, in fine verò est *finalizatio*; in materia *materializatio*, sive ipsa receptio formæ; & in forma est *informatio*; quare duobus modis considerari potest quælibet causa: primo quatenus causare potest, tunc que appellatur *causa in actu primo*; secundò verò quatenus actu causans & exercens per suam causalitatem virtutem suam causativam, & tunc dicitur *causa in actu secundo.*

De priorite causarum ad effectū.

Sciendum 14. Omnem causam in eo formaliter, quod actualiter causa est, esse naturâ priorem suo effectu. Pro quo est advertendum, quod causa potest tripliciter accipi, vel materialiter pro ipsa re quæ est causa, & hoc modo aliquæ causæ possunt pri-

oritate temporis antecedere effectus, licet talis prioritas ad rationem causæ non requiratur, vel prout dicit formaliter relationem prædicamentalem ad effectum, & hoc modo est simul naturâ cum ipso effectu; quia scilicet relativa prædicamentalia sunt simul natura & cognitione; vel tandem potest accipi causa formaliter prout actu causans, & prout tali causatione fundat relationem ipsius causæ ad effectum, & prout sic sumitur causa. Dicimus quod debet esse prior naturâ suo effectu, utpote quæ ita & taliter sumpta habet esse formaliter id, à quo pendet effectus, in qua quidem dependentia stabiliri solet prioritas & posterioritas naturæ. Unde causa reduplicativè ut causa non dicit relationem ad effectum, alias dici non posset prior, sed solum importat connexionem, quæ quidem connexio cum reperiatur inter prius & posterius, æque ac inter ea quæ sunt simul, non impedit quominus causa reduplicativè ut causa dici possit prior.

De definitione causæ efficientis.

Sciendum 15. Definiri ab Aristotele causam efficientem, *principium, unde primo incipit motus*; quæ quidem definitio sic est intelligenda, ita quod causa efficiens sit, à qua absolutè primò, id est priusquam à qualibet alia ex causis secundis & creatis, incipit in executione motus. Licet enim influxus causæ finalis, qui est omnium primus ordinetur per se ad executionem, ipse tamen executionis motus, seu ipsa executio incipit à causa efficienti: quia enim efficiens agit, materia recipit formam, & forma actuat materiam, & finis intentus ponitur in executione. Quod autem dicatur natura, subindeque & causa materialis & formalis quibus competit ratio naturæ *principium primum motus*, non propterea id obest præfatæ definitioni: natura enim non cujuslibet motus est primum principium, sed determinatè motus ejus in quo est; cum tamen de ratione & quidditate causæ efficientis solum sit, quod ab illa primò incipiat motus, sive in ipsa causa efficienti, sive in alio extrinseco subjecto.

De divisionibus causæ efficientis.

Sciendum 16. Circa divisiones causæ efficientis, hanc primò dividi in increatam, & creatam, dividitur secundò in universalem & particularem. universalis est, quæ est superior ad aliquas saltem particulares, concurrendo ad proprios eorum effectus; sic Deus, sicut & sol dicitur concurrere ad productionem equi cum equo &c. Causa vero particularis est ea, quæ certos quosdam effectus propriæ virtuti respondentes, sola per se attingit, non autem cum aliis causis subordinatis; & ita sol ipse dicitur producere lumen suum tanquam causa particularis. Tertiò dividitur causa efficiens in univocam, & æquivocam; univoca est quæ attingit effectus ejusdem naturæ & speciei, qualis est equus respectu

ctu equi; æquivoca vero quæ est diversæ naturæ à suis effectibus, ut Deus &c. dividitur quarto in Physicam & Moralem. Physica est quæ per suam agendi virtutem naturalem attingit effectum; ut Petrus loquens, currens, disputans, alium percutiens &c. causa autem moralis dicitur ea, quæ vel orando vel consulendo, vel invitando movet causam physicè effectivam ad suum præstandum effectum, qui propterea & morali causæ imputatur. Item dividitur causa efficiens in naturalem & artificialem; artificialis est ea, quæ agit ex idea operis faciendi, & juxta præcepta quædam: naturalis autem agit sine hujusmodi cognitione aut idea, ut quando sol producit effectus.

LIBER I.

De principiis intrinsecis entis seu corporis mobilis & naturalis, sive de materia & forma.

ACturi in secundo hujus Physicæ universalis libro de principiis extrinsecis entis, seu corporis mobilis & naturalis, quæ sunt causa efficiens & causa finalis; & disputaturi in tertio de proprietatibus ejusdem entis seu corporis mobilis sumpti semper ut sic & in communi, in hoc propterea hujus primæ partis Physicæ, seu physicæ universalis libro agendum nobis est de principiis intrinsecis ejusdem entis seu corporis, quæ sunt, ut supra notavimus numero duo, materia scilicet & forma, de quibus sit

QUÆTIO I.

Utrum materia prima sit pura potentia Metaphysica, omnem omnino à se excludens actum Metaphysicum.

PRæmittendum primò, Pro declaratione naturæ & quidditatis materiæ, quod materia prima est substantia incompleta seu partialis, quæ formam substantialem in se tanquam in subjecto reci-

recipiens, cum ea constituit corpus naturale; ut puta hominem, equum, arborem, lapidem, ignem, terram, solem &c. duplex autem hujus materiæ deducitur & colligitur definitio ex dictis in doctrina Aristotelis; quarum altera est *negativa*, altera autem *affirmativa*; negativa est, quæ naturam materiæ primæ explicat per negationes; ut cum ait materiam ex qua fit, verbi gratia, homo, equus, lapis, &c. *non est quid* id est non esse hominem, equum, lapidem, aliaque id genus corpora naturalia, quæ sola propriè & simpliciter appellantur *quid*; quia habent quidditatem seu essentiam completam. Item ait, de se illam *non esse aut quantam, aut qualem, sed tantum in potentia aut ad quantitatem, aut ad qualitatem, aliaque accidentia*, quibus denominantur aut quanta, aut quales, &c. Porrò quamvis ex hac definitione negativa nequeat materia perfectè cognosci secundum id quod est positivè, nihilominus aliqua ratione cognoscitur, ut etiam notat D. Augustinus, & cognosci potest; nam & ipse Deus a nobis cognoscitur via negationis, cum asserimus eum non esse corporeum, finitum &c.

Affirmativa autem ejusdem definitio naturam explicat materiæ primæ secundum id quod est positivè; & juxta hanc dicitur materia prima *subjectum primum quo per se & non per accidens fit corpus naturale*. Nam est ejus pars substantialis, & ea quidem subjectiva, quia corpus naturale non constituit, nisi per modum subjecti recipientis in se formam substantialem. Additque Aristoteles, *esse illud ultimum in quod abit corpus naturale dum corrumpitur*; nam verbi gratia, ubi lignum in ignem transmutatur, nihil ex ligno remanet, nisi materia prima. Porro dicitur & dicetur in sequentibus materia *prima*, addendum illam hoc loco accipi & considerari nudè & præcisè tantum secundum propriam entitatem, juxta quam acceptionem dici solet, & debet materia prima; alioqui, si consideretur ut affecta est certis dispositionibus in ordine ad formam aliquam in se recipiendam, vocari solet *materia secunda*, de hac ergo materia prima, sumpta scilicet præcisè secundum propriam entitatem inquiritur hoc loco, & inquiri solet pro ejus investiganda quidditate, an sicut est pura potentia physica, nullum ex se includens actum physicum, ut ostendemus infra; nec formalem, qualis est forma substantialis, nec actum physicum existentiæ vel subsistentiæ, ita & similiter sit pura potentia metaphysica, an vero proprium habeat actum metaphysicum, quem addat supra rationem communem substantiæ, & per quem in suo esse essentiali constituatur, & à forma & à quolibet alio essentialiter distinguatur.

Pro-

Præmittendum secundò Pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii erga conclusionem inferendam, puta quod *omne ens compositum sive physicum sive metaphysicum includit potentiam & actum*: quod *omnis positiva unitas est actus metaphysicus in ente cujus est unitas*: quod *intelligibilitas rationem habet actus metaphysici*. Ratio autem primi est quia cum omne compositum, sive Physicum sive metaphysicum, ad differentiam entis sive naturæ simplicis, fit unum quid ex duobus exurgens, & ex illis tantum duobus possit fieri & exurgere quid unum, quæ se habent ad modum partis: partes enim hoc ipso quod tales, sunt alicujus unius partes, consequenter fit, quod in omni natura sive physicè sive metaphysicè composita reperiantur & includantur duo se habentia ad modum partis & compartis: jam sic est quod actus solummodo, & potentia correspondens se habere possunt ad modum partium alicujus naturæ; ex eo scilicet quod illa tantum sunt essentialiter incompleta, in quantum actus ex conceptu suo essentiali non nisi alicujus potentiæ est actus, & potentia ex conceptu similiter essentiali est alicujus actus potentia: ergo vera prima est prima illa propositio, quod scilicet in omni ente sive physico, sive metaphysicè composito includuntur & actus & potentia.

Quantum verò ad secundum, puta quod omnis positiva unitas est actus metaphysicus in ente cujus est unitas, ratio hujus est quia unitas se habet ad ens cujus est unitas velut efficiens, velut denominans, velut derivans subindeque & quasi educta; velut id quod se habet *ut quo* ad id quod se habet *ut quod*, velut abstractum ad concretum, quæ omnia sunt propria munera formæ sive actus formalis; ut per se patet: sed habet præterea unitas, quod sit metaphysicum quid; cum consequatur ad ens, quod est objectum Metaphysicæ, subindeque & cadat sub consideratione Metaphysicæ: ergo omnis positiva unitas est actus metaphysicus in ente, cujus est unitas.

Tandem quantum ad tertium, nimirum quod intelligibilitas rationem habet actus metaphysici, ratio hujus est, quia intelligibilitas, præsertim in substantia non est, nisi de conceptu secundario; cum per se respiciat extrinsecum quid puta intellectum, nec possit subsistentia, cum sit ens completum & abiolutum, per se respicere secundum primarium sui conceptum aliquid extrinsecum, ad differentiam accidentis; est igitur intelligibilitas de conceptu tantum secundario rei: ergo intelligibilitas

tas superadvenit rei, sive se habet quasi superadveniens ; jam sic est, quod omne quod superadvenit rei habet rationem actus ; cum se habeat hoc ipso ad modum quasi informantis & receptibilis ; & res cui superadvenit, se habeat quasi receptivum : ergo intelligibilitas habet rationem actus respectu illius, cujus est intelligibilitas ; sed habere non potest rationem actus physici ; tum quia solum virtualiter distinguitur à re cujus est actus ; tum quia cadit sub consideratione Metaphysicæ ; cum fundetur supra ipsum ens quod est ipsum objectum Metaphysicæ : ergo intelligibilitas rationem habet actus metaphysici. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit

Conclusio : *materia prima non est pura potentia metaphysica ; sed habet ex se & secundum se sumpta actum metaphysicum.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio : *omne ens compositum, sive physicè sive metaphysicè includit potentiam & actum* : ergo materia prima non est pura potentia metaphysica, sed actum includit metaphysicum. *Probatur consequentia* : materia prima est metaphysicè composita : ergo hoc ipso quod omne compositum sive metaphysicum sive physicum includit potentiam & actum ; includit hoc ipso materia actum metaphysicum. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens* : vel est materia prima metaphysicè composita vel metaphysicè loquendo, solum componens : sed metaphysicè loquendo non est materia prima componens : ergo debet esse materia prima metaphysicè composita. *Major* est evidens ; cum enim supponatur in materia potentia metaphysica, & potentia sit quid concurrens ad compositionem, evidenter sequitur, esse debere materiam primam vel metaphysicè compositam vel Metaphysicè componentem. *Prob. Minor* : si esset materia prima metaphysicè loquendo solum componens, esset aliud à materia assignabile, cum quo componeret metaphysicè : sed non est assignabile aliud quid, cum quo ipsa materia componat metaphysicè : ergo non est materia metaphysicè loquendo solum componens. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* : non aliud est assignabile extremum, cum quo ipsa materia secundum se sumpta componat, quam forma ; ut per se patet. cum secundum se sumpta sit solum correlativa aut quasi correlativa ad formam : sed non potest materia sumpta cum forma componere Metaphysicè ; cum compositum ex illis exurgens sit propriè compositum physicum, ergo

non

non est aliud quid assignabile, cum quo ipsa materia componat Metaphysicè: ergo non est materia, metaphysicè loquendo, solum componens: ergo est materia Metaphysicè composita: ergo hoc ipso quod omne compositum sive physicum sive metaphysicum includit potentiam & actum [quod est primum præmissum principium] includit hoc ipso materia prima actum metaphysicum, nec dici potest pura potentia metaphysica.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio: *omnis positiva unitas est actus metaphysicus in ente, cujus est unitas*: ergo materia prima secundum se sumpta actum habet metaphysicum. *Probatur consequentia*: habet materia prima secundum se & ut præscindens à forma unitatem positivam: ergo hoc ipso quod omnis positiva unitas est actus metaphysicus in ente, cujus est unitas, habet hoc ipso materia prima actum metaphysicum secundum se sumpta. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: unitas positiva est attributum transcendentale omnis & cujuscumque positivæ entitatis: sed materia prima secundum se & quasi antecedenter ad formam aliquid importat positivum: ergo habet materia prima secundum se & quasi seorsim à forma unitatem positivam. *Major* est certissima; & rationem ejus assignat D. Thomas *in 1. part. quæst. 11. art. 1. ad primum*, ubi hæc habet: quælibet res est una per suam substantiam; si enim per aliquid aliud esset una, cum illud iterum sit unum, sic esset unum per aliquid aliud, & ita abiret in infinitum: unde standum est in primo. Hæc D. Thomas, ex quibus evidenter sequitur, id quo quævis positiva entitas est unum, esse quid transcendentaliter imbibitum & identificatum cum entitate cujus est unitas. *Probatur Minor*: materia prima secundum se, & quasi antecedenter ad formam, capacitatem habet ad omnes seu plures formas; sed capacitas illa est positivum quid: ergo materia prima secundum se & quasi antecedenter ad formam est positiva entitas. *Major* per se patet. *Probatur Minor*: privatio quam habet materia prima secundum se diversarum formarum fundatur super ejus capacitatem; est enim privatio carentia formæ in subjecto capaci: sed id supra quod fundatur privatio esse debet quid positivum; quis enim dicet vel intelliget fundari privationes super aliquid privativum vel negativum: ergo capacitas illa materiæ ad omnes seu plures formas est positiva: ergo materia secundum se & quasi antecedenter ad formam est positivum quid seu positiva entitas: ergo materia secundum se & seorsim à forma unitatem habet positivam: ergo hoc ipso quod omnis positiva unitas est actus metaphysicus in ente cujus est unitas

(quod

[quod est secundum præmissum principium] habet hoc ipso materia prima secundum se sumpta actum metaphysicum.

Probatur: Ex tertio præmisso principio: *intelligibilitas entis rationem habet actus metaphysici*: ergo materia prima secundum se & ut condistincta a forma actum habet metaphysicum. *Probatur consequentia*: habet materia prima secundum se intelligibilitatem distinctam à forma: ergo hoc ipso quod intelligibilitas rationem habet actus Metaphysici, habet materia prima secundum se & ut condistincta à forma actum metaphysicum. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: habet materia prima secundum se proprium distinctivum à forma; sed proprium illud distinctivum est intelligibile: ergo habet materia secundum se intelligibilitat- m distinctam à forma *Major* est evidens. *Probatur Minor*: ab actu ad potentiam valet consequentia: sed propriissimum materiæ, quod à forma distinguitur actu & de facto percipitur & consideratur ab intellectu, ut patet in d finitivo conceptu quem supra adduximus de materia: ergo propriissimum illius materiæ, quod à forma distinguitur est intelligibile: ergo habet materia prima secundum se intelligibilitatem distinctam à forma: ergo hoc ipso quod intelligibilitas rationem habet actus metaphysici [quod est tertium præmissum principium] habet hoc ipso materia prima actum metaphysicum secundum se & sumpta seorsim à forma.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia fundamenta in solutionibus objectorum.

Objicies 1. Dari potest ens quod sit omnino pura potentia; sed illud non aliud esset quam materia prima: ergo materia prima est de facto pura potentia. *Minor* patet: nihil enim dabile est, cui potentialitas sit magis essentialis, quam ipsi materiæ primæ. *Probatur Major*: dari potest ens, quod sit omnino pura potentia, si cum hoc quod esset ita pura potentia, esset adhuc ens: sed cum hoc quod esset ita pura potentia, staret adhuc, quod esset ens: ergo dari potest ens, quod sit omnino pura potentia, *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: receptivum entis non potest non esse ens; sed cum hoc quod aliquid esset omnino pura potentia, adhuc esset receptivum, cum hoc sit proprium potentiæ: ergo cum hoc quod esset ita pura potentia, adhuc esset ens.

Respondeo primò, Negando Majorem: omne enim ens, hoc ipso quod ens est, secum affert intelligibilitatem tanquam attributum ad ipsum consequens & ei quasi superadveniens; atque ita

ita cùm talis intelligibilitas ita superadveniens habeat rationem actus, & cadat aliunde sub consideratione Metaphysicæ, negandum est per consequens, dari posse ens, quòd sit omnino pura potentia per exclusionem omnis omnino actus metaphysici. Dico autem *per exclusionem omnis omnino actus metaphysici*; fateor siquidem dari posse ens, quòd sit potentia etiam metaphysica, per exclusionem certi alicujus actus metaphysici; & talis est, verbi gratia, conceptus communis substantiæ in materia vel in forma, qui quidem excludit à se conceptum substantiæ talis, materialis scilicet vel formalis; attamen conceptus ille non propterea dici potest omnino pura potentia metaphysica, cum non propterea excludat omnem omnino actum metaphysicum, sed adhuc importet intelligibilitatem, quam non excludit, sed implicitè saltem includit & imbibit. Unde juxta hanc doctrinam neganda est minor tum secundi, tum tertii argumenti: cùm enim intelligibilitas nedum reipsâ, sed etiam conceptibiliter loquendo, comitetur inseparabiliter omne ens; hoc ipso per consequens, quòd de aliquo negatur intelligibilitas, negari debet & ratio entis: jam sic est: quòd si aliquid esset omnino pura potentia per exclusionem omnis omnino actus metaphysici, tunc ab eo excluderetur intelligibilitas, quæ est actus quidam metaphysicus: ergo si aliquid esset omnino pura potentia per exclusionem omnis omnino actus metaphysici, cùm hoc stare non posset, quòd esset ens, nec consequenter receptivum entis. *Nota.*

Respondeo 2. Distinguendo majorem sic: dari potest ens, quod sit omnino pura potentia, si sermo sit de ente, quòd esse possit, metaphysicè loquendo, solum componens *transeat*; propterea quòd, cùm una ex partibus componentibus metaphysicè sit potentia, & altera sit actus, & una alteram excludat, consequenter fit, quòd ens, quod esse potest pars metaphysicè componens, possit esse pura potentia per exclusionem actus metaphysici: si verò sermo sit de quocumque alio ente, quod esse non possit pars metaphysicè componens, nego, quod ens, quod non est, tale esse possit pura potentia per exclusionem actus metaphysici; ex eo scilicet, quod omne aliud ens, quod non est metaphysicè componens, esse debet metaphysicè compositum, cum supponatur ens metaphysicum creatum, quod quidem vel est compositum vel componens; atque ita cum esse non possit compositum metaphysicè sine actu metaphysico, consequenter fit, quod omne aliud ens, quod non est metaphysicè componens, debeat includere actum metaphysicum, *Nota.*

non autem esse possit pura potentia metaphysica: cum igitur materia prima non sit ens metaphysicè componens; ex eó scilicet quod id, cum quo materia est componens, est ipsa forma, cum qua componit physicè, non metaphysicè, evidenter sequitur, esse debere metaphysicè compositam, proindeque & in se habere actum metaphysicum. Dixi autem supra, *transeat*; neque enim existimo ego, dari posse ens aliquod, sive sit compositum, sive tantum componens, quod esse possit ita pura potentia, ut omnem omnino excludat actum metaphysicum, propterea quod, hoc ipso quod est ens, importat semper intelligibilitatem, quæ est actus metaphysicus; quamvis si semel concedatur esse componens, dici possit potentia metaphysica per exclusionem certi alicujus actus metaphysici, actus scilicet cum quo componit.

Nota.

Instabis: Ens dividitur ab Aristotele in actum & potentiam: sed potentia illa, in quam dividitur, supponit pro omnino pura potentia: ergo quomodocunque sit ens; sive compositum, sive componens, esse potest omnino pura potentia, quod est, quod negatur in præfatis responsionibus. *Probatur Minor:* est & dicitur aliquid purum per hoc, quod nihil habet admixtum de suo contrario sive de suo opposito: sed potentia, in quam dividitur ens in præfata divisione, nihil habet admixtum de suo opposito: ergo potentia illa supponit pro omnino pura potentia. *Probatur minor:* membrum unum divisionis secundum quod tale nihil habet admixtum de alio membro: sed potentia illa, in quam dividitur ens, habet suum oppositum in alio membro divisionis; cum aliud divisionis membrum sit *actus*, qui quidem est id, quod ipsi opponitur potentiæ: ergo potentia, in quam dividitur ens in præfata divisione, nihil habet admixtum de suo contrario.

Respondeo negando minorem, cujus ratio; & quidem (meo judicio) irrefragabilis est, quia ex hac divisione entis in actum & potentiam, pari modo se habet, & se habere debet potentia ad esse potentiam, ac se habet actus, qui est alterum divisionis membrum, ad esse actum: jam sic est, quod actus, in quem ibi dividitur ens, non propterea est ita purus actus, ut nihil habeat admixtum de potentia, cum concedatur, quod forma, quæ præcipuè intelligenda venit per hujusmodi actum, sit composita metaphysicè ex actu & potentia, sive ex gradu superiori & communi substantiæ, & ex gradu inferiori talis substantiæ; ergo pari modo philosophandum est de potentia, quæ est alterum divisionis membrum, & dicendum, quod non propterea

Nota.

debet

debet taliter esse pura potentia, ut nihil habere debeat admixtum de actu, per exclusionem scilicet omnis omnino actus metaphysici. Unde ad probationem nego minorem in sensu scilicet mox exponendo; & ad ultimum retorqueo sic argumentum: actus est in præfata entis divisione unum divisionis membrum: sed hoc non obstante habet actus aliquid admixtum de potentia, cum supponatur metaphysicè compositus ex potentia & actu, sive ex gradu superiori & inferiori: ergo & potentia quantumvis videatur habere suum oppositum, scilicet actum in alio divisionis membro potest adhuc habere aliquid admixtum de actu. Notandum tamen quod quamvis ibi actus aliquid habeat admixtum de potentia, & potentia aliquid admixtum de actu, non tamen propterea verificatur, quod membrum unum divisionis secundum quod tale aliquid habeat de alio membro, secundum quod ei opponitur; propterea quod potentialitas, quæ reperitur admixta in actu, & actus, qui reperitur admixtus in potentia, non sunt de genere actus & potentiæ, quæ constituunt præfata divisionis membra; cum ubi sermo sit, ut est in præsenti, de materia & forma, ly *actus & potentia*, supponant pro actu & potentia physica, ordinatis ad conflandum compositum physicum; ly verò potentialitas, quæ reperitur admixta in hujusmodi actu, & actualitas, quæ reperitur inclusa in hujusmodi potentia, sint de genere metaphysico, supponentes pro gradu inferiori & superiori, & ordinatæ ad compositum metaphysicum. Nota

Objicies 2. si includeret materia prima actum metaphysicum, includeret maximè, quia, cum non sit metaphysicè componens, debet esse metaphysicè composita: sed quod sit materia prima metaphysicè composita, non propterea facit, nec potest facere, quod actum includat metaphysicum: ergo de facto non includit materia prima actum metaphysicum, sed est omnino pura potentia. *Probatur Minor*: quod ex omni & quavis componente parte est potentiale, potest esse compositum absque eo, quod includat actum: sed materia prima ex quavis componente parte, ex quibus metaphysicè componitur, reperitur potentialis: ergo materia prima potest esse metaphysicè composita absque eo, quod actum includat metaphysicum. *Probatur minor*: componitur metaphysicè materia prima ex gradu substantiæ, ut sic & in communi; & ex gradu substantiæ talis; sed tum gradus substantiæ ut sic & in communi est potentiale quid, ut conceditur, tum gradus substantiæ talis; cum per hoc, quod est substantia talis, a forma differat, & potentialis sit secundum id, secundum quod differt à forma: ergo mate-

ria prima ex omni & quavis componente parte, ex quibus metaphysicè componitur, reperitur potentialis.

Respondeo negando minorem; ad cujus probationem distinguo majorem sic: quod ex omni & quavis componente parte reperitur potentiale, potest esse compositum absque eo, quod includat actum, si reperiatur potentiale ex quavis parte tum physicè, tum metaphysicè; Concedo: si verò ex quavis parte reperiatur potentiale, dumtaxat physicè loquendo, Nego, quod propterea possit esse compositum absque eo, quod includat actum; quia scilicet tunc fieri potest, ut dicemus in sequenti responsione, & de facto sit, quod una ex illis partibus, quæ solùm physicè supponitur potentialis, habeat metaphysicè loquendo rationem actus metaphysici: jam sic est, quod materia prima reperitur solum potentialis ex omni & quavis componente parte, loquendo physicè & physica potentialitate; cujus ratio est, quia ideo materia prima ex omni parte reperitur potentialis, quia scilicet secundum quod est substantia *talis*, sub qua ratione videtur importare actum, differt à forma sive ab actu, subindeque & est sub hac ratione potentialis; atque potentialitas, quæ reperitur in materia comparativè ad formam; & ex differentia, quam habet à forma, non est, nec esse potest, nisi potentialitas physica, tùm quia differendo à forma non differt, nisi ab actu physico; tum etiam quia potentialitas, quâ habet erga formam, est potentialitas, quæ potest cùm forma componere; ac proinde cum compositio, quam facit cum forma, non sit, nisi compositio physica, nec etiam potentialitas, quam habet ex comparatione ad formam, esse potest nisi potentialitas physica: ergo quantumvis verificari possit in hoc sensu, quod sit materia ex omni, quod habet potentialis, sive quamvis potentialis sit etiam secundum quod differt à forma, adhuc tamen stare potest, quod etiam ex parte hujus, per quod differt à forma, sit actus metaphysicus, cùm ex parte hujus sit solùm physicâ potentialitate potentialis.

Nota.

Instabis: inintelligibile est, quod materia prima actum includat metaphysicum ex ea etiam parte, ex qua est physicè potentialis: sed materia prima ex omni parte, sive ex ratione etiam *talis* substantiæ conceditur esse potentialis physicè: ergo inintelligibile est, quod materia prima actum includat metaphysicum ex ratione talis substantiæ.

Respondeo negando majorem: id enim facilè intelligitur, considerando scilicet, quod in omni ente physico, sive sit actus, sive potentia, multi reperiuntur gradus virtualiter distincti ab invicem,

cem, habentes & servantes inter se virtualem ordinem superioris & inferioris, communis & proprii, contrahibilis & contrahentis, determinabilis & determinativi: jam sic est, quod ubicunque tales reperjuntur gradus, talem servantes virtualem ordinem, facile ibi intelligitur actus metaphysicus, seu compositio metaphysica ex actu & potentia; cum gradus inferior, proprius, superadveniens, determinativus, & contrahens comparativè ad gradum superiorem non possit non induere rationem actus, ut per se patet; immo & dici possit ipsius forma, cum præsupponens superiorem gradum ex parte sui omnino informatum, seu ad nullam propriam rationem reductum nec determinatum, illum reducat, determinet, subindeque & quasi formet, ei scilicet dando proprium quoddam & determinatum esse quidditativum: non ergo inintelligibile est, quod materia prima actum includat metaphysicum ex ea etiam parte, ex qua est physicè potentialis, seu quod secundum totam entitatem sit potentia physica, & nihilominus sit metaphysicè composita ex actu & potentia. Quod quidem confirmari potest à simili, non enim magis inintelligibile est, quod materia prima actum includat metaphysicum ex ea etiam parte, ex qua est physicè potentialis; quam quod forma potentiam includat metaphysicam ex ea etiam parte, ex qua est actus physicus: atqui forma substantialis potentiam includit metaphysicam ex ea etiam parte, ex qua est actus physicus; & hoc facilè intelligitur & conceditur; cum concedatur, quod conveniat forma substantialis cum forma accidentali in ratione actus physici, & ab ea differre ex ratione actus physici *talis*, pura substantialis, subindeque & quod composita sit ex ratione actus physici tanquam ex potentia metaphysica, & ex ratione actus physici *talis*, tanquam ex actu: ergo & ratione & exemplo intelligitur, facilè posse materiam primam actum includere metaphysicum ex ea etiam parte, ex qua est physicè potentialis.

Nota 1

Nota

Quandam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo, favori haud dubiè S. Doctorem præfatæ nostræ conclusioni, quod quidem imprimis colligo ex his, quæ habet *quæstione tertia, de veritate articulo quinto, ad tertium*, ubi sic discurrit: *ad tertium dicendum est, quod quamvis materia secundum se esse non possit, tamen potest secundum se*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

considerari, & sic potest per se habere similitudinem. Hæc divus Thomas, ex quibus argumentor sic.

Attribuit D. Thomas, quod quamvis materia secundum se esse non possit, tamen potest secundum se considerari: sed habet materia intelligibilitatem per hoc, quod habet posse considerari: ergo ex D. Thoma habet materia prima intelligibilitatem secundum se: seu intelligibilitas est actus quidam metaphysicus, cùm fundetur super entitatem subindeque & ei superadveniat, illam afficiat, & ab ea derivetur virtualiter, quæ omnia sunt propria actui metaphysico: ergo ex D. Thoma non est materia prima ita pura potentia, ut omnem omnino excludat actum metaphysicum.

Secundò: hoc idem colligo ex his, quæ habet Doctor sanctus in articulo supra citato in fine corporis, ubi hæc habet: *Si autem largè accipiamus ideam pro similitudine, vel ratione ulla, possunt per se distinctam habere ideam, quæ possunt distinctè considerari, quamvis separata esse non possint, & sic nihil prohibet materiam primam, etiam secundum se ideam esse.* Hæc ille, ex quibus sic arguere licet.

Nihil prohibet ex D. Thoma, quod habeat materia prima etiam secundum se suam ideam: sed omnis idea, quantumcumque imperfecta sit & diminuta, supponit pro aliquali similitudine in Deo existente de ideato: ergo ex D. Thoma habet materia prima etiam secundum se aliqualem sui similitudinem in Deo existentem: sed nihil est in Deo existens, nisi sub ratione actus, cum sit Deus actus purus, ergo ex D. Thoma habet materia prima etiam secundum se Deo aliqualiter assimilari sub ratione actus: sed si secludatur ab ejus potentialitate physica omnis & quivis actus metaphysicus, non potest tabs servari assimilatio in ratione actus, ut per se patet: ergo sentit D. Thomas, quod in materia prima secundum quod est potentia physica, reperiatur inclusus, sive identificatus actus metaphysicus.

Denique hoc idem colligo *ex* 1. *parte*, *quæst.* 11. *art.* 1. ubi loquens de unitate transcendentali & impugnans aliquos antiquos, qui dixerant unitatem illam aliquid addere supra ens, sic habet: *sed hoc est manifestè falsum; qualibet enim res est una per suam substantiam; si enim per aliquid aliud esset una qualibet res, cum illud iterum sit unum, sic esset unum per aliquid aliud, & ita abiret in infinitum: unde standum est in primo, & dicendum, quòd unum, quod convertitur*

cum

cum ente non addit aliquid supra ens. Hæc divus Thomas, ex quibus argumentor sic.

Ex D. Thoma unitas quæ convertitur cum ente completit enti secundum se, sive secluso omni eo quod est aliud ab ente, sed materia prima unitatem habet quæ convertitur cum ente; cum ipsa sit ens: ergo ex Divo Thoma habet materia prima secundum se & secluso omni alio ab ipsa, unitatem quæ cum ente convertitur: sed unitas quæ cum ente convertitur est actus metaphysicus: ergo ex D. Thoma habet materia prima actum metaphysicum. *Probatur subsumptum*: unitas individualis est actus Metaphysicus; cum sit gradus Metaphysicus aliis omnibus superadveniens, in ordine ad quem utpotè omnium postremum cæteri omnes sunt potentiales: sed unitas illa, quæ cum ente convertitur est in materia prima unitas individualis: ergo unitas illa quæ cum ente convertitur est in materia prima actus Metaphysicus. *Probatur Minor*: unitas quæ cum ente convertitur, cum sit transcendentalis est de se indifferens ad esse universalem vel individualem, seu talis est naturæ, hoc ipso quod transcendentalis, quod accommodetur cum modo entitatis quam transcendit; adeo ut quando entitas est universalis, ipsa etiam sit universalis; quando verò entitas est particularis & singularis, ipsa etiam unitas sit individualis & singularis: talis namque accommodatio est de ratione attributi transcendentalis: atqui materia prima, de qua loquimur in præsenti, quæ talem habet unitatem transcendentalem, supponit pro materia, nedum in universali, sed etiam pro particulari, cum etiam ut particularis sit ens, & consequenter hanc habeat unitatem, transcendentalem quæ convertitur cum ente: ergo unitas illa, quæ cum ente convertitur est in materia prima unitas individualis: ergo unitas illa quæ cum ente convertitur est in materia prima actus metaphysicus: ergo cum ex D. Thoma habeat materia prima secundum se unitatem quæ convertitur cum ente habet consequenter ex eodem D. Thoma & actum metaphysicum.

Nota.

Nota.

Dices primò. Si materia prima includeret secundum se actum aliquem metaphysicum, haberet etiam secundum se unitatem positivam specificam: cum actus metaphysicus ex proprio munere constituat rem in certa & determinata specie: sed ex D. Thoma *prima parte, quæstione decima sexta, articulo septimo, ad secundum*, non videtur materia prima unitatem habere specificam positivè, sed solum negativè: ait enim sanctus Doctor: *materia prima dicitur esse una, non quia habet unam formam, sicut homo est unus ab unitate unius formæ, sed*

per remotionem omnium formarum distinguentium : ergo non habet ex D. Thoma materia prima actum aliquem metaphysicum secundum se.

Respondeo Distinguendo Majorem sic : si materiâ prima includeret secundum se actum aliquem metaphysicum, esset etiam secundum se unius speciei positivæ, loquendo de specie intrinseca ipsi materiæ, Concedo : loquendo de specie ipsi materiæ extrinseca, Nego : & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Pro quo notandum est quod cum materia prima se habeat ad formas physicas quæ dant esse rei, velut & quasi gradus genericus, verbi gratia, animal ad gradus differentiales, ideo sicut animal in duplici constituitur specie, aliâ scilicet ipsi intrinsecâ, qua de facto est intrinsecè tale ens, puta sensibile, & aliâ ipsi extrinseca, ea scilicet quæ provenit à gradu differentiali ei quasi extrinseco ; ita similiter materia prima potest in duplici constitui specie, in una quidem intrinsecè, incompleta tamen, ea scilicet quam sortitur per actum suum metaphysicum, per quem essentialiter constituitur in esse *talis* substantiæ, quamvis incompletæ : in alia verò constituitur specie extrinsecè solum, ea scilicet ad quam trahitur per receptionem hujus vel illius formæ ; atque ita quando divus Thomas insinuat *in verbis supra citatis* materiam ex se solum dici negativè unam, non quia habet unam formam, sed per remotionem omnium formarum distinguentium, loquitur solum de unitate extrinseca specifica materiæ, quam utique ex se solum materia negativè habet, eam solum habens positivam per receptionem formæ, non autem intendit divus Thomas negare materiæ primæ unitatem positivam intrinsecam [quamvis incompletam] per suum actum metaphysicum ; quin immò & hoc demonstrativè probat loco ultimo supra citato in favorem conclusionis.

Dices secundo, quod divus Thomas *prima parte quæstione decima quinta, articulo tertio, ad tertium*, dicit expressè, quod *materia secundum se, nec esse habet, neque cognoscibilis est* : ergo saltem ex parte intelligibilitatis ipsius deduci non potest nec colligi actus metaphysicus, contra tertiam probationem conclusionis.

Respondeo Divum Thomam non propterea negare in isto loco intelligibilitatem seu cognoscibilitatem in materia secundum se absolutè loquendo ; quin imò hanc demonstrativè insinuat *in quæstione tertia, de veritate, articulo quinto, ad primum & in fine corporis articuli* dicens *quod possunt per se distinctam habere ideam* (& consequenter cognoscibilitatem) *qua possunt*

distin-

distinctè considerari, quamvis separata esse non possint, & sic nihil prohibet materia primæ etiam secundum se ideam esse: non igitur negare intendit sanctus Doctor loco citato ab arguente omnem cognoscibilitatem in materia etiam secundum se sumpta, sed intendit solum docere, quod solum per ordinem & comparationem ad formam sit materia prima intelligibilis & definibilis, ex quo sic subsumere licet: atqui quod sit solum materia prima intelligibilis per ordinem & comparationem ad formam, hoc non impedit, quo minus sit secundum se sumpta intelligibilis; cum comparatio seu ordo ille sit aliquid intrinsecum in materia, imo & sit ipsa materia & ejus quidditas, utpote quæ cum sit essentialiter incompleta, est etiam transcendentaliter respectiva: ergo non propterea negat aut negare intendit divus Thomas habere materiam primam in se & secundum propriam entitatem, propriam intelligibilitatem, subindeque & actum metaphysicum. *Nota.*

QUÆSTIUNCULA.

Vtrum materia prima sit ingenerabilis & incorruptibilis.

Respondeo affirmativè; quod quidem quantum ad ingenerabilitatem ostendo sic. Materia prima ex propria quidditate est primum omnium subjectum: ergo non potest in sui productione aliud supponere subjectum, à quo dependeat; sed quod ita producitur, ut in productione sui nullum præsupponat subjectum, tale quid est ingenerabile, sive producitur hoc ipso per creationem: ergo materia prima esse debet ingenerabilis, sive per solam creationem potens produci. *Probatur subsumptum* ratione quam affert divus Thomas *in secundo contra gentes cap.* 21. ordini agentium debet correspondere ordo actionum: ergo quæ per se est actio omnium prima, debet respondere Deo primo agenti, & esse ipsius propria, subindeque & esse creativa actio, non generativa, quæ competit agentibus inferioribus: atqui productio, quæ talis est naturæ, ut nullum præsupponat subjectum, est actio omnium prima; ergo quod ita producitur, ut in productione sui nullum præsupponat

subjectum est ingenerabile sive improducibile per generationem, & solum per creationem potens produci. *Probatur subjumptum*: actio quæ de se nullam aliam præsupponit, & præsupponitur ad alias omnes creaturarum operationes est de se actio omnium prima: sed productio quæ talis est naturæ, quod nullum præsupponit subjectum, de se nullam aliam præsupponit, cum sit productio ex nihilo; & præsupponitur ad alias omnes creaturarum operationes, cum talis actio sit productiva subjecti, quod quidem præsupponitur ad operationes cujuslibet agentis creati, sive artificialis sive naturalis: ergo productio quæ talis est naturæ, quod nullum præsupponit subjectum, est de se actio omnium prima: ergo hujusmodi actio est actio propria primi agentis, nec potest competere agentibus inferioribus. Ergo hujusmodi actio sive productio quæ nullum præsupponit subjectum esse non potest actio generativa: ergo quod in productione sui nullum præsupponit subjectum est ingenerabile; ergo cum materia prima utpote subjectum primum unius cujusque nullum in sui productione præsupponat subjectum, est consequenter materia prima ingenerabilis, & solum per creationem potens produci; ex quo consequenter habetur, quod sit similiter materia prima incorruptibilis; cum corruptio non minus importet & exigat subiectum commune remanens, quam generatio subjectum commune productum, alias esset annihilatio si non remaneret subjectum, sicut & generatio esset creatio si subjectum produceretur; ac proinde sicut materia prima est ingenerabilis, quia cum sit subjectum primum præsupponitur ad generationem, ita & incorruptibilis est, quia cum sit subjectum primum, relinqui debet & remanere in corruptione.

Nota.

Dices primò, Quod unum deperdit esse & aliud acquirit, illud corrumpitur, sed materia prima deperdit unum esse, & aliud acquirit, cum transeat ab esse unius formæ ad aliud, nec aliud habeat esse quam formæ: ergo corrumpitur materia prima, subindeque & corruptibilis est & generabilis.

Respondeo Distinguendo Majorem sic: quod unum deperdit esse & aliud acquirit, illud corrumpitur, *subjectivè*, ita ut illud sit subjectum in quo exercetur corruptio, Concedo: illud corrumpitur, ita quod terminus sit corruptionis, ipsaque desinat esse, Nego. Ut autem diceretur materia prima & corruptibilis & generabilis deberet ita corrumpi terminativè, sicut & terminativè generari, non autem tantum subjectivè, ut per se patet; cum hoc ipso quod est solum subjectum in quo exercetur & corruptio & generatio, supponatur per consequens ad generationem

&

& in corruptione remaneat.

Dices secundò, Quod est principium corruptionis alterius, est à fortiori & ipsum corruptibile, sed materia prima vulgò dicitur principium corruptionis: neque enim res corporeæ sunt corruptibiles, nisi quia constant ex materia: ergo materia prima debet esse corruptibilis.

Respondeo Distinguendo Majorem sic: quod est principium corruptionis alterius, illud à fortiori est corruptibile, si sit principium corruptionis formale aut quasi formale, Concedo: si autem sit principium corruptionis solum passivum, Nego: principium namque solum passivum de se indifferens est ad formam corruptibilem & ad incorruptibilem, cum possit indifferenter utramque recipere; ac proinde ex hoc quod est principium passivum corruptionis dici non potest corruptibile, cum hoc idem hoc ipso quod tale sit etiam vel esse possit principium passivum alicujus incorruptibilis. Materia autem non dicitur principium corruptionis nisi passivum, in quantum scilicet receptivum est alicujus corruptibilis; principium namque formale corruptionis est ipsa substantialis forma, non quidem præcisè sub ratione substantialis formæ, sed in quantum materiæ unitur solum defectibiliter, nempe suppositis dispositionibus quæ per vires agentium naturalium effectivè destrui possunt; atque ita ex hoc quod dicitur materia principium corruptionis aliorum, non propterea dici debet intrinsecè corruptibilis.

Dices tertiò, Inintelligibile est, dependere materiam primam in suo esse ab existentia formæ corruptibilis; & non esse corruptibilem: cum hoc ipso quod ita dependet, de facto desineret esse ad corruptionem omnis formæ, quod est corrumpi: sed materia prima de facto ita dependet in suo esse à forma: ergo inintelligibile est, quod materia prima non sit corruptibilis.

Respondeo Negando Majorem: non enim alio modo dependet materia à forma, quam quia de se ordinatur ad constituendum corpus naturale per unionem sui cum forma substantiali: Jam sic est quod facile intelligitur, ita dependere materiam primam à forma, absque eo quod debeat propterea esse corruptibilis; cum hujusmodi dependentiam ab ipsa materia possit vicissim habere & forma incorruptibilis, puta anima rationalis, salvâ omni incorruptibilitate: non ergo inintelligibile est, ita dependere materiam à forma, & esse incorruptibilem: ad id autem, quod affertur in probationem, puta quod hoc ipso quod ita dependet materia à forma, de facto desineret esse ad deficientiam & corruptionem omnis formæ, subindeque & corrumpetur;

retur; ad hoc, inquam, dico, deficere quidem in hoc casu materiam, si omnis deficeret forma, non tamen propterea corrumpe-
Nota. retur, quia non nisi per annihilationem deficeret & desineret esse: cujus ratio est quia destructio & deficientia postremæ & ultimæ formæ sub qua reperiretur materia & ad cujus deficientiam desineret, hæc, inquam, destructio & deficientia esset annihilatio, & non corruptio, tum quia non esset generatio alterius, nec consequenter corruptio unius: tum quia per annihilationem nihil magis destrueretur, quam destrueretur tunc per hanc destructionem, quæ prætenditur esse corruptio, cum tunc abiret forma & in nihilum sui & in nihilum subjecti, subindeque & secundum id quod est, & secundum id, quod ejus est abiret in nihilum.

QUÆSTIO II.

Vtrum materia prima sit de se pura potentia Physica, per exclusionem omnis omnino existentiæ etiam partialis.

PRæmittendum primo, difficultatem hanc; quæ multum celebris est in scholis, resolvi affirmativè à Thomistis: negativè vero ab omnibus fere, qui militant extra scholam Beati Thomæ. Thomistæ siquidem hanc ponderantes doctrinam sancti Doctoris, & quidem suo more multum profundam, quam affert sanctus Doctor *in 2. contra gentes, capite 43.* ubi habet quod: *Sicut unicuique creato convenit fieri, sic sibi convenit esse: esse autem non convenit formæ tantum, nec materiæ tantum, sed composito: materia enim non est nisi in potentia; forma vero est, qua aliquid est; est enim actus unde restat, quod compositum proprie sit:* Hanc inquam ponderantes Thomistæ doctrinam sancti Doctoris docent communiter, quod sicut fieri, ita & esse seu existere primo & per se convenit composito, & mediatè solum illius partibus, quæ sunt materia & forma; hac tamen cum differentia, quod forma, quia est ratio ut esse seu existentia competat composito, non solum existit mediatè per existentiam compositi, sicut etiam mediatè per existentiam compositi existit materia, sed etiam dicitur per se existere *ut quo*, quia est ratio, ut existen-

tia

ria composito competat, & in composito ipsi materiæ: ex qua communi doctrina inferunt & concludunt, quod materia prima est de se omnino pura potentia Physica per exclusionem omnis omnino partialis existentiæ, cum non existat nisi in composito, & per existentiam compositi. quæ radicaliter à forma provenit, quæque ad formam consequens velut actus secundus ad actum primum, supponit consequenter & ipsam formam in materia, priusquam intelligatur vel intelligi possit materia sub existentia, atque ita ipsa materia nullam de se importat existentiam, sicut nec ullam de se importat formam. Qui vero extra scholam B. Thomæ philosophantur, contrarium communiter docent; & quidem primò omnes & singuli, qui docere solent in Metaphysica, non distingui realiter essentiam & existentiam, ex quo inferunt, quod cum materia prima habeat ex se & seorsim à forma suam propriam essentiam seu entitatem, quamvis partialem & incompletam, sic & ex se habet suam partialem existentiam: at præter istos, qui quidem premi & urgeri possunt ex iis, quæ dicta sunt in Metaphysica in quæstionibus de ente essentiæ & existentiæ; & de ente modali; sunt & alii, qui hoc idem tenent, constituentes tot existentias partiales, quot dantur entitates, licet ab ipsis entitatibus realiter distinctas, ac proinde & asserentes, materiam primam suam habere existentiam partialem distinctam & ab existentia formæ, & ab existentia totius compositi.

Præmittendum secundò, pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii, puta quod *materia prima est substantia essentialiter incompleta*; quod *determinativum esse non potest potentialius determinabili*; quod *materia omni privata forma non potest naturaliter permanere*. Ratio autem primi est, quia materia essentialiter ordinatur ad unam componendam naturam; cum ex definitione quæ de ea tradi solet, sit subjectum receptivum formæ substantialis, cum qua habet unam componere naturam: ergo materia prima est essentialiter pars compositi substantialis, subindeque & est essentialiter substantia incompleta. Ratio vero secundi est, quia determinativum quà tale fungitur munere & officio actus respectu determinabilis, illudque reducit de statu determinabili qui est status potentialitatis ad statum magis determinatum, subindeque & minus potentialem; ipsum vero determinabile cum sit potentialiter & in potentia ea omnia ad quæ determinari potest & contrahi, se habet consequenter ad determinativum,

tivum, tanquam potentia ad actum, vel certè tanquam potentiale quid ad minus potentiale: ergo impossibile est, quod determinativum sit quid potentialius ipso determinabili. Demum quantum ad tertium, puta quod materia omni privata forma non potest naturaliter permanere, ratio & signum hujus est, quod non aliam ob causam corruptio unius formæ est generatio alterius, unde consequenter nunquam materia aliqua sit absque forma; quod enim ita se habet, non potest non fieri per leges naturæ necessarias, atque ita non potest non arguere in materia naturalem dependentiam à forma in essendo & permanendo in rerum natura: his ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit.

CONCLUSIO: *Materia prima est de se pura potentia Physica, nullam ex se importans propriam & partialem existentiam.*

Probatur primò, ex primo præmisso principio: *Materia prima est substantia essentialiter incompleta*: ergo nullam ex se importat propriam existentiam. *Probatur consequentia*, si esset materia prima ex se per propriam aliquam existentiam existens, esset etiam ex se substantia completa: ergo hoc ipso quod materia prima est substantia essentialiter incompleta, nullam omnino potest ex se habere existentiam. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, substantia quæ substat aut quæ substare potest accidentibus, est substantia completa; sed si materia prima esset per propriam aliquam existentiam existens, posset etiam ex se substare accidentibus: ergo si esset materia prima ex se per propriam aliquam existentiam existens, esset etiam substantia completa. *Minor* concediter ab adversariis, qui docent communiter, esse materiam primam immediatum susceptivum ipsius quantitatis accidentalis; & ratio hujus minoris est, quia in tali casu esset ex se materia prima ens in actu, quod quidem sufficit, ut immediatè suscipiat aliquid accidentia, eisque substet. *Probatur Maior*, substantia quæ directè ponitur in linea prædicamentali est substantia completa; sed substantia quæ substat accidentibus est ea quæ ponitur directe in prædicamento: ergo substantia, quæ substat aut quæ substare potest accidentibus, est substantia completa. *Major* est evidens & concedirur: substantia namque solum partialis & incompleta solum etiam reductivè ponitur à Philosophis in prædicamento. *Probatur Minor*, hoc ipso quod substare accidentibus est una ex proprietatibus

bus substantiæ directè positæ in prædicamento, est hoc ipso substantia quæ substat accidentibus directè posita & ponenda in prædicamento: sed inter propietates, quæ assignantur à philosophis præfatæ substantiæ, una est, quæ substet accidentibus; & hoc docetur communiter ab omnibus post Aristotelem: ergo substantia quæ substat accidentibus est ea quæ ponitur directè in prædicamento: ergo substantia quæ substat, aut quæ substare potest accidentibus est substantia completa: ergo si materia prima per se substare posset accidentibus esset substantia completa: ergo si materia prima esset per propriam aliquam existentiam existens, esset substantia completa: ergo hoc ipso quod materia est substantia essentialiter incompleta [quod est primum præmissum principium] non potest aliquam ex se habere existentiam, sed est pura potentia Physica.

Probatur secundo, ex secundo præmisso principio: *Determinativum esse non potest potentialius ipso determinabili*: ergo non potest materia prima propriam ex se habere existentiam. *Probatur consequentia*, casu quo materia prima propriam haberet existentiam, id quod rationem haberet determinativi potentialius esset determinabili: ergo hoc ipso quod hoc esse non potest, nec potest hoc ipso materia prima propriam ex se habere existentiam. *Consequentia* est evidens. *Probatur Antecedens*, existentia talis se habet ad existentiam ut sic sicut determinativum ad determinabile; sed casu quo materia propriam haberet existentiam, tunc existentia talis, putà materiæ potentialior esset existentiâ ut sic: ergo & in hoc casu esset determinativum potentialius ipso determinabili. *Major* per se patet. *Probatur Minor*, quod ex conceptu suo petit esse potentiale etiam physicè, non potest non esse potentialius eo, quod ex conceptu suo non est tale; sed casu quo materia propriam haberet existentiam, tunc existentia talis, scilicet materiæ esset ex suo conceptu potentialis physice, ut per se patet; nec tamen esset existentia ut sic ita potentialis physicè; alias potentialitas Physica omni compereret existentiæ, quod est falsissimum: ergo casu quo materia prima propriam haberet existentiam, tunc existentia talis esset potentialior ipsa existentia ut sic: ergo casu quo materia prima propriam haberet existentiam, id quod rationem induceret determinativi esset, tunc potentialius ipso determinabili: ergo hoc ipso quod determinativum esse non potest potentialius determinabili [quod est secundum præmissum principium] nec potest materia prima propriam ex se habere existentiam.

Pro-

Probatur tertiò, ex tertio præmisso principio : *Materia omni privata forma non potest naturaliter permanere in esse:* ergo non habet ex se materia prima propriam aliquam existentiam, sed est omninò pura potentia Physica. *Probatur consequentia*, casu quo omnis periret forma, adhuc naturalitér permaneret materia, si propriam aliquam haberet existentiam ; ergo hoc ipso quod materia omni privata forma non potest naturaliter permanere in esse, nec potest hoc ipso propriam habere existentiam. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, quod non nisi ex miraculo potest existentiam deperdere, debet naturaliter permanere in esse: sed casu quo omnis periret forma, adhuc non nisi ex miraculo posset materia prima existentiam deperdere, si eam sibi haberet propriam: ergo in tali casu adhuc naturaliter permaneret in esse. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, quantumcumque pereant extrinseca, adhuc non nisi ex miraculo deperdere potest materia quod est sibi intrinsecum & coœvum : sed si materia ex se haberet propriam aliquam existentiam, tunc forma esset tantum extrinseca huic existentiæ; & hæc esset intrinseca & coœva materiæ: ergo casu quo omnis periret forma, adhuc non nisi ex miraculo posset tunc materia prima propriam deperdere existentiam. *Major* est certissima; ut enim communiter dicitur, ex variatione in extrinsecis non propterea fit variatio in intrinsecis; atque ita sicut absolutè loquendo non nisi ex miraculo potest materia deperdere quod est sibi intrinsecum & coœvum, ut conceditur; ita nec nisi ex miraculo potest illud deperdere, quantumcumque supponantur perire quæ sunt ei extrinseca. *Probatur minor*, quoad primam partem de qua solum dubitatur: respectu hujus tantum forma se habet intrinsecè & ut intrinseca, respectu cujus rationem exercet causæ formalis: ergo respectu illius, quod non est ejus formalis effectus, non se habet forma intrinsecè, sed extrinsecè tantum: atqui si haberet materia ex se propriam aliquam existentiam, non esset tunc existentia illa formalis effectus ipsius formæ, ut ex terminis patet: ergo si ex se haberet materia propriam aliquam existentiam, tunc forma esset tantum extrinseca huic existentiæ; quæ tamen esset intrinseca & coœva materiæ : ergò casu quo omnis periret forma, adhuc non nisi ex miraculo posset materia suam deperdere existentiam, si eam sibi haberet propriam : ergo casu quo omnis periret forma, adhuc materia naturaliter permaneret in esse, si propriam sibi haberet existentiam : ergo hoc ipso quod materia omni privata forma non potest naturaliter permanere in esse [quod est tertium præmissum principium] non potest

materia

materia propriam aliquam ex se habere existentiam, sed esse debet pura omnino potentia Physica.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, si materia prima nullam ex se haberet existentiam propriam, in nullo casu illam haberet: sed datur casus in quo debet materia propriam habere existentiam: ergo & absolutè loquendo illam habet. *Major* conceditur: *Probatur Minor*, hoc ipso quod habet materia prima propriam terminare actionem productivam, habet hoc ipso & propriam existentiam; sed datur casus, in quo materia propriam terminet actionem productivam: ergo & datur casus in quo debeat materia propriam habere existentiam. *Major* conceditur: tum quia actio productiva quàtalis tendit ad dandam existentiam, subindeque & actio productiva propria ad propriam, non communem existentiam; tum quia non habet, ut dici solet, materia prima existentiam propriam, sed existentiam compositi, quia ipsa non fuit creata nec producta propriè loquendo, sed solum concreata & comproducta cum ipso composito, cujus est pars. & quod propriè fuit productum. *Probatur Minor*, materiam terminare actionem propriam productivam, nihil aliud est quam de novo alicubi produci, nec tamen produci per actionem productivam formæ sive compositi: sed datur casus in quo id accidit: ergo & datur casus in quo materia propriam terminet actionem productivam. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, casu quo fiant ex speciebus sacramentalibus vermes, de novo ibi producitur materia, cum ibi antea non esset: sed ibi non producitur per actionem productivam formæ, neque compositi; cum actio productiva formæ sit ibi eductio, & actio consequenter productiva compositi sit generatio: ergo datur casus in quo de novo producitur materia, absque eo quod producatur per actionem productivam formæ, neque compositi.

Respondeo primò, negando minorem; ad cujus probationem distinguo majorem; hoc ipso quod habet materia prima propriam terminare actionem productivam, habet hoc ipso & propriam existentiam; si actio illa propria, quam supponitur terminare, sit actio completa, Concedo: si autem actio illa sit ex se incompleta, nec nisi per alteram actionem productivam formæ & compositi compleatur, Nego, quod propterea debeat materia propriam habere existentiam, hoc ipso quod actionem

terminat, ita & taliter propriam & productivam; quin imo existente sequitur, non nisi per existentiam formæ & compositi posse existere, cum ad hunc tantum finem alteram exigat actionem qua compleatur. Jam sic est, quod in casu de productione vermium ex speciebus Sacramentalibus, quamvis concedatur communiter a Thomistis, quod ibi Deus novam producit & subministrat materiam, vel per creationem, vel per conversionem, convertendo scilicet præexistentem quantitatem in novam materiam, hæc tamen actio ita materiæ productiva in tali casu non est completa, donec per alteram actionem ibidem productivam formæ & compositi compleatur, ac per eam communicetur materiæ existentia; & hoc, non quidem ex defectu agentis in productione materiæ, sed ex incapacitate ipsius materiæ, quæ
Nota. cum independenter a forma non possit terminari per existentiam; eo quod scilicet ordine quodam suos respicit actus, subindeque & prius respicit & recipit formam, quæ est actus primus, quam existentiam quæ rationem habet actus secundi, hinc actio illa materiæ productiva compleri non potest, sed quasi pendula & incompleta manet, donec per actionem compositi productivam, ipsi immediate composito communicetur existentia, & in eo seu mediate ipsis communicetur partibus, materiæ scilicet & formæ.

Respondeo secundo, negando minorem primi, secundi, tertii, & quarti seu ultimi argumenti, in hoc enim casu quem supponit arguens de vermibus ex speciebus Sacramentalibus productis, potest adhuc verificari & sustineri, [nec sine fundamento, ut statim ostendam] quod adhuc ibi producitur materia per actionem productivam formæ & totius compositi, subindeque quod non habet ibi terminare actionem propriam, nec consequenter quod habitura sit in tali casu propriam existentiam. Ratio autem hujus solutionis est, quia multum probabile est, vermes illos qui supponuntur ab arguente produci per actionem solum generativam, produci potius per actionem non generativam, sed conversivam quantitatis præexistentis in totum hoc vermis compositum; atque ita quamvis ibi de novo producatur materia, non propterea terminare debet actionem propriam; cum solum ibi comproducatur, & per actionem ita communem ponatur extra causas. Quod si quærat arguens, unde id habeam, quod scilicet vermes illi producuntur per actionem, non generativam proprie loquendo, sed potius conversivam quantitatis præexistentis in totum hoc vermis compositum, aut per aliam hujusmodi actionem; respondeo, me id colligere ex eo quod

quid-

quid competit actioni illi productivæ, quam prætendit
ens esse generativam, eidem adhuc competit quamvis sit &
onatur conversiva; ac proinde cum non possit esse & sup-
simul & semel conversiva & generativa, ut statim dicam,
equenter fit, quod cum ei competat unde fit & supponi
t conversiva, non fit per consequens nec esse possit genera-

Quod si ultro quærat arguens unde habeam, quod id quod
petit præfatæ actioni productivæ vermium, eidem compe-
quamvis sit & supponatur conversiva; respondeo, me id ha- Nota.
e ex eo quod, si quid esset in præfata actione quod non pos-
eidem competere si esset conversiva, esset maximè quia ibi
ma materialis vermium, cum hoc ipso quod materialis fiat
pendenter á materia, videtur consequenter fieri per eductio-
m, ac per consequens per aliam produci actionem, quam per
m quâ produci debet materia; quod quidem verificari nequit
actione conversiva, utpote quæ totum aliquod convertit in
tum aliud, & non tantum in partem, ex qua aliud deinde edu-
atur: Jam sic est, quod potest forma illa materialis vermium
a fieri dependenter à materia, absque eo quod propterea fiat
er eductionem, seu quamvis non fiat per actionem distinctam
b actione factiva materiæ, quod quidem evidentissimè patet in
ctione creativa qua supponitur Deus creare unum integrum
compositum formam habens materialem, vel in actione trans-
ubstantiativa quâ supponitur & conceditur Deus convertere
posse totum panem in totum lapidem; in his namque actionibus
fit forma materialis dependenter à materia alias non fieret ma-
terialis, & tamen supponitur tanquam certum quod non fit per
eductionem, sed quod per eandem actionem qua ipsa ponitur
materia, ponitur simul & semel & ipsa forma, & primario ipsum
totum: ergo potest præfata vermium productio esse conversiva,
quamvis ibi forma quæ fit, fiat dependenter à materia; atque ita
verificatur per consequens, quod id omne quod huic competit
actioni productivæ, eidem competat, quamvis sit aut suppona-
tur esse conversiva præexistentis quantitatis in totum hoc ver-
mis compositum.

Instabis contra primam responsionem: inintelligibile est, pro-
duci materiam per actionem ita incompletam: ergo nulla &
falsa est prima illa responsio *Probatur antecedens*, inintelligibi-
lis est actio productiva, quæ non terminetur ad existens; sed si
produceretur materia per actionem ita incompletam,
non terminaretur hujusmodi actio quâ talis ad exi-

stens: ergo inintelligibile est, produci materiam per actionem ita incompletam. *Minor* est certa; ideo namque dicitur actio illa ita & taliter incompleta, quia ejus terminus non intelligitur existens, donec intelligatur advenire actio altera productiva formæ & compositi, & communicata existentiæ. *Probatur Maior*, omnis actio productiva, quæcumque illa sit, non potest non terminari ad reale quid: sed inintelligibile est ly *reale quid* non intellectâ in eo existentia: ergo inintelligibilis est productiva actio quæ non terminetur ad existens. *Nota.*

Respondeo negando antecedens: ad cujus probationem distinguo majorem sic: inintelligibilis est productiva actio, quæ non terminetur ad existens, id est, quæ non terminetur ad rem sub existentia, Concedo: quæ non terminetur ad existens, id est quæ non terminetur ad existentiam rei, Nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Pro quo notandum est, aliud esse terminari ad rem sub existentia, sive quæ sit existens dum terminat, & aliud terminari ad existentiam rei, quod quidem patet evidentissimè in exemplo de visione intuitiva corporea: visio namque intuitiva terminari non potest nisi ad rem quæ sit sub existentia dum terminat, atque ex hoc dicitur intuitiva; & tamen certissimum est terminari non posse visionem hanc ad ipsam rei existentiam, cum hæc sit substantiale quid, vel modus inhærentiæ, quæ quidem duo non cadunt sub objecto visionis corporeæ: sicut ergo visio intuitiva corporea, quantumvis exigat terminari ad rem existentem, non propterea terminatur nec exigit terminari ad ipsam rei existentiam, ita similiter quantumvis exigat productiva actio terminari in præfato casu ad materiam existentem, non propterea sequitur quod terminari debeat ad ipsam materiæ existentiam, sed terminatur sufficienter, hoc ipso quod terminatur ad ipsam entitatem materiæ, quæ existens sit & ponatur sub existentia, media altera illa actione productiva formæ & compositi, & communicativa existentiæ composito & simul & semel ipsius partibus, formæ scilicet & materiæ. Restat igitur, produci posse materiam in præfato casu de productione vermium ex speciebus Sacramentalibus, produci inquam, posse per actionem propriam, absque eo quod propriam sortiatur existentiam; propterea quod produci potest per actionem ita & taliter incompletam, ut altera requiratur actio ibidem productiva formæ & compositi, per quam compleatur, & per quam communicetur ei existentia.

Instabis 2. contra secundam responsionem: actio quæ fit per agentia naturalia esse non potest actio conversiva, nec creativa, sed

ptum generativa actio ; sed productio vermium ex spe-
s Sacramentalibus sequitur ad agentia naturalia: ergo pro-
o illa vermium ex speciebus Sacramentalibus esse non po-
ctio conversiva, ut asserit secunda responsio , sed actio so-
generativa, *Major* est certissima; cum enim actio conversiva
ur talis, quia convertit totum aliquod in totum aliud, non
st per consequens exerceri per agens naturale , quod non
nisi ex præsuppositio subjecto. *Probatur minor* , productio
nium aut cinerum ex speciebus Sacramentalibus consequi-
ad actionem corruptivam talium specierum: sed corrumpun-
& corrumpi possunt hujusmodi species per agentia natura-
t patet: ergo productio vermium ex speciebus Sacramenta-
is sequitur ad agentia naturalia.

Respondeo distinguendo minorem : sed productio vermium
speciebus Sacramentalibus sequitur ad actionem agentium
turalium, ita quod posita actione agentium naturalium pro-
cat Deus per se ipsum & subministret totum hoc vermium
mpositum. Concedo , quod in hoc sensu sequatur præfata
oductio vermium ad actionem agentium naturalium: si au-
m sensus minoris sit; ita quod posita actione agentium natu-
lium, sequatur productio & positio vermium , Deo ibi specia-
ter non operante, Nego minorem & consequentiam. Pro quo
otandum est, quod sicut Deus ex vi prioris & præcedentis mi-
aculi quo convertit substantiam panis in corpus suum relictis
ccidentibus velut signis Sacramentalibus , facit consequenter
& quasi tenetur facere quod accidentia illa modum hab-ant
ubstantiæ, sive in essendo sive in operando, adeo ut & quasi per
se stent, & per se operentur, ita similiter ex vi ejusdem præce-
dentis miraculi quo manet Sacramentaliter sub illis speciebus,
quasi teneatur facere quod adveniente corruptione talium spe-
cierum substituatur ibi & producatur vel per conversionem, vel
per creationem illud idem compositum , quod generaretur per
agens naturale ex corruptione hujusmodi accidentium, si ades-
set ibi præexistens materia ex qua posset educi forma illa quæ
proportionem habet cum dispositionibus illis per quas præfatæ
corrumpuntur species; atque ita quamvis in uno sensu verifica-
ri possit , quod sequitur productio illa vermium ad actionem
agentium naturalium, quæ scilicet corrumpit præfatas species
[qua de causa dum de tali vermium productione loquimur, à
nobis appellari solet *generatio vermium*] adhuc tamen hoc
non obstante verificatur, quod ponatur hoc vermium compo-
situm ex vi actionis Dei superadvenientis, quæ quantitatem

præexistentem convertat in totum compositum, sive tum in formam tum in materiam; & sic non est necesse, aliquam ibi intervenire actionem quæ ad materiam terminetur secundum se sumptam, nec consequenter quod ei propria communicetur existentia.

Dixi autem supra *vel per conversionem, vel per creationem*, quod quidem dictum volo propter aliquos, qui volunt, quod posita actione agentis naturalis corruptiva specierum, provideat tunc Deus per creationem novum compositum, quod per generationem exurgeret, si adesset ibi præexistens materia: nihilominus quia supponeretur ibi annihilatio facta præfatæ quantitatis, quæ ibi modum habet substantiæ, si semel concedatur, quod novum illud quod ibi substituitur compositum, substituitur *per creationem* ideo verius existimo, si dicatur substitui ibi a Deo compositum illud non per creationem, sed *per conversionem* hujusmodi quantitatis in illud; ut ita omnis vitetur annihilatio, quam quidem a Deo vitari, colligitur ex illo *Sapientiæ 1. cap.* ubi dicitur quod creavit Deus, ut essent omnia non autem ut in nihilum cederent.

Objicies 2. si non esset materia à se & propria entitate existens, esset aliquid præter existentiam: sed inintelligibile est, quod sit materia aliquid sive reale quid præter existentiam: ergo & inintelligibile est, quod non sit materia à se existens. *Major* est evidens; si enim non esset propria entitate existens, ei sive ejus entitati adveniret per consequens existentia, & sic esset materia entitativum quid præter illam, cum illa ei superadveniret. *Probatur Minor*, quod est aliquid præter aliud, est etiam aliquid sine illo; sed dici non potest, quod sit materia aliquid sine existentia: ergo nec dici potest, quod sit aliquid præter existentiam. *Major* videtur certa ex terminis. *Probatur Minor*, implicat in terminis, quod sit materia aliquid sine eo per quod habet poni extra nihilum; sed per solam existentiam ponitur materia, sicut & aliud omne extra nihilum seu extra causas, ut conceditur: ergo dici non potest, quod sit materia aliquid sine existentia.

Respondeo negando minorem; ad cujus probationem nego majorem, quantumvis eam supponat arguens tanquam certam ex terminis. Licet enim ex terminis malè intellectis sit apparenter vera hæc præpositio, putà quod id omne quod est aliquid præter aliud est etiam aliquid sine illo, in se tamen & reipsa falsa est, quod quidem colligo & exemplo & ratione. *Nota.* Enim vero res quæ dependet à sua causa sive prima sive se-

secunda est haud dubiè aliquid præter suam dependentiam, ut conceditur, & ut alibi demonstravimus: jam sic est, quod quamvis res dependens a sui causa sit aliquid præter dependentiam, non tamen est aliquid sine tali dependentia; cum media tali dependentia ponatur in rerum natura & fiat aliquid: non ergo sequitur, fore materiam aliquid sine existentia, quamvis sit aliquid præter existentiam. Cujus quidem ratio est, quia hoc ipso quod unum quid se habet ad aliud ut id, *quod est*, ad id, *quo est*, hoc ipso & est aliquid præter illud, ut ex terminis patet; nec tamen est aliquid sine illo, ut ex ipsis etiam terminis patet: atqui materia existens se habet ad sui existentiam, ut id, *quod est*, ad id, *quo est*; aliàs esset id, quod est, suum esse sua actualitas & consequenter sua perfectio, quod implicat in creatis: ergo habetur, quòd sit materia aliquid præter existentiam, absque eo quod sequatur, quòd sit aliquid sine existentia. *Nota.*

Instabis: inintelligibile est, se habere aliquid ad sui existentiam, velut id *quod est*, ad id, *quo est*: ergo inintelligibile est, esse materiam aliquid præter existentiam. *Consequentia* est evidens; cùm hæc fuerit allata ratio ad probandum in superiori responsione, quòd sit materia aliquid præter existentiam; nec tamen quòd sit aliquid sine existentia. *Probatur antecedens*: id, *quod est*, compositionem facit cum eo, *quo est*; sed inintelligibile est, quod aliquid compositionem faciat cum sua existentia: ergo inintelligibile est, se habere aliquid ad sui existentiam, velut id *quod est*, ad id *quo est*. *Major* patet ex terminis. *Probat. Minor*, omnis compositio realis conflatur ex duobus realibus extremis: sed inintelligibile est, quòd aliquid comparetur ad sui existentiam velut extremum unum ad aliud reale extremum; cum non intellectâ in aliquo existentiâ nihil ibi intelligatur reale: ergo inintelligibile est, quòd faciat aliquid compositionem realem cum sua existentia.

Respondeo negando antecedens, cujus quidem falsitatem demonstrat D. Thomas *in quodlibeto secundo*, *art.* 3. ubi habet, quòd in omni ente per participationem præter id, quod participatur, datur aliquid, quod participat; aliàs dici non posset ens per participationem, cùm non esset aliquid, quod participaret: Jam sic est, quòd id, quod participat intra lineam essendi, non est aliud, quàm id *quod est*, cùm esse id, quod est, sit esse id, quod habet, subindeque & quod participat esse: id autem, quod participatur intra lineam essendi, non est aliud, quàm id, *quo* res est, cùm esse participatum sit esse habitum, subindeque & id, *quo* res habet esse, seu id, *quo* res est: ergo intra lineam *Nota.*

essendi datur & id, quod est, & aliud *quo est*: atqui intra lineam essendi non distinguitur, nisi entitas rei existentis, & ipsius existentia: ergo falsum est, non posse aliquid se habere ad suam existentiam, velut id, *quod est*, ad id, *quo est*, ac proinde & falsum est, quòd non sit materia prima aliquid præter existentiam.

Unde ad probationem nego minorem tum secundi, tum tertii argumenti, quarum falsitatem hoc unico argumento efficaciter probo. Modus operandi sequitur modum essendi: ergo ubi linea operandi non est simplex, sed realiter composita ex duobus extremis, quorum unum se habet ut id, quod operatur, & aliud ut ipsa operatio, quâ operatur, ibi etiam debet linea essendi esse similiter composita ex duobus extremis, quorum unum se habeat ut id, quod est, seu quod habet esse, & aliud ut esse habitum: sed compositio ex ipso habente esse, & ex ipso esse habito non est alia compositio, quàm ex ipsa rei entitate, quæ existit, & ex ipsa existentia: ergo tantum abest, quòd non possit aliquid compositionem facere realem cum sui existentia, quin imo est hoc omnino necessarium, ut ex hoc colligitur discursu.

Objicies 3. Si non haberet materia prima ex se & à seipsa propriam aliquam existentiam, recipere non posset existentiam communem formæ, sive compositi: sed contrarium docent communiter Thomistæ: ergo & ex doctrina Thomistarum debet materia prima ex se habere propriam sive partialem aliquam existentiam. *Probatur Major*, receptivum exercet causalitatem aliquam erga id, quod recipitur; sed si materia prima nullam ex se haberet existentiam, seu si non aliam haberet existentiam, quàm existentiam formæ, nullam posset erga illam exercere causalitatem; ergo si materia prima nullam ex se haberet existentiam, nec posset recipere existentiam formæ & compositi. *Major* patet, cum receptivum sit ad minus materialis causa illius, quod recipitur. *Probatur Minor:* causalitas in eo omni priori, in quo causalitas est, adjunctam habet existentiam, cum hoc ipso, quod causalitas est, sit communicativa existentiæ; sed si materia prima solum existeret per existentiam formæ, in nullo priori ad talem existentiam haberet sibi existentiam adjunctam, ut ex terminis patet: ergo si materia prima solum existeret per existentiam formæ, nullam posset erga illam exercere causalitatem.

Respondeo 1. negando sequelam majoris; ad cujus probationem nego minorem; ad tertium verò distinguo majorem: cau-

causalitas in eo omni priori, in quo causalitas est; adjunctam habet existentiam, si sit causalitas efficientis causæ, Concedo: si autem sit causalitas causæ potentialis, ut Potentialis est, qualis supponitur in præsenti, Nego. Ratio autem hujus discrimnis & solutionis est, quia cum causa efficiens sit talis naturæ, quod non ordinetur, ut acquirat esse, sed potius ut illud communicet alteri, requirit per consequens ejus causalitas existentiam in causa in eo omni priori, in quo causalitas est, cum in eo omni priori sit communicativa esse seu existentiæ: è contra verò quia causa, quæ ut talis est potentialis, tendit ad acquirendum, non autem ad communicandum, consequenter fit, quod non petat ejus causalitas habere sibi existentiam adjunctam in omni priori, in quo causalitas est, cum fieri possit, ut de facto fit, quod ipsam acquirere debeat existentiam, ac proinde quod in eo priori acquisitionis, in quo ejus exercetur causalitas, non requirat jam sibi adjunctam habere existentiam.

Verum huic solutioni, quæ affertur communiter à Thomistis, nusquam ego acquiescere potui; nec enim intelligibile pro- *Nota & ponderа*
to, quòd possit causa aliqua, quæcumque illa sit, suam exercere causalitatem, & quod in eo priori, in quo exercetur causalitas, non intelligatur existens; cujus ratio (& quidem, meo judicio, irrefragabilis) est, quia omnes, quæ exercetur causalitas, sive sit causalitas materialis causæ, sive efficientis, non est haud dubiè causalitas causæ, ut adhuc extantis intra causas, sed extra illas positæ, ac proinde & est causalitas causæ existentis. Neque huic instantiæ sufficienter occurrunt Thomistæ, dicendo quod pro illo tunc, pro quo exercet materia causalitatem suam erga existentiam, non est extra omnes causas, cum ad hoc requiratur etiam forma in materia recepta, quæ quidem pro illo nec non intelligitur jam recepta; hæc enim responsio & do- *Nota.*
ctrina, instantiam adhuc patitur difficiliorem etiam in doctrina non istarum, quam sic propono: materia prima est omnino recepta extra causas pro primo illo priori, in quo est compositum, cum pro illo priori formam habeat in se receptam, ut patuerit qui pro primo illo priori, in quo exurgit compositum, exercet adhuc materia causalitatem suam erga existentiam, loquendo juxta doctrinam Thomistarum: ergo exercet materia causalitatem suam erga existentiam, etiam dum est omnino extra causas. Minorem autem probo & declaro sic: tamdiu exercet materia causalitatem suam erga existentiam, quamdiu non intelligitur recepta, sed in ipso recipi: sed etiam pro illo priori, pro quo est compositum, nondum intelligitur

existentia recepta in materia, loquendo juxta Thomistarum doctrinam: ergo juxta eorundem doctrinam pro primo illo priori, pro quo intelligitur compositum, exercet adhuc materia causalitatem suam respectu existentiæ. *Probatur Minor*, in doctrina Thomistarum non recipit materia existentiam nisi compositi & in composito: sed juxta eandem doctrinam pro primo illo priori, pro quo intelligitur compositum, non intelligitur existentia jam in composito recepta; cum velint Thomistæ, quòd etiam compositum suam exerceat causalitatem erga existentiam ad modum receptionis, & certum sit, quod illam non exerceat, nisi in illo primo priori, in quo ipsum intelligitur compositum: ergo in doctrina Thomistarum etiam pro primo illo priori, pro quo est compositum, nondum intelligitur existentia recepta in materia, sed in ipso recipi: ergo juxta eandem doctrinam exercet materia causalitatem suam respectu existentiæ etiam in primo illo priori, in quo est compositum: ergo & exercet materia causalitatem suam erga existentiam, etiam dum est extra omnes causas: ergo inintelligibile est, quòd non habeat causalitas materiæ sibi adjunctam existentiam; unde præfatâ cum sâ responsione.

Nota.

Respondeo 2. ad argumentum negando sequelam majoris; ad cujus probationem distinguo minorem sic: sed si materia prima non aliam haberet existentiam, quàm formæ & compositi, non posset erga illam aliquam exercere causalitatem, quæ causalitas sit alia ab existentiâ causata, Concedo, quod in illo casu non posset materia aliquam causalitatem erga illam sive sui existentiam, propterea quod sequeretur, tunc fore hanc existentem in aliquo priori ad talem existentiam: si autem sermo sit de causalitate erga existentiam, quæ sit ipsamet existentia, quæ causatur. Nego, quòd in hoc casu sit impossibile vel inintelligibile, quod aliquid exerceat causalitatem aliquam erga sui existentiam, seu quòd exerceat materia causalitatem erga existentiam formæ & compositi, quamvis non nisi per illam sit existens; cum verè tunc intelligatur existens, dum suam exercet causalitatem, ut patet; nec tamen illam exerceat causalitatem, nisi erga præfatam existentiam formæ & compositi. Jam verò, quòd ipsa existentia esse possit causalitas, quâ in actu secundo causatur ipsamet à causa materiali & receptiva, ostendo & probo efficaciter doctrinâ generali, quam quidem à lectore multùm pro multis notandam velim.

Nota.

Dico igitur, hoc esse generale in modis, seu in modali entitate, quod seipsa immediatè pendeat à re, quam afficit & modificat; pro-

propterea quod cum modus ex propria quidditate sit id *quo*, si non seipso immediatè penderet, sed per aliud, cum illud aliud esset etiam id *quo*, per aliud etiam penderet & reciperetur, & sic daretur processus in infinitum: Jam sic est, quod existentia ex propria ratione & quidditate est modus & modalis entitas, ut supponitur in præcenti; cum propria ejus quidditas consistat in hoc quod sit exercitium rei in linea essendi, ac proinde non tam sui est quam alterius, in quo consistit ratio propriæ modi, qui propterea dicitur inseparabilis à re modificata: ergo existentia habet, quod seipsâ & immediatè & non per aliud pendeat ab eo in quo recipitur, & quod seipsâ & non per aliud in eo recipiatur: atqui causari dicitur à causa receptiva, per hoc præcisè quod pendet ab ea in suo recipi, nec in alio consistit causalitas causæ receptivæ, quam in ipsa dependentia quoad ipsum recipi: ergo dicendum est ipsammet existentiam esse causalitatem quâ ipsâmet causatur à causa receptiva & materiali, atque ita quantumcumque exerceat materia causalitatem ergà existentiam formæ & compositi, & causalitas illa secum afferat adjunctam existentiam, non propterea sequitur quod debeat esse existens in aliquo priori ad talem existentiam per aliquam aliam existentiam quam à se habeat, cum illamet causalitas ex qua infertur quod debet esse existens, dum causat, sit ipsemet existentia formæ, utpotè quæ habet seipsâ recipi ut habet seipsâ modificare; sed sequitur ad summum, quod existentia illa quasi in fieri intellecta ipsam præcedat ut intellectam in facto esse; in quantum scilicet sub ea ratione, qua est causalitas sui ipsius in causa receptiva, consideratur tunc quasi in fieri seu recipi, & sub ea ratione quâ intelligitur causata sive recepta, consideratur in facto esse.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo Divum Thomam ita apertè favere præfatæ nostræ conclusioni, ut perpetuus sit sanctus Doctor in hac sententia, toties de existentia materiæ occurrit sermo; hanc enim primo expressè docet 1. *part. quæst. 7. art. 2. ad tertium*, ubi hæc habet: *Materia non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu sed potentia tantum unde magis est aliquid concretum, quam creatum.*

Secundò, hoc idem docet *quæst. 4. de potentia, art. 1.* ubi sic loquitur: *Quidquid in rerum natura invenitur actu existit quod dem non habet materia nisi per formam.* Hæc Divus Tho-

Thomas ex quibus argumentor sic dicens Divus Thomas quod non habet materia existentiam nisi per formam vel intendit loqui de omni existentia etiam partiali, vel solum de existentia totius seu de existentia in toto: sed dici non potest, quod ibi solum loquatur Divus Thomas de existentia solum ut in toto & totius & non de omni existentia, alias eadem ratione forma materialis in eo quod est existere, dependeret à materia, siquidem non potest esse & existere in toto separata à materia: ergo dicens Divus Thomas, non existere materiam nisi per formam; excludit à materia omnem omnino existentiam quasi ab ipsa habitam.

Tertiò, hoc idem colligo ex his quæ habet sanctus Doctor *in 2. contra gentes, cap. 43.* ubi sic discurrit: *Sicut unicuique creato convenit fieri, sic sibi convenit esse; esse autem non convenit formæ tantum, nec materiæ tantum sed composito: materia enim non est nisi in potentia; forma verò est quâ aliquid est; est enim actus; unde restat quod compositum propriè sit.* Hæc S. Doctor, ex quibus sic arguere licet.

Divus Thomas obrunum tantum assignat esse respectu entis naturalis, quod quidem primo & propriè convenit composito, & in composito convenit materiæ & formæ; sed unum illud esse supponit pro esse existentiæ nec aliud intelligit Divus Thomas per *esse* ita absolutè prolatum quam existentiam non autem subsistentiam, ut aliqui adversariorum prætendunt; aliàs dum dicit S. Doctor; *part. quæst. 17. art. 2. ad 3.* quod *in Deo tres personæ non habent nisi unum esse*, falsò illud assereret, si acciperet D. Thomas *esse* pro subsistentia, cum tres divinæ personæ habeant subsistentias: ergo assignans D. Thomas unum tantum esse in materia & forma, quod est esse compositi, unam per consequens assignat tantum existentiam; proindeque & omnem à materia excludit existentiam propriam.

Restat igitur materiam primam esse ex mente S. Doctoris puram potentiam Physicam, minimè tamen puram potentiam Metaphysicam, ut prætendunt plures ex nostris; cum loco supra citato *ex 1 p. q. 7. art. 2. ad 3.* ubi dicit S. Doctor, quod *materia est potentia tantum*, inde non arguat nec inferat, nisi & quod materia non existit per seipsam, & quod magis est aliquid concreatum, quam creatum, ac proinde nec excludat à materia ratione potentialitatis nisi actus physicos, per quorum exclusionem constituitur materia pura quidem potentia Physica, non tamen Metaphysica, ut per se patet.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA.

Vtrum forma generanda habeat esse aliquod in materia inchoatum.

Respondeo negativè contra quosdam, qui volebant, quod forma generanda præexisteret secundum eandem essentiam in materia secundum esse imperfectum, quod postea per generationem educeretur ad esse perfectum. Etenim si forma substantialis generanda ante sui generationem præexisteret in materia secundum esse imperfectum, simul etiam præexisterent eadem materia infinitæ formæ generandæ; cum sint infinitæ reproducibiles, sed videtur omnino absurdum, quod sint infinita in actu in materia, ipsam actualiter informantia, quantumvis sint vel essent in ea secundum esse tantummodo imperfectum: ergo & absurdum est dicere, quod forma generanda præexistat actu in materia ante sui generationem secundum esse imperfectum & inchoatum. Neque infringitur hæc ratio dicendo, quod solum illa dicitur inchoata in materia, quæ unico motu potest educi ex materia ut dicit Philosophus 9. *Metaphysica*; atque ita quod una solum in materia est forma inchoata, illa videlicet, quæ per actionem unam agentis deduci potest de potentia ad actum: non inquam per hoc infringitur præcedens ratio: Quæro namque, educta semel forma de potentia formali ad actum perfectum, ex quo causatur tunc forma succedens secundum illud esse suum inchoatum? vel enim causatur ex aliquo sui vel ex nihilo: si hoc secundum dicant: ergo & potest ex nihilo causari tota forma secundum totum suum esse, quantumvis genita & generanda; cum esse illud inchoatum fiat per generationem, & tamen fiat ex nihilo sui. Quod si dicant, quod esse illud inchoatum formæ deinde succedentis causatur tunc secundum præcedens forma educitur ad esse perfectum, ex aliquo sui: ergo prius cum inchoatione alterius formæ jam eductæ, ipsa etiam erat inchoata, cum tunc jam haberet aliquid sui: ergo prius quam præcedens forma esset perfectè educta, ipsa succedens forma jam erat inchoata: ergo & erat inchoata priusquam per unum motum seu per actionem unam agentis naturalis educi posset de potentia ad actum contra responsum supra addu-

adductum : ergo idem dicendum esset de aliis formis quæ educi possent ; ac proinde cum hæc sint infinitæ, essent actu in materia infinitæ formarum entitates inchoatæ, ipsam actualiter informantes, si semel admitteretur quod forma generanda sit inchoata in materia, ita quod per generationem educatur solum ad esse perfectum quæ secundum esse imperfectum & inchoatum actu præexistebat in materia.

Dices, videri inde sequi, quod productio formæ genitæ creatio sit, non generatio ; cum generatio sit productio rei ex aliquo sui ad differentiam creationis quæ est productio rei ex nihilo, & in hoc casu produceretur naturalis forma ex nihilo, cum secundum nihil sui præexisteret in materia.

Respondeo Negando hoc inde sequi : creatio namque non differt à generatione per hoc quod sit quomodocumque productio ex nihilo, sed per hoc quod sit productio & fieri rei ex nihilo simpliciter loquendo, adeo ut non tantum dicat res creata non fieri ex subiecto tanquam ex parte sui, sed etiam non fieri ex subjecto tanquam ex eo in quo & dependenter à quo fiat ; aliàs creatio non esset ex natura sua *actio omnium prima*, cum præsupponeret subjectum, subindeque & actionem quâ subjectum esset positum in rerum natura ; cum ergo generatio formæ, quamvis secundum nihil sui nec perfectum nec inchoatum præexistat forma in materia, adhuc tamen præsupponat subjectum, non quidem tanquam partem formæ genitæ, sed ut subjectum in quo & dependenter à quo generatur, consequenter fit quod talis productio formæ adhuc generatio sit, non creatio. Neque dicas, quod anima rationalis fit etiam simili modo ex materia, cum subjectum præsupponat in quo recipitur ; nec tamen propterea generatur : ad hoc enim respondetur, quod in creatione & productione animæ rationalis duæ sunt mutationes, largè loquendo de mutationibus. Prima est mutatio à simpliciter non esse ad esse ; & ut sic nullum ad ejus productionem concurrit subjectum vel materia : Secunda verò mutatio est à non esse unitum materiæ ad esse unitum, & quantum ad hoc concurrit materia seu subjectum : attamen quia non hæc sed prima mutatio intelligenda venit sub hoc nomine *productio* animæ, cum prima solum terminetur simpliciter ad esse, consequenter fit quod ad productionem animæ, in quantum productio est, nullum concurrat nec præsupponatur subjectum in quo & dependenter à quo fiat, ad differentiam formæ genitæ.

Nota.

Dices 2. Forma hoc ipso quod genita, fieri debet ex aliquo : sed illud aliquid ex quo fieri debet, non potest supponere pro sub-

jecto, seu pro materia; cum materia sit unum ex principiis
is naturalis, & ex definitione quam tradit Philosophus de
ncipiis, principia sunt quæ non fiunt *ex alterutris*: ergo for-
à hoc ipso quod genita fieri debet ex aliquo sui, subindeque
debet in materia præexistere secundum aliquod esse inchoa-
m sui.

Respondeo Negando Minorem; ad cujus probationem dico,
uod ly *esse & fieri ex alterutris* potest dupliciter intelligi, & fa-
ere duplicem sensum. Primò quidem assumi potest dictum il-
id in sensu transitivo, ita quod unum principium transeat in
liud, sicut dicitur transire materia in compositum; & sic verum
st dictum illud Philosophi, quod principia non fiunt ex alte-
uttris, nec quod forma genita fit ex materia: alio verò modo
ntelligi potest & assumi: hoc quod refertur dictum, illud scili-
cet assumendo in sensu etiam intransitivo, qui quidem verifi-
atur sensus, quando illud ex quo fit non transit in id quod fit, ita
ut fiat pars ejus, sed est solum quasi subjectum factionis ejus; &
in hoc sensu nego quod principia non fiant ex alterutris seu
quod forma genita fieri non possit ex materia;.

Dices 3. Quod libro primo Physicorum dicit Philosophus,
quod non ex quolibet fit quodlibet, sed ex determinato fit deter-
minatum, ita quod omnia quæ fiunt à natura, à principio fiant
determinato: sed principium illud ita determinatum supponere
non potest pro ipsa materia, cum sit hæc in potentia & indif-
ferens ad tot & tam diversas formas: ergo principium illud de-
terminatum ex quo fit forma esse debet aliquid ipsius, ratione
cujus generatio ad istam potius terminetur formam, quam ad
aliam; & quod proinde præexistat in materia inchoatum.

Respondeo, Quod quando dicitur quod non ex quolibet fit
quodlibet, & quod non nisi ex determinato fit determinatum,
hoc ideo est & ideo dicitur, quia est principium aliquod dispo-
sitivum, ratione cujus fit hoc determinatè, & non aliud, adeo ut
ratio quare ex semine Leonis non generetur forma asini, est
quia ibi sunt tantum dispositiones ad illam formam, & non ad
aliam; atque ita quod non nisi ex determinato fiat determina-
tum, hoc quidem probat non posse ex materia nudè sumpta fie-
ri & generari determinatam formam, non tamen probat quod
fieri non possit ex materia, si in ea sint aut fuerint determinatæ
dispositiones ad talem formam.

Dices 4. Nullum agens finitum potest supra distantiam infi-
nitam, quia nihil potest supra majus se: sed inter ens & nihil est
distantia infinita; cum contradictoria sint, subindeque & in nullo

con-

conveniant : ergo non potest agens naturale formæ tribuere rationem entis, quæ prius nihil esset : sed si non præexisteret in materia secundum aliquod esse inchoatum sui, hoc sequeretur, ita quod tribueret tunc agens naturale rationem entis formæ, quæ prius nihil erat : ergo debet forma quæ generatur, præexistere in materia secundum aliquod esse inchoatum sui.

Respondeo ad hoc, quod distantia infinita est duplex, quædam scilicet positiva per positionem infinitæ perfectionis in altero extremo, & alia negativa per negationem omnis omnino convenientiæ terminorum : prima distantia est inter Deum & creaturam ; secunda vero inter duo contradictoria. Jam autem dico quod supra primam nullum agens potest ; attamen supra secundam bene potest agens sive finitum, sive infinitum ; cum ad hoc sufficiat posse finitum quid, & illud posse ponere in rerum natura, cum antea non esset, ut consideranti patebit. Restat igitur posse agens naturale generare formam ex nihilo sui, seu quæ nihil habeat sui in materia inchoatum, quod quidem potest hac ratione confirmari, dicendo scilicet, quod in gradibus essentialiter ordinatis quæ sunt ejusdem rationis, agens quod continet in sua virtute inferiorem gradum, continet etiam superiorem, licet non è converso ; licet enim agens quod potest producere animal, non propterea debeat posse producere hominem, si tamen vim & virtutem habeat producendi hominem, qui se habet ad animal sicut gradus inferior ordinatus essentialiter ad superiorem, habet per consequens posse producere & animal, ut patet : jam sic est quod gradus formales unius formæ sunt ejusdem rationis & essentialiter ordinati ; cum unus sit in potentia ad alterum : ergo agens in sua continens virtute posteriorem gradum, continet per consequens & priorem : sed agens naturale vim habet producendi formam secundum gradum ultimum, utpote qui ille est qui dicitur perfectus, quique non supponitur inchoatus : ergo & idem naturale agens habet posse causare eandem formam secundum primum gradum, ac proinde & formam educere de materia, quæ secundum nullum sui gradum materia præexistat.

Nota,

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Vtrum materia prima possit divinitùs existere sine forma.

PRæmittendum primo. Formam interdum sumi pro figura ; aliquando pro habitu corporis & pulchritudine ; aliquando etiam pro quacumque perfectione sive substantiali sive accidentali. Hic verò sumitur pro eo genere substantiæ partialis, quæ materiæ primæ advenies, ipsamque actuans seu informans, cum ea constituit corpus naturale talis vel talis speciei. Hanc autem talem dari & admitti debere formam ex eo colligi potest, quod alioqui non posset assignari principium diversitatis specificæ & essentialis inter corpora naturalia, unde etiam fluerent proprietates diversæ, nec assignari posset, unde aqua calida verbi gratia sese ad proprium frigus reduceret. Huc adde ex Concilio Lateranensi, hominem constitui in esse hominis per animam rationalem, tanquam per formam propriè informantem : quod a pari per proportionem de aliis æstimandum est. Hinc consequenter hæc afferri potest definitio formæ substantialis, puta quod sit actus primus substantialis materiam primam informans, & cum ea constituens essentiam corporis naturalis sub tali vel tali specie, estque principium operationum ac proprietatum quæ in eo reperiuntur, porrò ex hac formæ definitione videtur ortum habere proposita quæstio, an scilicet possit materia divinitùs existere sine forma. Ex hoc enim quod est forma actus primus substantialis ipsius materiæ, videtur sequi, non posse materiam aliquem habere actum participatum priusquam ipsam in se receperit formam ; cumque esse non possit existens nisi per actum existentiæ participatum, tum quia ut in quæstione præcedenti ostendimus non habet a se & ex propria entitate quod sit existens, tum quia nihil creatum potest sibi identificare suam existentiam ut demonstravimus in Metaphysica in quæstione de ente essentiæ & existentiæ, sequi videtur de primo ad ultimum ex præfata formæ definitione non posse materiam existere sine forma, & hoc non tantum naturaliter, quod quidem concedunt omnes, ex eo scilicet quod cum nullum agens naturale per se intendat corruptio-

nem & exclusionem formæ à materia, sed introductionem novæ formæ, ad quam sequitur expulsio præcedentis, fit quod virtute nullius agentis naturalis expellitur aliqua forma substantialis à materia quin simul alia introducatur, & ita quod naturaliter nunquam esse possit sine omni forma, sed nec etiam divinitus possit sine omni forma existere.

Præmittendum secundò, pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii, puta quod *materia est essentialiter potentia ad formam*; quod *ens dependens à forma ut forma est, non aliud esse potest quam materia*; quod *non potest ordo essentialis à Deo inverti*. Ratio autem primi est, quia materia est essentialiter id quod est ex sua definitione, utpotè quæ sive in materia sive in quovis alia adducitur ad explicandum, quantum fieri potest, essentiam & essentialia rei: jam sic est, quod materia ex definitione quæ de ea tradi solet habet esse potentia ad formam; solet enim materia definiri substantia partialis, quæ formam substantialem in se tanquam in subjecto recipiens cùm eâ constituit corpus naturale; puta hominem, equum, arborem, &c. Ergo materia est essentialiter potentia ad formam.

Quantum verò ad secundum, puta quod ens dependens à forma ut forma est, non aliud esse potest, quam materia ratio est; quia non aliter habetur dependentia à forma ut forma est, quam media informatione, adeo ut in tantum sit aliquid dependens a forma substratione & munere formæ, in quantum ab ea informatur, cum in informatione consistat proprium formæ munus, ut per se patet; jam sic est quod sola materia habet posse informari a forma; cum forma per informationem constituat corpus naturale, utpotè exercens tunc rationem principii ejus intrinseci, & non nisi cum materia habeat posse tale constituere corpus utpotè quæ est aliud comprincipium intrinsecum: ergo ens dependens à forma ut forma est, seu sub ratione & munere formæ, non aliud esse potest quam materia.

Tandem quantum ad tertium, puta quod non possit ordo essentialis a Deo inverti, præterquam quod ex hoc sufficienter colligitur communi dicto, *essentiæ rerum sunt immutabiles*, potest præterea colligi ex eo, quod virtus activa causæ cujuslibet cum fundetur & radicetur super entitatem sive actualitatem causæ cujus est activa virtus, non potest consequenter se ad ea extendere quæ cadere non possunt sub ente; cum autem sub

ente

ente cadere non possit quod aliquid sit & simul non sit, vel quod sit tale & non sit tale, sequitur, non posse Deum aliquid facere in quo hujusmodi involvatur contradictio : jam sic est quod si posset Deus invertere & mutare essentialia in re aliqua, tunc illa essent essentialia, ut supponitur, & simul non essent essentialia ; cum iis abeuntibus & perquatibus res adhuc permaneret sub alio statu, sive sub aliis prædicatis essentialibus, quod quidem proprium est prædicati accidentalis, non essentialis ut potè quod definiri solet quod potest adesse vel abesse à re sine rei corruptione : non ergo potest Deus invertere & mutare essentialia rei alicujus, nec consequenter invertere ordinem qui est essentialis. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit

Conclusio : *Non potest materia etiam divinitus existere sine omni forma.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio : *Materia est essentialiter potentia ad formam* : ergo non potest materia etiam divinitus existere sine omni forma. *Probatur consequentia* : non potest materia esse essentialiter potentia ad formam & non prius recipere formam quam existentiam : ergo hoc ipso quod materia est essentialiter potentia ad formam, non potest etiam divinitus existere sine omni forma. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens* : non potest materia non prius recipere quod prius respicit ; sed hoc ipso quod est essentialiter potentia ad formam, prius respicit formam, quam existentiam & quodvis aliud : ergo non potest materia esse essentialiter potentia ad formam & non prius recipere formam, quam existentiam. *Minor* conceditur & per se patet ; cum enim essentialia sint omnino priora in re, & hoc ipso quod materia est essentialiter potentia ad formam, eam respiciat respectu sibi essentiali, consequenter fit, quod non possit hoc ipso non prius respicere formam. *Probatur Major*, quod aliud respicit ut ejus receptivum, non potest non prius recipere illud quod prius respicit ; cum tunc respiciat ex eo quod recipit : sed non aliter respicit materia quam ad modum receptivi ; cum sit essentialiter receptiva, hoc ipso quod est essentialiter potentia : ergo non potest materia non prius recipere illud quod prius respicit : ergo hoc ipso quod materia prius respicit formam quam existentiam, non potest non prius recipere formam quam existentiam : ergo hoc ipso quod materia est essentialiter potentia ad formam, non potest non prius recipere formam quam existentiam :

ergo hoc ipso quod materia est essentialiter potentia ad formam, seu essentialis potentia formæ [quod est primum præmissum principium] non potest hoc ipso materia existere etiam divinitùs sine omni forma.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio: *Ens dependens à forma ut forma, seu subratione & munere formæ, non aliud esse potest quam materia:* Ergo materia existere non potest etiam divinitus sine omni forma. *Probatur consequentia:* ens sine forma existens pendere non potest a forma, ut forma est; ergo hoc ipso quod sola materia habet pendere a forma ut forma, non habet hoc ipso materia posse existere sine forma. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens:* pendere à forma ut forma est, est pendere ab ea ut est actus simpliciter substantialis: sed non potest ens sine forma existens pendere à forma ut est actus simpliciter substantialis: ergo ens sine forma existens pendere non potest à forma, ut forma est. *Major* est evidens. *Probatur Minor:* forma hoc ipso quod est actus simpliciter substantialis, debet tribuere esse quod sit simpliciter substans; sed enti sine forma existenti nequit tribuere esse, quod sit simpliciter substans: ergo nec potest ens sine forma existens pendere à forma ut est actus simpliciter substantialis. *Major* est evidens; forma namque est, quæ dat esse rei, hoc ipso quod est actus; ac proinde hoc ipso quod est actus simpliciter substantialis debet tribuere esse, quod sit simpliciter substans. *Probatur Minor*, ut *esse* aliquod sit simpliciter substans, debet esse substans omnibus aliis *esse*; aliàs si aliquibus substet, & aliis non substet, æquè dici poterit simpliciter loquendo, quod non sit substans, ac quod sit substans: sed enti existenti aut potenti existere sine forma, tribuere nequit forma hujusmodi esse, quod scilicet sit substans omnibus aliis esse; cum hujusmodi esse sit primum illud *esse* quo res simpliciter est, quod quidem nequit forma tribuere enti sine illa existenti: ergo enti sine forma existenti nequit forma tribuere esse, quod sit simpliciter substans: ergo ens sine forma existens pendere non potest à forma ut est actus simpliciter substantialis: ergo ens sine forma existens pendere non potest à forma ut forma: ergo hoc ipso quod ens à forma dependens ut forma est, non aliud est quam materia [quod est secundum præmissum principium] non potest hoc ipso materia esse ens sine forma existens.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio: *Non potest ordo essentialis à Deo inverti:* ergo non potest materia existere etiam divinitus sine forma. *Probatur consequentia:* omnis materiæ existen-

ſtentia ſubordinatur eſſentialiter formæ receptæ : ergo hoc
o quod non poteſt ordo eſſentialis à Deo inverti, nec poteſt
c ipſo fieri à Deo, quod exiſtat materia ſine forma recepta.
nſequentia eſt evidens. *Probatur antecedens* : ens individua-
Phyſicum ſubordinatur eſſentialiter enti ſpecifico Phyſico :
d omnis exſtentia materiæ eſt de pertinentibus ad ejus eſſe
dividuale Phyſicum, ut conceditur ; forma verò ut recepta eſt
pertinentibus ad ejus eſſe ſpecificum Physicum : ergo om-
s materiæ exiſtentia ſubordinatur eſſentialiter formæ rece-
æ. *Major* eſt evidens ; omnis namque individualis gradus eſt
oc ipſo quod talis & eſſentialiter individualis gradus alicujus
adus ſpecifici ; ac proinde & illud eſſentialiter ſupponit, ſub-
deque & eſſentialiter ſubordinatur. *Probatur Minor* : quoad
cundam partem, de qua ſola dubitari poſſet, ſi eſſet in ea & de
dubitandi locus materia ex ipſo adverſariorum ore Phyſicè
mpta eſt tantum pars, cum tamen Metaphyſicè ſumpta ſit
uoddam totum, conflatum ſcilicet ex gradu communi & diffe-
ntiali : ergo eſſe ſpecificum Phyſicum materiæ ſitum eſt in
oc quod ſit pars intrinſeca talis naturæ, ſeu entis naturalis ta-
s ſpeciei : atqui conſtituitur ens naturale in eſſe talis naturæ &
alis ſpeciei per formam ut receptam : ergo forma ut recepta eſt
e pertinentibus ad eſſe ſpecificum Phyſicum ipſius materiæ :
rgo eſſe individuale Phyſicum materiæ ſubordinatur eſſentia-
iter formæ receptæ : ergo omnis materiæ exiſtentia ſubordina-
ur eſſentialiter formæ ut receptæ : ergo hoc ipſo quod non
oteſt ordo eſſentialis à Deo inverti [quod eſt tertium præmiſ-
ùm principium] non poteſt hoc ipſo materia exiſtere etiam
divinitus ſine forma.

Solvuntur objectiones.

Videantur aliæ fundamenta in ſolutionibus objectorum.

Objicies 1. Id omne, quod non repugnat eſſentiæ rerum fieri & poni poteſt divinitus : ſed quod exiſtat materia ſine forma, id non repugnat eſſentiæ materiæ : ergo poteſt materia exiſtere divinitus ſine omni forma. *Major* conceditur. *Probatur Minor* : materia ex ſui eſſentia eſt & petit tantum eſſe pura potentia Phyſica : ſed non repugnat eſſentiæ potentiæ puræ Phyſicæ, quod exiſtat ſine omni forma : ergo neque id repugnat eſſentiæ materiæ. *Probatur Minor*, illud tantum repugnare dicitur eſſentiæ rei alicujus, quo poſito non ſalvatur ſed deſtruitur ejus conceptus ; ſed cum hoc quod exiſteret pura potentia Phyſica, ſine omni forma, adhuc ſalvaretur ejus conceptus :

ergo non repugnat essentiæ potentiæ puræ Physicæ, quod existat sine omni forma. *Probatur Minor*: potentia pura Physica potest tantum ex suo conceptu, quod nullum sibi identificet actum Physicum: sed potest existere sine omni forma, absque eo quod actum sibi identificet Physicum; cum existeret in hoc casu, aut saltem posset existere recipiendo existentiam, non autem sibi eam identificando: ergo cum hoc quod existeret pura potentia physica sine omni forma, adhuc salvaretur ejus conceptus.

Nota. *Respondeo* Negando Minorem primi & secundi argumenti, quarum falsitas & colligitur ex dictis supra in probando conclusionem, & potest ulterius colligi & deduci à simili. Etenim sicut intellectus secundum se sumptus est pura potentia in genere intelligibili, ut conceditur, cum habeat se indifferenter ad omnem formam intelligibilem, ita & materia prima secundum se sumpta est pura potentia in genere physico: Jam sic est, quod quia intellectus est quantum est ex se pura potentia in genere intelligibili, ejus repugnat essentiæ in tali genere, & omnino impossibile est, quod eliciat & recipiat intellectionem, quæ in eodem genere intelligibili est ultima actualitas, nisi fiat capax illius mediâ specie intelligibili, quæ est quasi primus ejus actus in tali genere: ergo & repugnare debet essentiæ potentiæ puræ Physicæ quod existentiam recipiat, quæ est ultima ejus actualitas in genere Physico, quin prius fiat capax illius per receptionem formæ,

Nota. quæ est primus ejus actus in genere Physico, ut potè quæ constitutiva est speciei, atque materiam reducit ad esse talis speciei Physicæ. Unde ad tertium nego similiter minorem: ad quartum vero respondeo primo negando majorem: non enim dicit tantum potentia pura Physica ex conceptu suo essentiali, quod nullum sibi identificet actum, sed etiam quod actus cum quibus non identificatur recipiat ordine quodam, adeo ut prius primũ recipiat, quam secundum & ultimum: cum enim talis potentia respiciat essentialiter hujusmodi actus cum tali ordine, & illos respiciat per modum receptivi, non potest per consequens eos non recipere cum tali ordine ex conceptu suo essentialiter: sed sic est, quod si pura potentia Physica existeret sine omni forma, non salvaretur tunc talis ordo in receptione hujusmodi actuum, ut per se patet, cum prius tunc reciperet secundum, quam primũ, seu existentiam quam formam: ergo si existeret pura potentia Physica sine omni forma non salvaretur tunc conceptus ejus essentialis secundum id totum quod dicit, dato quod adhuc salvaretur, quod nullum sibi identificaret actum. Vel secundo

datâ & concessâ majori illa propositione nego minorem, putà quod in hoc casu potentia illa nullum sibi propterea identificet vel identificatet actum; cujus ratio est quia hoc ipso quod existeret sine forma esset consequenter ex se & secundum se capax actualitatis ultimæ sive actus secundi Physici: Jam sic est quod solus actus primus, vel quod illum recipit, aut quod eum sibi identificat, esse potest capax actus secundi: ergo cum in præfato casu potentia illa non recepisset actum primum, qui non alius est quam forma, ut sæpe diximus, deberet consequenter eum sibi identificare, & ita fieri alterius naturæ & essentiæ.

Instabis: quantumvis sit materia prima pura potentia ad formam, adhuc potest Deus supplere vices formæ in tribuendo illi existentiam: ergo quantumvis sit materia prima pura potentia, adhuc potest divinitus existere sine formâ. *Probatur Antecedens*, hoc ipso quod in pura aliqua potentia potest Deus supplere actum primum in tribuendo actum secundum, potest hoc ipso & supplere in materia vices formæ in tribuendo existentiam: sed in pura aliqua potentia potest suplere Deus actum primum in tribuendo actum secundum: ergo & in materia quamvis pura potentia potest supplere Deus vices formæ in tribuendo illi existentiam; *Major* est evidens; cum se habeat forma ad existentiam sicut actus primus ad actum secundum. *Probatur minor*, intellectus est pura potentia in genere intelligibili; sed potest Deus suplere primum ejus actum, ut tribuatur ei actus secundus: ergo & in pura aliqua potentia potest supl re Deus actum primum in tribuendo actum secundum. *Major* fuit concessa in præcedenti solutione. *Probatur Minor*, actus primus intellectus in genere intelligibili est ipsa species intelligibilis, & actus secundus & ultimus est intellectio: sed potest Deus suplere, imo & de facto suplet in visione beatifica speciem ipsam intelligibilem pro habenda & elicienda intellectione: ergo & potest Deus suplere actum primum ipsius intellectus ut est pura potentia, & illum suplendo tribuere illi actum secundum.

Respondeo negando antecedens: ad cujus probationem distinguo majorem: hoc ipso quod in pura aliqua potentia potest suplere Deus actum primum in tribuendo actum secundum, potest hoc ipso & suplere in materia vices formæ in tribuendo existentiam: si actus ille primus quem suplet in pura illa potentia rationem habeat actus intrinseci & informantis. Concedo majorem: si autem solum rationem habeat actus,

non intrinseci & informantis, sed magis extrinseci & superadvenientis, Nego, quod propterea supplere possit Deus in materia vices formæ in tribuendo existentiam, cum forma rationem habeat non solum actus primi, sed actus primi intrinseci & intrinsecè informantis. Jam sic est, quod actus ille primus, cujus vices suplet Deus, puta species intelligibilis, non est quantum est ex se & ex propria ratione speciei, nisi actus extrinsecus & superadveniens, non autem intrinsecus & intrinsecè informans; tum quia hujusmodi species est quasi vicaria objecti, quod hoc ipso quod objectum est, petit solum extrinsecè uniri; tum quia species illa intelligibilis non ordinatur sicut forma ad constituendum sed ad ipsum complendum constitutum: Non ergo sequitur; posse Deum suplere in materia vices formæ in tribuendo existentiam, quamvis in pura potentia intelligibili possit vicibus fungi actus primi, eumque ita suplendo illi tribuere actum secundum.

Urgebis: facere Deum, quod existat materia per existentiam non provenientem à forma, est suplere in materia vices formæ in tribuendo existentiam: sed potest Deus facere, quod existat materia per existentiam non provenientem à forma: ergo & potest Deus suplere vices formæ in tribuendo existentiam materiæ. *Major* videtur certa ex terminis. *Probatur Minor*, facere Deum quod existat materia per existentiam divinam, est facere quod existat per existentiam non provenientem à forma; sed potest Deus facere quod existat materia per existentiam divinam, imo ex Divo Thoma 3. *part. quæstione* 17. *articulo* 2. hoc fecit Deus in materia humanitatis Christi: ergo potest Deus facere quod existat materia per existentiam non provenientem à forma.

Respondeo negando majorem; aliud enim est, posse Deum facere, quod existat materia per existentiam non provenientem à forma, & aliud quod possit suplere vices formæ in tribuendo existentiam materiæ; suplere namque vices formæ in tribuendo existentiam materiæ, est facere, non tantum quod non existat materia ex forma, sed etiam quod existat sine forma cum tamen ad faciendum quod existat materia per existentiam non provenientem à forma, sufficiat quod existentia quam habet cum forma in ipsa recepta non proveniat ex forma in ipsa habita & recepta; unde licet possit Deus facere, quod existat materia per existentiam non provenientem à forma, non tamen sequitur quod possit propterea suplere formam in tribuendo existentiam materiæ. *Nota.*

Quia

Quia vero in hoc præcipuus est difficultatis hujus nodus, ideo ad pleniorem intelligentiam notandum est, dependentiam materiæ a forma in rerum natura esse duplicem, connaturalem unam, quæ propterea suplebilis est à Deo, & alteram essentialem, quæ suplere non potest; primo quidem dependet connaturaliter materia a forma in existendo, in quantum formam exigit, ut ab ea dimanet existentia, per quam totum compositum & illius partes existant; Hæc tamen dependentia est à Deo suplebilis, quia scilicet potest existentia recreata sicut & subsistentia terminare naturam creatam, & reddere consequenter materiam in tali natura existentem & subsistentem; unde si ex hoc solum capite colligeretur dependentia materiæ à forma in existendo, vere supplere posset Deus & auferre hujusmodi dependentiam; at præter talem dependentiam est alia quæ sequitur ad ipsam essentiam materiæ, formæ, & existentiæ, quæ propterea essentialis est & insuplebilis à Deo, & est illa dependentia, quâ dependet materia a forma in gradu suo specifico Physico, sive in eo quod sit talis speciei Physicæ, quod quidem solum habere potest per formam, ut concedunt omnes; ex hac enim dependentia aperte sequitur, non posse materiam intelligi sub gradu individuali Physico, nec consequenter sub existentia, priusquam intelligatur sub forma per quam assequitur gradum suum specificum Physicum.

Urgebis ultimo: dependentia accidentis à subjecto est major, quam dependentia materiæ à forma; sed hac non obstante dependentia potest accidens existere divinitus sine subjecto: ergo a fortiori & poterit materia præfatis non obstantibus dependentiis existere divinitus sine forma. *Minor* conceditur. *Probatur Major*, non potest causatum qua tale non magis dependere quam causa qua talis: sed accidens comparativè ad subjectum habet semper rationem causati; materia vero comparativè ad formam semper est causa, scilicet materialis; cum semper sit receptiva formæ in sinu suo: ergo dependentia accidentis à subjecto esse debet major, quam dependentia materiæ à forma. *Nota.*

Respondeo 1. retorquendo argumentum sic: dependentia accidentis à subjecto est major, quam dependentia rei à suo actu, cum accidens comparativè ad subjectum semper habeat rationem causati, res vero comparativè ad actum suum semper sit causa, materialis scilicet & receptiva: sed accidens potest esse in actu sine subjecto: ergo & poterit res esse in actu sine suo actu, quod tamen est falsissimum, alias esset in actu sine actu

quod implicat in terminis: sicut igitur ex eo quod potest accidens esse in actu sine subjecto, non propterea sequitur quod possit res aliqua quæcumque illa sit, esse in actu sine actu suo, propterea quod ipsius actus est id quo est in actu, cum tamen subjectum non sit nec esse possit id quo accidens est in actu, quia esse non potest actus ipsius quantacumque sit dependentia accidentis ab ipso subjecto: Ita a pari quamvis possit accidens existere sine subjecto, non propterea sequitur quod possit materia existere sine forma, licet absolutè & simpliciter loquendo magis dependeat accidens a subjecto quam materia à forma, propterea quod ipsa forma est virtualis existentia ipsius materiæ, cum sit primus ejus actus, proindeque & id quo materia sit capax actus secundi & ultimi qualis est existentia, cum tamen ipsum subjectum in nullo sensu & sub nulla ratione dici possit existentia accidentis, quantacumque sit dependentia accidentis ab illo, ex eo scilicet quod cum accidens sit essentialiter actus, est per consequens seipso capax ipsius existentiæ actus. Unde

Respondeo 2. magis dependet accidens à subjecto quam materia à forma, loquendo simpliciter & absolutè, Concedo, propterea quod cum à subjecto pendeat emanativè sive in emanatione sui, pendet consequenter ab eo quantum ad entitatem sui, subindeque & absolutè & simpliciter; quod tamen verificari nequit de materia erga formam: magis dependet accidens à subjecto, quam materia a forma, loquendo quantum ad esse tale, puta in existendo, Nego: cum enim dependere in existendo, sit dependere quantum ad hoc quod est esse in actu, non potest per consequens non magis dependere materia à forma quam accidens a subjecto, cum pendeat materia a forma tanquam ab actu, & actu sui primo, quo constituitur & reducitur ad talem speciem Physicam, subindeque & quo fit capax actus secundi & ultimi, ac pertinentis ad esse individuale Physicum, qualis est existentia, cum tamen nullum & neutrum illorum exerceat subjectum comparativè ad accidens; ad hoc autem quod affertur in probationem respondetur similiter, hoc probare quidem magis pendere accidens à subjecto loquendo entitativè & simpliciter, quam materiam à forma, non tamen loquendo quantum ad esse existentiæ; cum respectu existentiæ non tam habeat forma rationem causati, quam rationem formalis causæ, atque ita & recipi debeat in materia tanquam id quod est ipsi materiæ ratio existendi,

Quæ-

Quenam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo Divum Thomam variis in locis hanc nostram doctrinæ conclusionem, quam propterea tenent omnes Thomistæ. Primò quidem hanc expresse docuit sanctus Doctor 2. *part. quæst.* 66. *art.* 1. ubi sic discurrit : *Si materia in formis præcessit durationem, hæc jam erat in actu: hoc enim duratio importat, creationis autem terminus est ens actu ; ipsum autem quod est actus est forma: dicere igitur materiam præcedere sine forma est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem.*

Hæc Divus Thomas, qui idem, & clarius adhuc repetit *quodlib.* 3. *art.* 1. dicens : *Quod aliquid simul sit & non sit, à Deo fieri non potest, neque aliquid contradictionem involvens, & hujusmodi est materiam esse in actu sine forma ; omne enim quod est actu, vel est ipse actus, vel est potentia participans actum : esse autem actum repugnat rationi materiæ, quæ secundum propriam rationem est ens in potentia ; relinquitur ergo quod non possit esse in actu nisi in quantum participat actum: actus autem participatus à materia nihil aliud est quam forma ; unde idem est actu, materiam esse in actu & materiam habere formam , dicere ergo quod materia sit in actu sine forma est dicere contradictoria esse simul.* Hæc ibi Divus Thomas, in quibus nedum expresse docet præfatam nostram conclusionem , sed & eam efficaciter probat.

Dices, Divum Thomam ibi solùm velle non posse materiam esse in actu formali sine forma: ergo non rectè exinde colligitur, non posse materiam esse in actu existentiæ sine forma. *Probatur antecedens,* ideo vult ibi sanctus Doctor non posse materiã esse in actu sine forma, quia forma est actus ipsius materiæ; sed forma non est nisi actus formalis materiæ, non autem actus existentiæ, ut conceditur, & patet in humanitate Christi , in qua habebat materia suum actum formalem per animam, & suam existentiam per verbum : ergo Divus Thomas vult solum in præfatis locis, non posse materiam esse in actu formali sine forma, non autem ibi intendit loqui de actu existentiæ.

Respondeo negando antecedens, cujus falsitatem ex duobus aut tribus aperte colligo ; & quidem primo ex eo quod Divus Thomas loco primo relato, ubi negat esse posse materiam

riam ens in actu sine forma loquitur de ente in actu, quod est creationis terminus, ut patet ex verbis relatis: jam sic est quod ens in actu, quod est creationis terminus, est ens in actu existentiæ; cùm creatio sicut & quævis alia productio terminetur ad existentiam effectus, sive ad effectum ut existentem, utpote quem ponit extra causas: ergo negans ibi Divus Thomas, esse posse materiam in actu sine forma, intendit etiam loqui de materia prout in actu existentiæ. Secundò, hoc idem colligo ex eo quod in eodem loco primo relato negat Divus Thomas esse posse materiam in actu sine forma, quia negat posse ipsam præcedere formam duratione: ergo excludit a materia actum illum qui deberet materiæ convenire, ut præcedenti formam duratione: sed actus qui deberet ita materiæ competere ut præcedenti formam duratione, non alius intelligendus venit, quam actus existentiæ, nec potest venire intelligendus ipse actus formalis, ut ex terminis patet, ergo negans sanctus Doctor esse posse materiam in actu sine forma, intendit ibi loqui de actu existentiæ. Tertiò, demum id colligo ex eo quod cum actus existentiæ sit actus ultimus & completivus intra lineam substantiæ, actus vero formalis sit actus primus, specificativus & tribuens esse simpliciter, est per consequens subordinatio essentialis inter ipsum existentiæ actum, & actum formalem: ergo cum velit sanctus Doctor ex ipso etiam adversariorum ore non posse materiam esse in actu formali sine forma, non potest hoc ipso non velle, quod nec etiam in actu existentiæ esse possit materia sine forma.

QUÆSTIUNCULA.

Utrum materia sub una existens forma habeat appetitum ad alias.

Respondeo pro quæsiti declaratione, quod cum materia prima ex se & ex sua natura proportionem habeat cum omni forma substantiali, utpote quæ est ex se potentia substantialis, & potentia pura Physica, quæ propterea non habet ex se ex quo magis & majori proportione inclinet ad unam quam ad aliam, ideo dicendum est, materiam ex se indifferenter appetere formas omnes substantiales, sub ratione communi formæ amissibiliter vel inamissibiliter

recep-

receptibilis in materia; unde si materia recipiat formam inamissibiliter, ut materia cœli ipsam recipit formam cœli, tunc non appetit aliam formam: materia autem, quæ aliquam recipit formam amissibiliter, licèt talis forma sit perfectissima, quam potest recipere, ut si recipiat animam rationalem, adhuc sub tali forma existens, alias appetit formas; cujus ratio est, quia quantumcumque sit existens sub una forma, adhuc appetit sui conservationem; sed conservationem sui non potest consequi sub illa forma, sub qua est existens, utpote quæ supponitur amissibiliter recepta: ergo ut est existens sub illa forma, quantumvis perfectissima, adhuc alias appetit formas.

Dices 1. quòd sequeretur inde, appetere materiam primam corruptionem & destructionem compositi & formæ, quam habet; sed hoc dici non potest, cum talis appetitus materiæ sit appetitus naturæ, seu naturalis & innatus, & natura appetere non possit corruptionem sui, cum ad sui conservationem naturaliter tendat: ergo dici non potest, quòd materia sub una existens forma appetitum habeat ad alias formas.

Respondeo, non esse inconveniens, materiam appetere per accidens corruptionem compositi & formæ habitæ; cum id omne, quod est per accidens, non sit de intentione naturæ, sed præter ejus intensionem, atque ita minimè exinde sequatur, quòd natura in tali materiæ appetitu intendat corruptionem & destructionem sui: Jam sic est, quòd appetens materia corruptionem compositi & formæ, quam habet in appetitu aliquam formarum, illam non appetit nisi per accidens, non autem per se, cum illam appetat, eo quod per se appetit introductionem novæ formæ, ad quam requiritur corruptio compositi præexistentis: non ergo ex tali appetitu materiæ aliquod quitur inconveniens. *Nota.*

Dices 2. quòd non potest materia suum appetere malum: d hoc videtur si qui, si materia existens sub forma perfecta, rbi gratia, sub anima rationali aliam appeteret formam: ergo materia sub una existens forma aliam non appetit.

Respondeo negando minorem: melius enim est materiæ exire sub alia & alia forma imperfectiori, quàm esse sub forma fectiori, & aliam non appetere; cujus ratio est, quia melius ud dubie est materiæ esse sub alia & alia forma imperfectiori, àm esse sub perfectiori, & posse naturaliter omnino desinere in rerum natura: sed sic est, quòd si materia existens sub ma perfectiori aliam non appeteret, posset, etiam naturaliloquendo, omnino desinere esse in rerum natura; cum forma *Nota.*

ma illa perfectior utpote amissibiliter recepta posset naturaliter illam nonnisi tra nec amovens informare, & nulla alia tunc naturaliter succederet forma, per quam materia conservaretur in rerum natura, cum forma non succedat naturaliter, nisi præmissis prius & introductis in materiam dispositionibus, dum sub alia erat forma, quas quidem dispositiones non posset pro tunc naturale agens in materiam inducere, alias ageret tunc naturaliter contra naturalem materiæ appetitum, qui esset solum ad conservationem formæ habitæ: ergo absolutè & simpliciter melius est materiæ existere sub alia & alia imperfectiori forma, quam esse sub forma perfectiori, & aliam non appetere.

Quæres, utrum sicut appetit materia formas, quas nondum habuit, ita & formas appetat, quas semel amisit.

Respondeo dicendum, quod si de appetitu materiæ sit sermo sumpto in latiori significatione, quatenus ipsam significare potest proportionem materiæ cum forma, certum est, appetere materiam formam illam, quam semel amisit, sicut & formas alias, quas nondum habuit; cum proportio illa materiæ cum forma substantiali sit coæva ipsi materiæ, nec corruptibilis sit, sicut nec corruptibilis est ipsa materiæ potentialitas, a qua non nisi per rationem distinguitur præfata proportio, in quantum scilicet ipsa materiæ proportio comparatur ad formam tanquam ad quid proportionatum & conveniens, ipsa verò potentia ad formam comparatur ut ad effectum: unde si supernaturaliter reunjretur materiæ forma amissa: inveniret in ea eandem proportionem; atque in prima sui introductione in materia; attamen si procedat sermo de appetitu propriè sumpto, absoluto scilicet & ad executionem ordinato, dicendum est, non habere materiam talem appetitum ad formam amissam; cujus ratio est, quia talis appetitus ita absolutus & ad executionem ordinatus ordinem dicit ad agens naturale, quòd possit talem implere appetitum, eam scilicet formam in materia introducendo; ac proinde cum nullum sit agens naturale, quod formam semel amissam possit iterum in materia introducere, hoc est per consequens in materia ad talem formam appetitus naturalis, absolutus, & ad executionem ordinatus.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Vtrum una & eadem materia pluribus informetur vel informari possit formis, sive totalibus, sive partialibus.

PRamittendum 1. corpus naturale, ad cujus compositionem concurrit materia cum forma, esse in duplici genere. Aliud quod vocant *Homogeneum*, cujus videlicet omnes partes sunt ejusdem rationis & denominationis: ut aqua, ignis, lapis, &c. Nam omnes partes, verbi gratia, aquæ sunt aqua; aliud verò est, quod vocant *Hetherogeneum*, cujus partes sunt diversæ rationis & denominationis, ut corpus vivens, puta humanum. Alia enim pars dicitur *caro*, alia *os*, alia *cerebrum &c.* Suntque hujusmodi partes in vivente simpliciter hetherogeneæ, cum de se habeant illam diversitatem tanquam instrumenta quædam in ordine ad diversas animæ operationes. Quantum ergo ad materiam corporis homogenei contendit Scotus, eam duplici ad minus informari substantiali forma, nimirum corporeitatis forma, quam vult eandem semper manere in materia, quantumcumque fiat resolutio compositi secundum speciem; & forma specifica, quæ scilicet constituit corpus naturale in esse talis vel talis speciei.

Quantum verò ad corpus Heterogeneum, ubi diversi reperiuntur gradus viventis, ut de facto reperiuntur in homine, qui habet vegetare cum plantis, sentire cum brutis, & intelligere, volunt aliqui non sufficere unicam formam substantialem, puta animam rationalem, sed tot diversas requiri animas, quot sunt ibi gradus viventis varii. Alii verò concedunt quidem, ad gradus illos essentiales unicam sufficere substantialem formam totaliter, volunt tamen isti alias præterea requiri substantiales formas partiales, quibus singulæ partes organicæ in suo esse constituantur, adeo ut in homine præter animam rationalem caro propriam habeat formam substantialem sui constitutivam; atque ita de ossibus aliisq; partibus heterogeneis; ita cum Scoto philosophari solent multi recentiores Philosophi. Negativa autē tenent Thomistæ, sive pro corpore homogeneo, sive Heterogeneo, sive de potentia ordinaria, sive de absoluta

Dei

Dei potentia, adeo ut velint, esse omnino impossibile, plures formas substantiales, hoc ipso quod substantiales sunt, simul informare eandem materiam secundum easdem partes; unde concludunt unam & eandem formam in corpore homogeneo tribuere & gradum corporis, & gradum specificum talis corporis; & in corpore etherogeneo unam & eandem animam rationalem, verbi gratia, tribuere tum gradum vegetantis, tum sensitivi, tum rationalis, atque varia illa organa, putà carnem, ossa & alia hujusmodi constituere in suo esse.

Præmittendum 2. pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quòd hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii, putà quod *impossibile est, esse formam informantem, & non communicare formalem effectum*; quod *implicat in terminis, quòd una sit proprietas, ortum habens ex diversis formis*; quod *nulla potest forma esse essentialiter potentia passiva*. Ratio autem primi est, quia forma habet suum communicare formalem effectum per hoc & hoc ipso, quòd se ipsam communicat; ex hoc enim, quòd anima se communicat alicui subjecto, habetur per hoc præcisè ly *animatum*, quod est formalis ejus effectus: ergo cum sit impossibile, quòd sit forma informans, & quòd non seipsam communicet, ut patet ex terminis, est consequenter impossibile, quòd sit forma informans, & quòd suum non communicet formalem effectum. Quantum verò ad secundum, putà, quòd implicet in terminis, quòd una sit proprietas ortum habens ex diversis formis, ex eo evidenter patet, quòd proprietas, hoc ipso quòd talis, est alicujus proprietas: ergo hoc ipso quod una est proprietas, est etiam hoc ipso proprietas alicujus unius: sed non est proprietas nisi illius, à quo ortum habet; qua de causa dicitur communiter, proprietates ab essentia emanare, cujus sunt proprietates: ergo hoc ipso quod una est proprietas, non nisi ab uno ortum habet, atque ita omnino implicat, quòd una sit proprietas ortum habens ex diversis formis.

Demum quantum ad tertium, quod scilicet nulla potest forma esse essentialiter potentia passiva, ratio est, quia omnis & quævis forma, quæcumque illa sit, cum aliis convenit formis in eo, quod forma est: ergo cùm forma ut forma sit essentialiter actus, ut ex ejus definitione colligitur, omnis per consequens & quævis forma habet esse essentialiter actus: sed implicat, quòd id, quod est essentialiter actus, sit essentialiter potentia passiva; alias eadem indivisibilis essentia repeteretur sub oppo-

sitis:

siris: ergo nulla prorsus forma potest esse essentialiter potentia passiva: His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit.

CONCLUSIO: *Nec de facto, nec de possibili potest una & eadem materia pluribus simul informari formis substantialibus; sive illæ totales sint, sive fingantur partiales.*

Probatur 1. ex primo præmisso principio concludente generaliter pro omni forma. *Impossibile est, esse formam informantem & non communicare formalem effectum*: Ergo impossibile est, quòd una & eadem materia simul informetur pluribus substantialibus formis. *Probatur consequentia*, secunda quæ adveniret forma, non posset suum communicare effectum materiæ: ergo hoc ipso, quod impossibile est, esse formam informantem, & non communicare formalem effectum, non potest hoc ipso materia jam unâ informatâ formâ, simul alterâ informari. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, effectus cujuslibet substantialis formæ est, esse illud primum, quo res simpliciter est, sed secunda quæ adveniret forma non posset materiæ communicare primum illud esse: ergo secunda quæ adveniret forma, non posset suum communicare effectum materiæ. *Minor conceditur*, & per se patet: *Probatur major*, esse quod substat omnibus aliis esse, est primum illud esse, quo res simpliciter est: sed effectus cujuslibet substantialis formæ est esse, quod substat omnibus aliis esse: ergo effectus cujuslibet substantialis formæ est primum illud esse, quo res simpliciter est. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*, forma quælibet substantialis est simpliciter & absolutè loquendo substantialis: ergo ly *esse*, quod est ejus effectus, esse debet simpliciter & absolutè loquendo aliis substans: sed *esse* quod non substat omnibus aliis, sed aliquibus tantùm, non est simpliciter & absolutè loquendo esse substans; cum ex hoc quod aliquibus substat, & aliis non substat, possit ex æquo dici non substans, sicut & substans: ergo effectus cujuslibet substantialis formæ est esse quod substet omnibus aliis esse: ergo effectus cujuslibet substantialis formæ est primum illud esse, quo res simpliciter est: ergo forma, quæ superadveniret materiæ jam informatæ, non posset, si substantialis sit, suum communicare effectum materiæ: ergo hoc ipso quod impossibile est, esse formam informantem, & non communicare effectum suum, (quod est primum præmissum principium) non potest hoc ipso materia simul informari pluribus substantialibus formis.

Probatur 2. ex 1. cundo præmisso principio concludente specialiter contra specialem formam corporeitatis. *Implicat in terminis, quod una sit proprietas ortum habens ex diversis formis:* Ergo & implicat, quod forma corporeitatis & forma specifica sint simul in materia alia & alia forma. *Probatur consequentia*, una est proprietas ortum habens ex forma corporeitatis simul & ex forma specifica: ergo hoc ipso quod implicat in terminis, quod una sit proprietas ortum habens ex diversis formis, non potest hoc ipso corporeitatis forma esse alia à forma specifica. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, quantitas in composito est una compositi proprietas: sed quantitas illa ortum habet ex forma corporeitatis & ex forma specifica: ergo una est proprietas, quæ ortum habet ex forma corporeitatis & ex forma specifica. *Major* conceditur & per se patet. *Probatur Minor*, hoc ipso quod ortum habet quantitas ex composito tum secundum gradum corporis, tum secundum gradum specificum, hoc ipso etiam oritur & ex corporeitatis forma, & ex forma specifica; sed quantitas compositi ortum habet ex illo tum secundum gradum corporeum, tum etiam secundum gradum specificum: ergo & ortum habet quantitas compositi ex corporeitatis forma & ex forma specifica. *Major* conceditur, cum enim constituatur gradus corporeus in esse talis per corporeitatis formam, & gradus specificus per specificam, non potest per consequens id quod ortum habet ex illis gradibus, non oriri & causari per illas formas: juxta illud *quod est causa causæ, est causa causati. Probatur Minor*, non aliter oritur quantitas, quam per realem causationem, realem receptionem, & sustentationem, ut per se patet: sed impossibile est causari realiter quantitatem ab uno gradu, & non causari realiter ab alio; cum gradus identificentur realiter & de se invicem prædicentur ad minus in sensu reali & identifico ut cõceditur: ergo non potest quantitas illa oriri ex gradu corporeo, & simul non oriri ex gradu specifico: ergo quantitas compositi ortum habet ex forma corporeitatis, & ex forma specifica: ergo una est proprietas, quæ ortum habet ex forma corporeitatis, & ex forma specifica: ergo hoc ipso quod implicat in terminis, quod una sit proprietas ortum habens ex diversis formis, (quod est secundum præmissum principium) hoc ipso etiam implicat, quod forma corporeitatis & forma specifica sint in materia alia & alia forma, & consequenter quod ex hoc capite informetur materia pluribus formis.

Nota.

Probatur 3. ex tertio præmisso principio concludente specialiter contra formas partiales. *Nulla potest forma esse essentialiter po-*

potentia passiva: ergo & implicat, informari eandem materiam formis partialibus simul & totali. *Probatur consequentia*, si ita informaretur materia formis partialibus simul & totali, esset forma partialis essentialiter potentia passiva: ergo hoc ipso quod nulla potest forma esse essentialiter potentia passiva, nec potest ita informari materia partialibus formis, simul & totali. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, quod est actuabile per id, quod est essentialiter actus, non potest non esse essentialiter potentia passiva: sed in præfato casu esset partialis forma actuabilis per formam totalem, quæ conceditur esse essentialiter actus: ergo casu quo tales darentur in materia partiales formæ, esset partialis forma essentialiter potentia passiva. *Major* per se patet, correlativum enim illius quod est essentialiter actus actuans, non aliud est, nec aliud assignari potest, quam quod est essentialiter potentia passiva. *Probatur minor*, vel essent partiales illæ formæ actuabiles cum subjecto per formam totalem, vel essent præcisè dispositivæ subjecti actuabilis: sed dici non potest, quod hujusmodi partiales formæ sint solum dispositivæ subjecti actuabilis per formam totalem: ergo essent etiam præfatæ formæ actuabiles cum subjecto per formam totalem. *Major* conceditur ab adversariis. *Probatur Minor*, formæ illæ partiales faciunt unum per se cum forma totali, ad differentiam formarum accidentalium: sed si essent solum dispositivæ subjecti actuabilis per formam totalem, non autem per illam actuabiles, non possent facere unum per se cum forma totali, sed unum tantum per accidens: ergo dici non potest, quod hujusmodi partiales formæ sint solum dispositivæ subjecti actuabilis per formam totalem. *Major* conceditur. *Probatur Minor*, quæ sic ad invicem comparantur, ut solum unitatem habeant per id, quod sint in eodem subjecto, hæc solum faciunt unum per accidens; sicut quia albedo & calor in eodem subjecto conveniunt solum in subjecto, nec una talis forma se habet ad aliam ut actus, aut potentia, dicuntur facere unum tantum per accidens: sed si partiales illæ formæ essent solum dispositivæ subjecti actuabilis, nec essent actuabiles per formam totalem, non aliam cum ea haberent unitatem, nisi quod in uno & eodem essent subjecto: ergo si hujusmodi partiales formæ essent solum dispositivæ subjecti actuabilis per formam totalem, non facerent cum ea unum per se: ergo partiales illæ formæ deberent etiam esse actuabiles per formam totalem: ergo si darentur partiales illæ formæ, actuabiles essent per id, quod conceditur esse essentialiter actus actuans: ergo si darentur partiales illæ formæ,

essent essentialiter potentia passiva : ergo hoc ipso quod nulla potest forma esse essentialiter potentia passiva, (quod est tertium præmissum principium) nec potest hoc ipso materia informari formis partialibus, simul & totali, nec consequenter simul ex hoc capite informari pluribus formis.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia fundamenta in solutionib° objectorum.

Objicies 1. ab actu ad potentiam valet consequentia : sed plures actu sunt in materia formæ substantiales: ergo & potest materia pluribus informari substantialibus formis. *Probatur Minor*, hoc ipso quod plures in generatione unius compositi actu inducuntur formæ, hoc ipso etiam sunt actu plures in materia : sed in generatione hominis verbi gratia plures actu inducuntur substantiales formæ : ergo & plures actu sunt in materia. *Major* videtur evidens ; cum enim non abjiciantur, quæ inducuntur formæ, alias frustra inducerentur, hoc ipso per consequens quod actu plures inducuntur, plures etiam actu simul reperiuntur in materia. *Probatur Minor*, non potest in generatione hominis prius induci anima sensitiva, quàm rationalis, quin hoc ipso plures in tali generatione inducantur formæ; sed de facto in generatione hominis prius inducitur anima sensitiva, quàm rationalis ; cum secundum Philosophum embrio prius sit animal, quàm homo: ergo in generatione hominis v. gr. plures actu inducuntur substantiales formæ.

Respondeo negando minorem ; ad cujus probationem nego majorem ; licèt enim in generatione hominis plures adveniant & inducantur formæ, propterea quod non est ibi una simplex generatio, sed multæ ibi succedunt generationes, adeo ut embrio prius habeat etiam prioritate temporis animam vegetativam quàm sensitivam, & prius sensitivam quàm rationalem, non tamen inde sequitur, plures actu simul reperiri formas in materia, quia sicut plures ibi succedunt generationes, sic etiam & succedunt corruptiones, adeo ut adveniente forma seu anima sensitiva, quæ eminenter continet vegetativam, abjiciatur & corrumpatur præcedens forma, anima scilicet vegetativa. Neque in alio sensu dicit Philosophus, quod embrio in generatione hominis prius sit animal per animam sensitivam, quàm homo per rationalem ; quod quidem ex eo colligo, quod ex eodem in primo & quinto Physicorum generatio conditinguitur à motu, ex eo quod, inquit in quinto Physicorum, illud quod movetur est aliquid in actu ; illud autem quod generatur

Nota.

non

non est aliquid in actu, sed est simpliciter non ens. Jam sic est quod si in generatione animalis, seu dum generatur in embrione anima sensitiva, non expelleretur & corrumperetur præcedens forma, sive sit forma corporeitatis sive sit anima vegetativa, tunc ibi generatio non distingueretur a motu; cum quod ibi generaretur, jam esset aliquid in actu per formam: ergo quando dicit Philosophus, quod embrio prius est animal per animam sensitivam, quam homo per rationalem illud, intelligendum venit sensu exposito, ita ut adveniente anima rationali, abjiciatur & corrumpatur anima sensitiva.

Unde ad illud quod affertur in probationem majoris negatæ, puta quod frustra inducerentur, si abjicerentur quæ inducuntur formæ: Ad hoc, inquam, respondeo negando hujusmodi sequelam, cujus ratio est, quia non inducebatur præcedens forma ut remaneret in re jam perfecta, sed ut esset via ad formam perfectam; propterea quod inter formam seminis & formam animalis perfectam sunt quædam formæ mediæ, quas necesse est successivè recipi in materia, quia natura agit per determinata media; atque ita sicut frustranea non est via, quantumvis relinquatur adepto termino, ita nec frustra inductæ fuere viales illæ & imperfectiores formæ, quamvis in adventu perfectioris abjiciantur & corrumpantur. *Nota.*

Instabis, si hoc ita esset quod in adventu perfectionis formæ corrumperetur & abjiceretur forma præcedens, corrumperentur & simul abjicerentur accidentia dispositiva eam comitantia; sed falsum est ita corrumpi accidentia comitantia præcedentem formam in adventu perfectioris; ergo & falsum est corrumpi & abjici tunc formam illam prius inductam. *Major* est evidens, alias accidentia formæ remanerent in materia nudè sumpta, & ab omni denudata forma. *Probatur Minor*, non potest, aut certè non solet sensus decipi circa accidentia per se sensibilia; sed per sensus patet eandem quantitatem, figuram, gravitatem, & alia hujusmodi accidentia quæ sunt in embrione informato anima sensitiva, manere in eodem dum informatur anima rationali: ergo falsum est corrumpi accidentia comitantia præcedentem formam in adventu perfectioris.

Respondeo negando minorem, cujus quidem falsitatem fusè ostendemus postea, dum de resolutione usque ad materiam primam; unde ad probationem nego minorem, putà quod ad sensum & per sensum manifestum fiat aut fieri possit eandem manere quantitatem, figuram, gravitatem & alia hujusmodi accidentia, eandem, inquam, manere in embrione dum

nova seu perfectiori informatur forma ; cujus ratio est quia ad
Nota hoc requireretur quod posset sensus distinguere inter accidentia omnino similia, quando sine interruptione temporis sunt in eadem materia ; jam sic est quod non valet sensus illud distinguere, propterea quod accidentia numerantur ad numerationem subjectorum, atque ita cum sola ratio, & non sensus attingat ad distinctionem subjectorum, sola etiam ratio attingere potest ad distinctionem accidentium ita similium ; unde ex eo quod non decipiatur sensus circa ea quæ sunt per se sensibilia, non propterea verificatur quod accidentia quæ erant in embrione sub forma sensitiva non corrumpantur in adventu perfectis formæ, nec consequenter ex eo ostenditur quod non corrumpatur præcedens forma in materia, dum advenit forma perfectior.

Urgebis : quantumvis corrumpatur in materia forma præcedens in adventu perfectioris, adhuc verificatur, reperiri simul materiam sub duplici forma: ergo nulla solutio. *Probatur antecedens*, hoc ipso quod instans ultimum in quo est in materia forma corrumpenda, & instans primum in quo est in materia forma advenies, non sunt duo instantia sed unum instans, est hoc ipso materia simul & pro eodem instanti sub duplici forma : sed res de facto ita se habet : ergo quantumvis corrumpatur forma præcedens in adventu perfectioris, adhuc verificatur reperiri simul materiam sub duplici forma. *Major* est evidens, cum pro illo
Nota. instanti utraque sit forma, & non sit nisi in materia. *Probatur Minor*, inter quælibet duo instantia est tempus medium ; sed inter instans ultimum in quo est forma corrumpenda, & instans primum in quo est forma advenies, non est dare tempus medium : ergo illud instans ultimum, & primum illud instans non sunt duo instantia, sed unum instans. *Major* supponitur & conceditur. *Probatur Minor*, non est dare tempus in quo sit materia sine forma : sed si inter instans ultimum in quo est forma corrumpenda, & instans primum in quo est forma advenies, esset tempus medium, materia pro tali tempore sub neutra esset forma ; cum sub neutro adhuc esset instanti : ergo inter instans illud ultimum, & primum illud instans non est dare tempus medium.

Respondeo negando antecedens ; ad cujus probationem nego suppositum majoris, subindeque & consequentiam argumenti, cum vis ejus supponat falsum ; supponit enim argumentum sicut & arguens, quod detur instans ultimum, in quo est forma cor-

trumpenda, quod est falsissimum. Pro quo notandum est, & idem serio & diligenter, quod mutatio instantanea, qualis est neratio formæ, est terminus motus continui alterationis; sicut *Nota.* umination, quæ etiam est mutatio instantanea, est terminus otus localis solis, & transubstantiatio in Eucharistia est terinus prolationis continuæ verborum: cujuslibet autem moqui mensuratur aliquo tempore oportet quod ultimus terinus sit in ultimo instanti illius temporis; unde cum forma bstantialis adveniens & introducenda sit quidam terminus otus alterationis, oportet per consequens, quod in ultimo inanti illius temporis quod talem mensurat motum, sit & inoducatur substantialis forma: jam sic est quod corruptio & neratio simul currunt, quia generatio unius est corruptio alius: oportet ergo quod in ultimo instanti illius temporis sit rminus corruptionis unius, verbi gratia ligni, & terminus gerationis alterius, verbi gratia ignis: terminus autem corruptiis est non esse formæ, & terminus generationis, est esse foræ: ergo oportet quod in ultimo instanti illius temporis sit imum non esse formæ ligni, & primum esse formæ ignis: at i ante ultimum instans alicujus temporis non potest accipi enultimum, quia inter quælibet duo instantia est tempus meum secundum Philosophum: ergo non est accipere ultimum stans in quo sit in materia forma corrumpenda, benè quidem rimum tempus, quod continuatur ad illud instans in quo prio est forma adveniens, & primum non esse formæ corruptæ; aliter quod in toto tempore mensurante alterationis motum t in materia forma corrumpenda, & in ultimo instanti talis emporis sit primum non esse præfatæ formæ, & primum esse ormæ advenientis.

Objicies 2. specialiter pro forma corporeitatis idem fuit numero corpus Christi vivum & mortuum; sed si forma corporeitatis non esset in materia alia à forma specifica, dici non posset corpus Christi idem numero vivum & mortuum: ergo forma corporeitatis est alia in materia à forma specifica, subindeque & informatur materia duplici forma. *Major* colligitur ex dicto illo Christi Domini: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud*, in quo quidem dicto, cum loquatur de templo corporis sui, & idem numero demonstretur per ly *hoc*, quod indicat corpus vivum, & per ly *illud*, quod indicat corpus mortuum, evidenter sequitur quod idem numero remanserit corpus Christi vivum & mortuum. *Probatur Minor*, non potuit corpus illud Christi esse idem numero nisi per

eandem formam : sed forma illa eadem non potest supponere pro forma specifica, cum hæc sit anima rationalis, quæ fuit in morte separata: ergo si non esset in materia alia forma à forma specifica, quæ sit materiæ coæva, dici non posset corpus Christi idem numero remansisse vivum & mortuum.

Respondeo distinguendo majorem sic: idem numero fuit corpus Christi vivum & mortuum, loquendo de identitate suppositi, seu Hypostasis, Concedo: loquendo de identitate totali, naturæ scilicet & suppositi Nego; licet igitur idem semper fuerit suppositum & eadem subsistentia corporis Christi, sive in vita sive post mortem, propterea quod id quod semel assumpsit principaliter verbum divinum, nunquam dimisit, unde & in symbolo Fidei dicitur de Filio Dei, quod sepultus est, & descendit ad inferos, quod certe dici non posset, si corpus quod sepultum fuit, & anima quæ ad inferos descendit aliud habuissent suppositum quam divinum : licet igitur corpus Christi idem semper manserit identitate suppositi, & in vita & post mortem, non tamen propterea sequitur quod idem remanserit identitate totali, id est, tum materiæ tum formæ, etiam loquendo de corporeitatis forma, quin imo contrarium omnino sequitur ex verbis illis Christi Domini supra relatis, ubi loquens Christus de corpore suo dixit: solvite templum hoc, &c. quod hoc argumento efficaciter probo, significavit Christus per illa verba, quod corpus suum esset solvendum, cum loqueretur de templo corporis sui: atqui si habuisset materia corporis Christi aliam corporis formam quam animam, quæ mansisset post mortem, fuisset quidem tunc humanitas ejus soluta, nimirum per separationem animæ, sed minimè solutum fuisset & ejus corpus, quia mansisset in hoc casu corporeitatis forma unita materiæ: ergo non verificarentur præfata Christi verba, si esset corporeitatis forma alia à forma specifica, atque materiæ coæva; unde idem quidem numero demonstravit Christus per ly *hoc*, & ly *illud*, non tamen propter eamdem formam, quæ fuerit in hoc & illo, sive in vita & post mortem, sed propter eandem materiam & eandem hypostasim.

Nota.

Instabis, si non remansisset corpus Christi idem identitate formæ, sed identitate solum hypostasis, alia advenisset post mortem forma pro tali corpore seu in tali materia: sed hoc dici non potest: ergo nec dici potest, quod remanserit idem numero corpus etiam identitate formæ. *Maior* est evidens. *Probatur Minor*, si nova advenisset forma post mortem in carne seu materia Christi, nova fuisset activa unio cum verbo divino, & aliquid novum

m ſuſcepiſſet; ſed hoc dici non poteſt; alias dici poſſet quod tunc eſſet facta incarnatio, cum alia tunc eſſet ibi caro, te aliam habens formam: ergo nec poteſt dici quod , advenerit forma in corpore Chriſti, dum mortuus eſt ſtus.

ſpondeo negando minorem, cujus quidem falſitas patet ex s ſupra; ad probationem vero nego majorem: non enim terea verifica ur quod verbum divinum novam aſſumpſerit ram in adventu illius formæ; ſed ſolum quod naturam prius mptam, ſed tunc mutatam adhuc in unitate perſonæ. & ſupti retinuerit. Pro quo notandum eſt quod verbum divinum ram ſibi aſſumpſit humanam, cum naturalibus ipſius defeus, qui quidem defectus adveniebant corpori Chriſti, diverſis ous & ſucceſſivè; neque tamen ex eorum adventu dici debet, am tunc fuiſſe factam unionem cum verbo; quia ſcilicet eſt entus defectuum naturæ quam ſibi univit verbum in conione Chriſti, & ideo eorum unio ad primam pertinet & dereduci unionem: Jam ſic eſt quod forma quæ relinquitur & ltat in corpore hominis mortui per ſeparationem animæ, er defectus naturales naturæ humanæ computatur; in quan ſcilicet de neceſſitate naturæ ibidem inducitur in materia ninis, & ad animam comparatur quaſi corruptio ipſius, ut P. iloſophus, ſicut forma aceti eſt tanquam corruptio formæ :ergo adventus illius formæ in materia Chriſti per mortem primam pertinet & debet reduci unionem, unde ſicut vin in dolio exiſtens quando mutatur in acetum, non dicitur opterea dolium illud aliquid de novo aſſumere vel recipere, dicitur tantum illud quod prius recepit, & quod jam mutan eſt adhuc retinere, ita ſimiliter nec verbum divinum non propterea aſſumit naturam in adventu illius formæ, nec novo dicitur incarnari, ſed ſolum dicitur naturam aſnptam prius, ſed tunc mutatam adhuc in unitate perſonæ re- ere.

Nota.

Objicies; ſpecialiter pro formis partialibus: materia corporis hriſti eſt Phyſicè loquendo ejuſdem rationis cum noſtra; ſed ateria corporis Chriſti informatur & forma totali & formis partialibus; ergo & idem dicendum de noſtra. *Probatur Mi-*: informatur materia corporis Chriſti & forma totali & parali, ſi forma conſtitutiva ſanguinis Chriſti in eſſe ſanguinis ſit ia ab anima: ſed de facto alia eſt forma illa ſanguinis Chriſti anima: ergo & de facto informatur materia corporis hriſti & forma totali & formis partialibus. *Major* eſt evi-

Nota.

videns. *Probatur Minor*, hoc ipso quod ex vi verborum consecrationis ponitur forma sanguinis, nec tamen ponitur anima, est hoc ipso forma constitutiva sanguinis alia ab anima; sed ex vi verborum consecrationis vini ponitur forma sanguinis, cum ponatur ex vi hujusmodi verborum sanguis, nec tamen ex vi hujusmodi verborum ponatur anima, ut conceditur; cum non significent verba ponendam animam: ergo forma illa constitutiva sanguinis Christi in esse sanguinis est alia de facto ab anima.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti: Ad tertium vero distinguo majorem sic: hoc ipso quod ex vi verborum consecrationis ponitur forma sanguinis, nec tamen ponitur anima, est hoc ipso forma constitutiva sanguinis alia ab anima: si nullo prorsus modo & sub nulla sui ratione ponatur anima ex vi verborum. Concedo, quod deberet tunc forma sanguinis esse alia ab anima: si autem solum non ponatur anima ex vi verborum consecrationis vini, prout tribuit vel esse sensitivum aut intellectivum, bene tamen prout constituit in esse talis partis organicæ quæ dicitur sanguis, Nego majorem, & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Notandum ergo, & quidem ex Divo Thoma quod sicut anima rationalis quia præcontinet & præhabet in se perfectiones aliarum animarũ & formarum inferiorum, utpote quæ superior est ad illas, & consequenter in se aduanans gradus perfectionum qui reperiuntur dispersi in inferioribus formis, sicut inquam ex eo sequitur quod potest anima exercere respectu alicujus gradum & perfectionem formæ corporeæ vel animæ vegetativæ, nec tamen adhuc exercere rationem & perfectionem animæ sensitivæ, ut probabile est fieri in embrione, dum prius vegetat ab intrinseco quam sentiat; & sicut alicubi potest exercere rationem & perfectionem animæ sensitivæ, non autem intellectivæ; ita similiter ex eo etiam fit & fieri potest, quod quamvis tota ponatur anima dum proferuntur verba consecrationis non ponatur tamen ex vi verborum consecrationis panis nisi prout tribuit esse corporeum, & ut exercet gradum & rationem formæ constitutivæ corporis; ex vi autem verborum consecrationis vini, non ponatur nisi sub ea ratione, qua est actus talis partis organicæ, sive prout constituit in esse talis partis, quæ dicitur sanguis.

Instabis, in symbolo Divi Athanasii dicitur Christus *perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens*; sed si ipsa anima constitueret partes organicas puta carnem & sanguinem in suo esse, non posset dici Christus ex anima ratio-

ali & humana carne subsistens : Ergo non est ipsa anima
a ratione constitutiva partium organicarum in sub esse,
it præ edens responsio. *Probatur Minor :* hoc ipso quod
Christus *ex anima rationali & humana carne subsistens*,
t hoc ipso caro ad animam sicut extremum unum ad
xtremum ; sed si anima constitueret carnem in esse car-
non posset caro comparari ad animam sicut extremum ad
num : Ergo nec posset dici Christus ex anima rationali, &
a carne subsistens, *Major* patet ex terminis ; *Probatur Mi-*
e ratione extremi unius est esse seorsim ab alio ; sed si ani-
nstitueret carnem in esse carnis , tunc non haberet caro
arnis seorsim ab anima , ut patet ; ergo nec posset
comparari caro ad animam sicut extremum ad extre-

bondeo Negando Minorem primi & secundi argumenti :
ium vero distinguo majorem sic : de ratione extremi u-
t esse seorsim ab alio extremo , si sermo sit de extremo ,
est & dicitur simpliciter extremum, Concedo : si autem
no de extremo quod non est extremum *simpliciter* , sed
cum hoc addito, *constituendum :* Nego, quod hujusmodi
um habere debeat esse seorsim ab alio extremo : propte-
od comparantur tunc per modum constituti & constitu-
atque ita debet aliud extremum utpote rationem habens
utivi huic tribuere esse : Jam sic est quod quando dicitur
omparari in Christo ad animam rationalem ut extremum
ad aliud , ex eo scilicet quod dicatur Christus ex anima
ali & humana carne subsistens, non propterea ad animam
ratur nec comparari debet ut extremum simpliciter, sed
remum per animam constituendum aut constitutum ,
ia alias anima non posset unum facere per se cum tali
, ut demonstratum fuit supra in tertia probatione con-
is ; tum quia pari & simili modo comparatur caro vel
ad animam , sicut qualificatum ad colorem , cum di-
olor actus qualificati, sicut dicitur anima actus corporis ,
rnis ; atque ita sicut non comparatur qualificatum ad co-
ficut extremum unum simpliciter ad aliud, sed sicut ex- *Nota.*
m unum per aliud constituendum ; adeo ut dum
color actus qualificati , sensus non sit , quod illud
olor est actus qualificatum sit alia priori qualitate, sed
qualificatum sit ipso colore qui est ejus actus ; ita
icitur caro vel corpus comparati ad animam ut extre-
unum ad aliud, vel dum dicitur & definitur anima actus

corpo-

corporis aut carnis, non propterea sequitur quod esse debeat caro vel corpus alia priori forma, sed potius quod debeat in esse tali constitui per ipsam animam, utpote quæ, ad quæcumque comparetur, comparatur semper ut actus primus substantialis: Ergo propriè adhuc verificatur relatum illud symboli dictum, quamvis sit anima rationalis forma constitutiva carnis & sanguinis in proprio esse.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo, Sentiisse S. Doctorem, & quod unica tantum forma informetur & informanda sit materia pro omnibus habendis gradibus, & quod non possit pluribus simul informari; primum autem aperte docet S. Doctor *in quæstionibus disputatis, quæstione unica de Spiritualibus creaturis artic. 3. ad secundum*, ubi sic habet, *ad secundum dicendum, quod cum forma perfectissima det omnia quæ dant formæ imperfectiores, & adhuc amplius, materia prout ab ea perficitur eo modo perfectionis quo perficitur à formis imperfectioribus consideratur ut materia propria etiam illius perfectionis quam addit perfectior forma super alias; ita tamen quod non intelligatur hæc distinctio in formis secundum essentiam, sed solum secundum intelligibilem rationem.* Hæc D. Thomas ex quibus sic arguere licet.

Primò, id quod habet materia ab una forma non habet nec habere potest, saltem loquendo naturaliter ab alia forma; alias natura aliquid frustra faceret: sed docet Divus Thomas quod habet materia per formam perfectissimam id omne quod dare solent formæ imperfectiores: Ergo ex D. Thoma non potest materia, saltem loquendo naturaliter aliquid accipere à formis imperfectioribus, dum informatur formâ perfectâ: atqui non potest materia ab aliqua informari, & non accipere aliquid ab ea; alias informaret & consequenter causaret forma absque effectu, quod implicat in terminis: Ergo sentit & sensiit D. Thomas, quod non possit materia, saltem loquendo naturaliter informari simul & formis imperfectionibus & formâ perfectâ, subindeque & sentiit quod unica tantum informetur & informanda sit forma pro omnibus habendis gradibus, puta corporis, carnis, viventis, &c.

Secundò, ex eodem D. Thoma ibidem perfectio quæ correspondet formis imperfectionibus & perfectio quæ correspondet formæ perfectæ non distinguuntur in formis secundum essentiam,

tiam, quando scilicet informatur materia formâ perfectâ, sed solum distinguuntur secundum rationem & intellectum; atqui si materia simul informaretur formis imperfectioribus, dum informatur forma perfecta; tunc perfectiones illæ non solum secundum rationem & intellectum, sed etiam secundum essentiam & entitativè distinguerentur; cum perfectiones illæ ad formas comparentur velut effectus earum formales, & effectus formales non possint non distingui entitativè, ubi formæ supponuntur secundum essentiam & entitativè distinctæ: Ergo ex D. Thoma non habet materia informari formis imperfectioribus, quando informatur forma perfectiori sive perfecta.

Jam verò quod idem sentiat S. Doctor etiam comparativè ad absolutam Dei potentiam, hoc ex duobus colligo; & quidem primo ex verbis supra relatis, ubi dicit D. Thomas; quod *forma perfecta dat omnia quæ dant formæ imperfectiores, & adhuc amplius*; ex quibus argumentor sic.

Formæ substantiales se habent in materia ut formæ imperfectiores & perfectiores: sed ex relatis illis verbis D. Thomæ omnino impossibile est quod formæ habentes se ad modum imperfectioris, & perfectioris simul idem afficiant subjectum scilicet materiam: Ergo ex D. Thoma nec de potentia absoluta potest esse eadem materia simul informari pluribus formis substantialibus. *Probatur Minor*, habere subjectum aliquod aliquid positivum & simul privationem ejusdem, est omnino impossibile: si haberet imperfectiorem formam simul & perfectiorem verificaretur ex relatis illis verbis S Doctoris: Ergo ex verbis illis omnino impossibile est simul informari subjectum aliquod sive materiam imperfectiori forma simul & perfectiori. *Major* constat ex terminis. *Probatur Minor*: effectus formalis formæ imperfectioris privationem dicit ex præfatis verbis sancti Doctoris illius positivi, quod in effectu formali perfectioris dicitur: sed si haberet subjectum aliquod imperfectiorem illam simul & perfectiorem, haberet hoc ipso effectum formalem utriusque: ergo & haberet positivum aliquod, simul & privationem ejusdem. *Minor* est evidens. *Probatur Major*: in ista est difficultas: vel forma imperfectior distinguitur à perfectiori per aliquod positivum quod sit in ea, & non in perfectiori, vel per hoc quod perfectior forma dicit aliquid amplius, cujus privationem dicit imperfectior: sed primum dici non potest ex verbis relatis sancti Doctoris, cum juxta illa verba perfectior forma contineat imperfectiorem secundum id omne quod habet, & adhuc amplius: ergo juxta præfata verba distingui

stingui debet imperfectior forma à perfectiori per hoc quod privationem dicit positivi alicujus quod includitur in perfectiori: sed quidquid dicitur de forma dicitur & de ejus formali effectu: ergo juxta præfata illa verba sancti Doctoris effectus formalis formæ imperfectioris privationem dicit illius positivi, quod in formali effectu perfectioris includitur: ergo si haberet eadem materia imperfectiorem formam simul & perfectiorem, haberet etiam juxta præfata verba positivum aliquod, & simul privationem ejusdem; sed hoc est omnino impossibile, etiam loquendo de potentia absoluta: ergo sentijt Divus Thomas, quod hec de potentia absoluta possit eadem materia informari forma imperfectiori simul & perfectiori, nec consequenter pluribus substantialibus formis.

Secundò, hoc idem colligo ex verbis quæ habet *1. part. quæst. 11. art. 6.* ubi dicit formam substantialem esse actum, qui facit esse simpliciter: sic enim loquitur; *Cum materia sit in potentia ad omnes gradus ordine quodam; oportet quod id quod est primum simpliciter in actibus primò in materia intelligatur; primum autem inter omnes actus est esse: impossibile est ergo intelligere materiam prius esse calidam vel quantam, quam esse in actu: esse autem in actu habet per formam substantialem quæ facit esse simpliciter.* Hæc S. Doctor, ex quibus sic arguo ad intentum.

Ex D. Thoma omnis forma substantialis est actus qui facit esse simpliciter in actu; sed impossibile est, quod eadem materia duobus hujusmodi actibus simul informetur, quorum uterque faciat esse simpliciter; cum materia per actum primum jam sit simpliciter in actu, ac proinde non possit per secundum sive secundò advenientem constitui simpliciter in actu: ergo omninò impossibile est ex D. Thoma simul informari eandem materiam duabus, vel pluribus substantialibus formis.

QUÆSTIUNCULA.

In quo essentialiter consistat eductio; & quanam eductæ fuerint, vel educantur formæ.

Respondeo primò, Quod quamvis à pluribus etiam Thomistis explicari soleat eductio formæ per hoc, quod fiat de-

pen-

enter à materia; vel, quod in idem redit, per hoc quod in
m fit & fiat, in quantum recipitur in materia; si tamen de
:one loquamur, ut loqui debemus secundum rationem es-
ssentialem, secundum quam distinguitur ab omni alia acti-
quæ non est eductio, existimo ego præfatum eductionis
ceptum esse omninò falsum & insufficientem ad explican-
naturam & essentiam eductionis, quod quidem omnino es-
citer, próbo hoc argumento: potest Deus creare unum in-
um compositum formam habens materialem; & potest per
ıfubstantiationem unum convertere compositum materiale
liud: sed si eductio formæ in eo essentialiter consisteret, quod
et dependenter à materia, hoc non posset tunc facere Deus:
go in eo consistere nequit ratio essentialis & differentialis e-
ctionis. *Major* est evidens. *Probatur Minor*: in creatione vel
ınfubstantiatione totius alicujus compositi nihil educitur: sed
consisteret eductio formæ in eo quod fieret dependenter à
ateria, reperiretur in tali creatione aut transubstantiatione e-
ductio formæ: ergo si in eo consisteret eductio formæ, creari
on posset aut transubstantiari totum aliquod materiale com-
positum. *Major* est evidens; creatio namque est omnino ex ni-
lo, cum tamen eductio fiat ex aliquo; & transubstantiatio to-
am materiam & formam convertit in aliud, cum tamen edu-
tio supponat materiam ex qua educatur forma, non autem ma-
eriam convertat. *Probatur Minor*: reperiretur in tali creatione
ut transubstantiatione eductio formæ hoc ipso quod verifica-
retur de forma quod fieret dependenter à materia; cum io hoc
ponant rationem essentialem eductionis; sed quantumcum-
que supponatur fieri compositum materiale per creationem aut
transubstantiationem, semper ibi fit forma dependenter à ma-
teria: ergo in tali creatione aut transubstantiatione adhuc re-
periretur in tali casu eductio formæ. *Major* per se patet.
Probatur Minor: forma illa fit dependenter à materia,
quæ in tantum est, in quantum in materia recipitur; cum
enim fit tunc dependentia à materia in esse, non potest per
consequens non esse & infieri: sed quantumcumque sup-
ponatur creari compositum materiale aut fieri per transub-
stantiationem, semper de ejus forma verificatur, quod in tan-
tum fit in quantum in materia recipitur; cum fit hoc de ra-
tione materialis formæ: ergo quantumcumque supponere-
tur creari compositum materiale aut fieri per transubstan-
tiationem, adhuc fieret ibi forma dependenter à mate-
ria: ergo adhuc ibi fieret eductio formæ, si consisteret

edu-

eductionis conceptus in eo quod fiat forma dependenter à materia: ergo cum esse non possit creatio aut productio totius alicujus per transubstantiationem, ubi adest eductio formæ, non posset consequenter Deus creare totum aliquod materiale compositum, aut illud producere per transubstantiationem, si fieret eductio formæ per hoc præcisè quod fieret dependenter à materia. Unde

Respondeo secundò, Conceptum essentialem eductionis formæ in eo consistere quod fiat forma per actionem transmutativam materiæ, sive in eo quod actio per quam fit forma, transmutet materiam, & reducat illam de potentia in qua erat ad actum; veritatem autem hujus conceptus ostendo & probo primò authoritate Divi Thomæ, qui *prima parte, quæstione nonagesima, articulo secundo, ad secundum*, sic loquitur: *Ad secundum dicendum quod actum extrahi de potentia materiæ, nihil aliud est, quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia*; ex quibus verbis arguo sic; non potest de forma verificari quod fiat actu quæ prius erat in materiæ potentia, quin hoc ipso de materia verificetur quod ad actum reducitur ad quem erat prius in potentia: sed ex Divo Thoma formam educi ex materia nihil aliud est, quam fieri actu, quæ prius erat in ejus potentia: ergo & ex eodem hoc importat eductionis conceptus, quod materiam reducat de potentia in qua erat ad actum: sed per hoc quod ita reducitur materia, dicitur transmutari: ergo ex Divo Thoma in eo consistit eductio formæ, quod actio per quam fit, transmutet materiam.

Secundò, hoc idem probo per hoc quod unumquodque in eo essentialiter consistit, per quod habet differre ab omni alio quod est in eodem genere: sed per hoc quod actio per quam fit forma est transmutativa materiæ differt ab omni alia actione productiva, quæ non est eductio: ergo in eo consistit ratio essentialis eductionis, quod scilicet actio per quam educi debet forma sit transmutativa materiæ. *Probatur Minor*, omnis actio per quam fit forma vel est creatio, vel transubstantiatio, sive conversio, vel est eductio: sed per hoc quod actio per quam fit forma est transmutativa materiæ differt & à creatione formæ, & à transubstantiatione sive à conversione: ergo per hoc quod actio per quam fit forma est transmutativa materiæ differt ab omni alia productiva actione, quæ non est eductio. *Probatur Minor*: & primo quidem quod differat per hoc ab actione quæ est creativa formæ; hoc ipso quod productio formæ est transmutativa materiæ, terminati non potest ad formam prout extra

mate-

materiam existentem; sed actio creativa formæ potest hoc ipso terminari ad formam prout existentem extra materiam; cum talis forma spiritualis sit, subindeque & existere potens extra materiam: ergo per hoc quod actio per quam fit forma est transmutativa materiæ, differt ab actione quæ est creativa formæ. Jam verò quod etiam per hoc differat ab actione per quam fit forma media transubstantiatione alicujus compositi materialis in aliud, ostendo sic: actio quæ debet materiam transmutare non potest ut talis materiam ponere, sed debet præsupponere, cum illam debeat reducere de potentia in qua erat ad actum: sed actio productiva formæ per hoc quod est transubstantiativa alicujus compositi in aliud, vel etiam per hoc quod est creativa totius alicujus compositi, est hoc ipso quod talis materiam ponens; non autem præsupponens: ergo productio formæ quæ hoc ipso quod talis est transmutativa materiæ, habet etiam differre per hoc ab actione per quam fit forma per transubstantiationem compositi alicujus in aliud: ergo per hoc quod actio per quam fit forma est transmutativa materiæ habet differre ab omni alia productione formæ quæ non est eductio; ac proinde in hoc debet essentialiter consistere ratio essentialis & differentialis eductionis, quod scilicet hoc ipso quod est factiva formæ, sit etiam hoc ipso transmutativa materiæ: ex his autem

Colliges 1. Productionem animæ rationalis dici non posse eductionē: actio namque productiva animæ rationalis quatenus factiva est & productiva non habet transmutare materiam, cum in quantum factiva terminari possit ad animam ut existentem extra materiam, sed illam solum transmutat, in quantum scilicet est unitiva: jam sic est quod eductio debet esse talis, quæ ut factiva formæ sit etiam transmutativa materiæ, ut supra probavimus: ergo juxta præfatum & stabilitum eductionis conceptum non potest productio animæ rationalis dici eductio. Unde nondum est quod in ipsa productione animæ duæ occurrunt mutationes, per quarum primam transit simpliciter de non esse esse; per secundam verò transit à non esse unitam materiæ esse unitam: quamvis autem in hac secunda mutatione reperiatur & requiratur materia transmutata, non tamen in prima, cum possit anima accipere esse extra materiam; atqui ita non juxta primam mutationem attendatur & denominetur eductio animæ, utpote quæ juxta illam tantum est simpliciter eductio, consequenter fit quod animæ productio, nec sit nec possit denominari eductio.

Colliges 2. Formas cælorum & elementorum in prima sui

productione nec fuisse eductas, nec potuisse educi de potentia materiæ; ratio autem primi est quia de facto Deus unica & eadem actione produxit totum compositum cujuslibet cœli, & similiter in prima illorum productione, produxit quodlibet elementum; adeo ut unica & eadem actione primò & per se terminata ad talia composita produxerit etiam illorum partes, materiam scilicet & formam: cum enim tunc non supponeretur materia cælorum & elementorum producta, ac sub alia existens forma, sed necessarium esset tunc de novo producere talem materiam; & alias tunc nullum esset agens naturale, quod ex materia prædictas educeret formas, solus consequenter Deus debuit tunc tales formas & illarum materiam producere; cumque posset Deus ipsum creare compositum, & simul eadem actione illius partes, materiam scilicet & formam concreare, superfluum esset ad id actiones multiplicare, & una actione producere materiam, & altera actione formam ex illius potentia educere: ergo de facto non sic Deus actiones superfluè multiplicavit, sed unica & eadem actione totum quodlibet prædictum compositum & illius partes per creationem videlicet produxit; atque ita de facto non fuere eductæ hujusmodi formæ in prima sui productione.

Jam verò quod non potuerint etiam educi, ex eo colligo, quod ut ex potentia materiæ aliqua educatur forma debet ipsa transmutari materia ut diximus, ad quam transmutationem requiritur omnino, quod præcedat in materia privatio talis formæ, cum hoc ipso quod transmutatio est, reducat materiam de potentia seu aptitudine in qua erat ad actum: jam sic est quod si in eodem temporis instanti producatur materia & forma in illa introducatur, ut supponitur factum in prima illa cælorum & elementorum productione, non potest ad productionem talis formæ præcedere privatio illius in materia, quia cum privatio formæ sit negatio illius, materia in eodem reali instanti esset cum tali forma & cum negatione illius, quod est impossibile: aliàs enim pro eodem instanti temporis verificarentur duæ istæ contradictoriæ, materia est sub tali forma, materia non est sub tali forma: ergo in prima illa cælorum & elementorum productione nec fuere formæ eductæ de potentia materiæ, nec potuere educi. Neque huic obstat quod objici solet in productione vermium ex speciebus sacramentalibus, in qua productione non præexistit materia in aliquo instanti prius producta, pro quo videantur quæ supra diximus in secunda responsione ad objectionem primam quæstionis secundæ; hujus enim difficul-

tati

tati fusè & sufficienter ibi occurrimus, negando scilicet quod adsit ibi generatio sive eductio.

Colliges 3. Formas omnes accidentales, sive sint naturales, sive sint artificiales, ut est forma imaginis respectu lapidis; sive sint violentæ, ut motus sursum respectu corporis alicujus gravis; sive sint supernaturales seu sola Dei virtute producibiles, ut sunt gratia & virtutes infusæ, has, inquam, omnes & singulas formas educi; iis tamen exceptis naturalibus & accidentalibus formis quæ per modum proprietatis in eodem instanti & per eandem alicujus productionem consequuntur tanquam termini secundarii, quomodo consequuntur risibilitas ad productionem animæ rationalis, & calor ad productionem ignis. Ratio autem primæ hujus partis dicti, de qua solum dubitari solet, est, quia actio qua fiunt omnes illæ formæ est hoc ipso quod talis transmutativa materiæ, ex eo scilicet quod cum hujusmodi formæ non possint saltem naturaliter manere & conservari separatæ à subjecto, non terminant per consequens productionem sui nisi ut in materia; cumque productio illa per quam fiunt sit & supponatur alia ab actione productiva subjecti sive materiæ, consequenter sit quod sit productio talis naturæ, quod actum in materia ponat, absque eo quod materiam ponat, in quo quidem consistit ratio actionis transmutativæ materiæ, subindeque & eductionis.

Pro solutione autem eorum quæ in contrarium objici solent, notabis quod licet ad formam artificialem non habeat subjectum appetitum naturalem, habet tamen capacitatem, ut ex ejus potentia per artificem educatur; & ita talis potentia potest dici obedientialis, quatenus est capacitas in ligno vel lapide, ex illo fiat artificiatum, imago vel figura, quam artifex volue; & id sufficit, ut ex potentia talis subjecti educatur forma artificialis. Ita similiter quamvis ad formam accidentalem violentam aut motum violentum resistat subjectum, adhuc tamen capacitatem habet, ut agens ejus vincens resistentiam talem formam vel motum ex tali capacitate subindeque & ex ejus potentia educat. Quantum verò ad formam accidentalem supernaturalem, quamvis improportionem habeat cum quolibet subjecto naturali, hæc tamen improportio solum facit, quod ex illius potentia naturali non possit educi, non tamen quod non sit educibilis ex illius potentia obedientiali. Unde quod dicatur gratia fieri & à Deo infundi, non propterea hoc indicat quod verè in creatione producatur, sed quia non invenitur principium in subjecto naturale illius in creaturis, & quia nullius creati agentis virtute, sed solum virtute divina potest produci.

QUÆSTIO V.

Vtrum ad unionem materiæ cum forma interveniat nexus aliquis ab utraque realiter distinctus.

PRæmittendum primo. Pro declaratione & expositione difficultatis, quod dum, & ubi inquiritur utrum medietinter materiam & formam nexus aliquis distinctus realiter & realiter superadditus, atque ita dum & ubi in sequentibus illum stabilie-mus, non ibi intelligendum venit per talem nexum, nec volumus intelligi vinculum aliquod, quod se habeat ad materiam & formam & inter illas, sicut se habet vinculum inter ea quæ sunt penitus diversa, adeo ut sicut inter aurum & auratum lignum mediate us aliquod colligans ea, habens se ut id quod est & id quod ligat, atque prius in ligno positum, quam ei sit conjunctum aurum, ita similiter mediare debeat inter materiam & formam tale quid simile: ut enim bene & sapienter notat D. Thomas *in 8 Metaph lectione ultima. In hoc aliqui errabant antiqui inquirendo quia fariat unum potentiam & actum; quasi oporteat colligari per aliquod unum medium sicut ea quæ sunt penitus diversa secundum actum*; non igitur procedit quæsiti sensus de nexu qui ejusdem sit rationis cum eo, qui medius inter ea quæ sunt completa entia & entia in actu, ita quod se habeat ut quod, & ut aliquid quod est. & quod unit; sed est quæsiti sensus utrum materia & forma, quam vis ratione proportionis quam habent ad invicem nullo tali indigeant nexu & vinculo, aliquo tamen indigeant nexu aliquo qui sit modus & modale ens se habens essentialiter ut quo, qui sit veluti exercitium unibilitatis materiæ & formæ; an vero ipsa materia, verbi gratia sicut per seipsam & per entitatem suam potentialem est id quod unitur, ita & sit per seipsam id quo unitur, subindeque & in hoc genere suum sibi identificet ultimum exercitium.

Præmittendum 2. Pro declaratione principiorum ad quæ conclusiones veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii, puta quod *materia sicut & forma, est seipsa & per propriam entita-*

tem

tem unibilis: Quod *materia sicut & forma est accidentaliter solum & contingenter actu unita*; Quod *materia per unionem sui juam exercet causalitatem*. Ratio autem primi est, quia materiam esse formæ unibilem nihil aliud est, quam esse formæ receptivam, ut per se patet: jam sic est quod habet materia per seipsam & per plamur est suam entitatem, quod sit receptiva formæ, cum ejus entitas sit entitas potentialis: imò & pura potentia ad formam, ut supra ostendimus in secunda quæstione, quæ quidem potentia non posset esse talis nisi sit formæ receptiva: ergo habet materia per seipsam ut per propriam entitatem, quod sit formæ unibilis. Jam verò quantum ad secundum puta quod materia sit ut & forma est accidentaliter solum & solum contingenter actu unita, ratio est quia non est materia actu unita formæ nisi concurrentibus causis efficientibus, prima scilicet & secunda, ut per se patet: jam sic est quod concursus ille saltem ex parte causæ primæ liberè ponitur, ad per consequens & contingenter: ergo materia sit ut & forma est accidentaliter solum, & solum contingenter unita. Demum quantum ad tertium, quod scilicet materia per unionem sui suam exerceat causalitatem, ratio est quia non aliter suam exercet materia causalitatem quam per hoc quod actu recipit: sed actu recipit per hoc præcisè quod actu uoitur, & actu unitur per hoc præcisè quod actu recipit: ergo materia suam exercet causalitatem per actualem sui unionem. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusione ad eadem principia reductio fit.

CONCLUSIO: *Non est materia actu unita formæ, nec forma actu unita materiæ, nisi per unionem quandam formalem superadditam, & modaliter ab utraque distinctam.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio; *materia sicut & formæ est seipsa & per propriam entitatem unibilis*: ergo non est materia per propriam entitatem actu unita, sed per formam & superadditam unionem. *Probatur consequentia*: id quod est in materia unibile non potest sibi identificare id quo actu & formaliter est unita: ergo hoc ipso quod est materia per propriam entitatem unibilis, non potest non exigere distinctum & superadditum quid, quo sit actu & formaliter unita. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*: nec in linea unibilitatis, nec in ulla alia creata linea potest actus primus sibi identificari actum secundum: sed id quod est in materia unibile se habet ad id quo est actu & formaliter unita tanquam actus primus ad actum secundum: ergo id quod est in materia unibile non

potest sibi identificare id quo actu & formaliter est unita. *Minor* patet ex terminis, puta & ex terminis *unibilis & actu uniti*; & ex terminis *quod & quo*, quibus scilicet explicare solemus ea quæ se habent ut actus primus & actus secundus. *Probatur Major*, triplici medio.

Primò, omnis creata linea vel pertinet ad lineam essendi: vel ad lineam operandi, directè scilicet vel reductivè: sed in creatis nec in lineâ essendi nec in linea operandi potest actus primus sibi identificare actum secundum: ergo in nullâ creatâ lineâ id potest. *Major* conceditur. *Probatur minor*, modus operandi sequitur ad modum essendi, subindeque & linea essendi proportionem habet cum lineâ operandi: ergo hoc ipso quod in lineâ operandi non potest actus primus sibi identificare actum secundum, nec id potest in nullâ essendi lineâ: atqui in creatis non potest actus primus in linea operandi sibi identificare actum secundum ut conceditur communiter; aliàs creatum quid nedum perfectum esset, sed etiam esset sua perfectio: ergo in creatis nec in linea essendi nec in linea operandi potest actus primus sibi identificare actum secundum.

Secundò, impossibile est, quod sit aliquid in creatis infinitæ actualitatis in aliquo genere: sed si creatum quid sibi identificaret in aliqua lineâ & actum primum & actum secundum, esset tunc infinitæ actualitatis in tali lineâ sive in tali genere: ergo nec in linea unibilitatis nec in ulla alia creata linea potest actus primus identificari cum actu secundo. *Major* est evidens. *Probatur Minor*, quod sibi identificet omnem actualitatem sui generis, non potest non esse in tale genere infinitæ actualitatis: sed si creatum quid sibi identificaret & actum primum & actum secundum, identificaret sibi omnem actualitatem sui generis; cum omne genus entis dividatur à philosophis in actum & potentiam, sive in actum secundum & actum primum, adeoque & in his duobus reperiatur omnis actualitas cujuslibet generis: ergo si aliquid creatum sibi identificaret in aliqua linea & actum primum & actum secundum, esset infinitæ actualitatis in tali linea.

Tertiò, in nullâ creatâ lineâ potest actus primus vel id quod est in actu primò esse à se in actu secundò: sed si identificaret sibi suum actum secundum, esset à se in actu secundo: ergo nec in linea unibilitatis nec in ulla alia creata linea potest actus primus sibi identificare actum secundum. *Major* conceditur, & per se patet: esse namque ab alio transcendit omnia quæ sunt in creatura, sicut esse à se transcendit omnia quæ sunt in Deo

Pro-

Probatur Minor, omne, quod est, & non est tale per causam, est a se tale: sed quod sibi identificat actum secundum, est in actu secundo, ut supponitur. & non est in eo per causam: ergo quod sibi identificat suum actum secundum non potest non esse à se in actu secundo. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, quod non est tale per causam formalem, seu quod non pendet à causa formali ut tale sit, à nulla habet causa quod sit tale; cum tale quid non habeat tunc materialem causam, utpote quæ correlativa est ad formalem; nec etiam habeat causam efficientem aut finalem, utpote quæ, cum extrinsecæ sint, non possunt rem intrinsecè constituere nisi media formali causa, quæ dat esse intrinsecum & specificum: sed quod sibi identificat suum actum secundum, non habet tunc formalem causam, per quam constituatur in actu secundo; alias cum formalis illa causa non alia esset quam actus secundus, esset tunc idem causa formalis sui ipsius: ergo quod sibi identificat suum actum secundum, est in actu secundo, nec tamen est in eo per causam: ergo quod sibi identificat actum secundum cum actu primo est a se & non ab alio in actu secundo: ergo nec in linea unibilitatis nec in ulla alia creata linea potest actus primus sibi identificare actum secundum: ergo id quod est in materia unibile non potest sibi identificare id quo est ipsa actu & formaliter unita: ergo hoc ipso quod materia est per propriam entitatem unibilis (quod est primum præmissum principium) non nisi per unionem entitati suæ superadditam & distinctam actu unitur. *Nota i* *Nota ii*

Probatur 2. ex secundo præmisso principio: *materia, sicut & forma, est accidentaliter & contingenter solum actu unita:* Ergo materia sicut & forma non est actu unita nisi per unionem distinctam & superadditam, non autem cum ejus entitate identificatam. *Probatur consequentia*, quod sibi identificat actualem sui unionem, est essentialiter & ex vi essentialium actu unitum: ergo hoc ipso quod materia est accidentaliter solum & contingenter actu unita, nequit sibi identificare actualem & formalem sui unionem. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, ideo non est, nec dicitur materia essentialiter actu unita, quia ex essentialibus solum petit esse unita, sed quod sibi identificat actualem sui unionem, illud non tantum petit ex suis essentialibus esse actu unitum: ergo quod sibi identificat sui unionem, debet esse essentialiter & ex vi essentialium actu unitum. *Major* conceditur & per se patet. *Probatur Minor*, impossibile est, quod ipsa actualis unio solum petat essentialiter ly *actu uni-*

ri: sed hoc ipso quod aliquid sibi identificat actualem sui unionem, pari modo philosophandum est de illo, ac de ipsa unione quam sibi identificat: ergo impossibile est, quod id quod sibi identificat sui unionem, solum petat ex essentialibus esse unita. *Minor* patet ex terminis, sive ex termino illo identitatis. *Probatur major*, quod ex essentialibus habet solum quod petat aliquid, salvari potest saltem conceptibiliter eo non habito, seu non adepto: sed impossibile est quod ipsa actualis unio salvetur, etiam conceptibiliter sine eo, quod est actu uniri, ut ex terminis patet; alias salvaretur conceptibiliter sine ipsa: ergo impossibile est quod ipsa actualis unio ex suis essentialibus solum petat actu uniri: ergo quod sibi identificat actualem unionem non habet solum ex suis essentialibus quod petat actu uniri: ergo quod sibi identificat actualem sui unionem, debet ex vi essentialium esse actu unitum: ergo si sibi identificaret materia actualem sui unionem, esset essentialiter actu unita: ergo hoc ipso quod materia sicut & forma est accidentaliter solum & contingenter actu unita (quod est secundum præmissum principium) non est hoc ipso actu unita nisi per unionem distinctam & superadditam, non autem cum ejus entitate identificatam.

Probatur 3. ex tertio præmisso principio: *materia sicut & forma per unionem sui suam exercet causalitatem:* ergo actualis illa unio materiæ est à materia modaliter distincta & superaddita. *Probatur consequentia*, causalitas materiæ est ab ipsa materia modaliter distincta & superaddita: ergo hoc ipso quod materia per actualem sui unionem suam exercet causalitatem, est hoc ipso materiæ unio ab ea modaliter distincta. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, id quo realiter mutatur materia, non potest non esse à materia modaliter saltem distinctum: sed mutatur realiter materia per ipsam sui causalitatem, etiam ut talem & præcisè sumptam: ergo causalitas materiæ debet esse a materia modaliter distincta. *Major* est evidens; cum enim realiter mutari sit se habere in se aliter quam prius, & id verificari non possit, nisi sit aliquid de novo superadditum subindeque & modaliter saltem distinctum, consequenter fit, quod id quo mutatur materia, non possit non esse à materia modaliter distinctum. *Probatur minor*, mutari materiam per sui causalitatem præcisè sumptam est per eam mutari in eo etiam priori naturæ, in quo intelligitur antecedere formam: sed de facto ita mutatur materia per sui causalitatem: ergo mutatur materia per sui causalitatem, etiam ut talem &

præ-

præcisè sumptam. *Major* conceditur & per se patet; in eo namque priori nihil nisi ipsa materiæ causalitas reperitur, quo ita possit materia mutari. *Probatur minor*, non potest non mutari materia per sui causalitatem, sub ea ratione qua causalitas est; cum per illam qua talem transeat materia ab uno contrario ad aliud, in quantum scilicet ex non causante fit actu causans, qui quidem transitus nec fieri nec intelligi potest sine mutatione, ut communiter conceditur: sed causalitas materiæ sub ea ratione qua causalitas, præcedit in aliquo priori naturæ formam: ergo de facto mutatur materia per sui causalitatem in eo etiam priori, in quo intelligitur antecedere formam: ergo mutatur materia per sui causalitatem, etiam ut talem & præcisè sumptam: ergo materiæ causalitas debet esse ja materia modaliter distincta: ergo hoc ipso quod materia per unionem sui suam exercet causalitatem (quod est tertium præmissum principium) debet præfata unio esse ab ipsa materia modaliter distincta.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. quæ se habent ad invicem ut actus & potentia etiam essentialiter loquendo, uniri non debent per aliquid superadditum & distinctum: sed ita se habent ad invicem materia & forma: ergo non uniuntur materia & forma mediâ aliquâ unione superadditâ & distinctâ. *Minor* conceditur, *Probatur major*, quæ habent ex se aptitudinem omnimodam ad unionem, indigere non possunt unione superaddita, qua uniantur: sed quæ se habent essentialiter ut potentia & actus, habent etiam ex se omnimodam aptitudinem ad unionem: ergo quæ ita se habent ut potentia & actus, uniri non debent per aliquid superadditum & distinctum. *Major* videtur certa ex terminis. *Probatur minor*, uniuntur potentia & actus per ipsum met recipere & ipsum recipi: sed hoc ipso quod sunt essentialiter potentia & actus habent ex se & ex suis essentialibus præfatam aptitudinem ad tale recipere & recipi: ergo quæ essentialiter se habent ut potentia & actus, habent etiam ex se omnimodam aptitudinem ad unionem.

Videantur lectiones fundamentales in solutionibus objectionum.

Respondeo. negando majorem, ad cujus probationem, in qua majorem supponit aliquem tanquam certam ex terminis, nego absolutè majorem illam; vel claritatis gratia distinguo sic: quæ habent ex se aptitudinem omnimodam ad unionem, indigere non possunt unione superaddita qua uniantur, loquendo de

unionis indigentia, quæ sit defectu aptitudinis. Concedo majorem, quod scilicet potentia & actus non possint nunc unione indigere: loquendo de unionis indigentia, quæ sit defectu sufficientis actualitatis. Nego majorem; sive non possunt unione indigere, quæ sit & detur ut talis aptet ad unionem Concedo; non possunt unione indigere, quæ sit & detur ut eorum reducat & & exerceat aptitudinem seu unibilitatem, Nego majorem; & concessâ minori nego consequentiam, vel distinguo similiter consequens. In hoc ergo allucinantur adversarii, quod existimant, eam quam ponimus nos & requirimus unionem inter materiam & formam, à nobis propterea poni & requiri, ut scilicet illas omnino aptet ad unionem, juxta quam existimationem & sensum verè haud dubiè philosophantur, dum ex eo, quod materia, & forma se habent essentialiter ut potentia & actus omnem hujusmodi unionem excludunt, & unionis indigentiam: allucinantur tamen, nec multum utiliter inludant, dum tot ad hoc probandum congerunt argumenta; cum id solum probent, quod nos à principio & in primo præmisso principio libenter concedimus, nec aliquid concludant contra principia & capita, ex quibus concludimus nos & deducimus unionem superadditam atque modaliter distinctam, non enim volumus requiri unionem illam ad aliquid supplendum aut complendum aptitudinis, quasi aptare debeat & disponere materiam & formam ut uniantur; sed potius ut aptitudinem quam supponit omnimodam in materia & forma reducat & exerceat veluti actuale ejus exercitium & actualis reductio; unde quia in creatis id omne quod est in aliquo actu exercito distinguitur ab actuali sui exercitio, eo quod scilicet id omne, quod in creatis est in actu exercito, est in eo solum participativè & in omni ente per participationem aliud est id quod participatur, & aliud id quod participat, consequenter fit, quod quamvis in materia & forma supponatur aptitudo omnimoda ad unionem, adhuc tamen requiratur distincta & superaddita unio, ex eo præcisè quod reducat ad actum & veluti actualiter exerceat præfatam aptitudinem.

Nota.

Instabis: potentia & actus, subindeque materia & forma majorem habent dispositionem ad unionem, quam duo entia in actu; sed si aliquo indigerent superaddito nexu ut unirentur, non majorem haberent aptitudinem & dispositionem ad unionem quam duo entia in actu: ergo hoc ipso quod se habent materia & forma ut potentia & actus, nullo prorsus indigent superaddito nexu ut uniantur. *Major* ex se patet, cum naturaliter petant potentia & actus actu uniri, non autem duo entia in actu.

Pro-

Probatur Minor, ideo non dicuntur duo entia in actu sufficienter apta ad unionem, quia quantumcumque supponantur aliunde disposita, non nisi tamen superaddito nexu uniri possunt: sed hoc idem verificaretur in hoc casu de potentia & actu, ut conceditur: ergo si potentia & actus aliquo indigerent superaddito nexu ut uniterentur, non majorem haberent aptitudinem ad unionem, quam duo entia in actu.

Respondeo negando minorem, ad cujus probationem distinguo majorem sic: ideo non dicuntur duo entia in actu sufficienter apta ad unionem, quia quantumcumque supponantur aliunde disposita, non nisi tamen superaddito nexu uniri possunt, præcise quia non nisi superaddito nexu uniri possunt Nego, quod præcisè per hoc dicantur non esse sufficienter apta: Quia nonnisi superaddito nexu uniri possunt, qui sit res & completa entitas, & non tantum modus Concedo majorem; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Ideo ergo duo entia in actu dicuntur non esse sufficienter apta ad unionem, quia nonnisi medio aliquo nexu uniri possunt, qui nexus sit res & entitas completa, & non tantum modalis entitas, ut patet in duobus lapidibus qui non nisi medio calce uniuntur: cujus ratio est, quia hoc ipso quod nexus ille quo indigent est res & non tantum modus, se habet consequenter ut quod, seu ut id quod est, & non tantum ut quo, ac proinde non requiritur tantum velut reductio actualis & actuale exercitium ipsius aptitudinis, sed potius ut aliquid supplens & complens aptitudinem, sicque ex indigentia talis superadditi nexus verè colligitur non esse duo entia in actu sufficienter apta ex se ad unionem, cum igitur nexus ille qui requiritur superadditus inter actum & potentiam, requiratur velut modus & modalis entitas se habens essentialiter ut quo & ut actuale exercitium ipsius unibilitatis seu aptitudinis ad unionem, ideo tantum abest quod ex indigentia illius colligi possit, non esse potentiam & actum ex se sufficienter apta ad unionem, sicut colligitur de duobus entibus in actu, quin potius omnino colligitur quod supponat hujusmodi nexus omnimodam aptitudinem, sicut actus secundus supponit omne quod pertinet ad actum primum, & reductio actualis omne quod pertinet ad reducibile. *Nota.*

Urgebis: ideo ergo inter materiam & formam seu potentiam & actum requiritur superadditus nexus, quia requiritur mediare aliquid se habens *ut quo*, seu ut id quo uniantur, & quo exerceatur eorum aptitudo seu unibilitas: sed seclusō tali superaddito nexu adhuc reperitur aliquid se habēs ad illas *ut quo*, sive ad modū alicujus quo uniantur; ergo ruit fundamentū illud præcipuū,

ex

ex quo colligitur superadditus nexus. *Probatur minor*, secluso tali superaddito nexu, adhuc reperitur & supponitur unitiva actio: sed unitiva actio se habet ad materiam & formam *ut quo*, seu ut aliquid quo uniuntur & exercetur earundem unibilitas: ergo secluso tali superaddito nexu adhuc reperitur aliquid se habens ad unibilitatem materiæ & formæ *ut quo*

Nota

Respondeo negando minorem: ad cujus probationem nego similiter minor: cujus quidem ratio est duplex, primo quia ens se habens *ut quo* cum sit essentialiter respectivum, nec tam sit sui quam alicujus alterius, non potest per consequens duobus correspondere quæ sint omnino diversi generis & disparis rationis, sed sicut est unum tantum se habens *ut quo*, sic & unitantum potit correspondere se habenti *ut quod*: sic est quod unitiva actio correspondet potentiæ sibi sentet unitivæ, adeo ut sit unitiva actio id quo causa & potentiæ activa unitiva: ergo non potest hujusmodi unitiva actio esse id quod debet correspondere unibilitati materiæ & formæ veluti ipsius reductio & actuale exercitium quo reducitur & exercetur.

Secunda vero ratio ex qua hocidem colligo est, quia id quod dicitur se habere ad aliquid tanquam ens *ut quo* ad ens *ut quod* cum hoc ipso non tam sit sui quam illius ad quod ita se habet, comparatur consequenter ad illud velut reductio actualis & actuale ejus exercitium, subindeq; & veluti actus ad suam potentiam: atqui potentia & actus sunt in eodem genere, substantiæ scilicet vel accidentis, ut conceditur: ergo id quod se habet ad aliud ut ens ut quo ad eos ut quod, debet esse in eodem genere, substantiæ scilicet vel accidentis, in quo illud aliud reponitur: Jam sic est quod unibilitas materiæ & formæ, cum non distinguatur ut diximus supra ab earundem entitate, est in genere substantiæ, ipsa vero unitiva actio est in genere accidentis, ut supponitur, & ideo correspondet potentiæ activæ agentis quæ est similiter accidens: ergo hujusmodi unitiva actio esse non potest id, quod debet se habere ad unibilitatem materiæ & formæ tanquam ens ut quo ad ens ut quod, ac proinde præter hujusmodi actionem unitivam aliud assignari debet quod tali fungatur munere respectu præfatæ unibilitatis, si que & præter hujusmodi actionem adhuc requiritur ex eo capite superadditus nexus.

Vergebis iterum: non minus causalitas materiæ & formæ se habet ad illas sicut ens *ut quo* ad ens *ut quod*, quam præfatus nexus sed non propterea causalitas illa materiæ & formæ est quid earum entitati superadditum: ergo neque ex illo capite debet esse præfatus ille nexus superadditum quid. *Major* est certa: est enim

enim causalitas materiæ & formæ id quo causant. *Probatur Minor*: consistit causalitas materiæ & formæ in ipso recipere & recipi seu communicari: sed ipsæmet per suas entitates recipiunt & recipiuntur, ut patet: ergo non est causalitas materiæ & formæ quid ipsis superadditum.

Respondeo negando minorem, cujus quidem falsitas colligitur ex tertia probatione conclusionis, ubi ostensum fuit materiam sicut & formam per ipsam sui causalitatem præcisè ut talem, etiam in eo priori in quo intelligitur antecedere formam realiter mutari, quod dici non posset talis causalitas quid ipsis superadditum, ut ibidem notatum fuit; est igitur causalitas materiæ & formæ modale quid earundem entitati superadditum; & hoc præsertim, quia universaliter tenendum est, maximè in via & doctrina D. Thomæ, quid in creatis in omni reali linea in quatuor aliqua existere (a) habet, distingui debet à parte rei & id quod est, & id quo est, nisi velint Thomistæ plures & plures ruere ex suis conclusionibus, quæ tali innituntur principio; præsertim cum rationes quibus hanc probant distinctionem inter ens *ut quo*, & ens *ut quod* concludant universaliter & generaliter pro omni linea, ut consideranti & per multum otium meditanti clarè patebit. Negando ergo est præfata minor, ad cujus probationem distinguo minorem: sed ipsæmet materia & forma præcisè per suas entitates habet recipere & recipi loquendo *ut quod*, ita ut ipsarum entitates sint id *quod* recipit, & *quod* recipitur. Concedo: loquendo *ut quo*, ita ut ipsarum entitates sint & ipsa sui receptio. Nego.

Quia vero est hoc maximi ponderis in præsenti materia, ex quo totus ferè pendet difficultatis nodus, placet hoc confirmare doctrina quadam [meo judicio] irrefragabili, & admissa nedum a majori Thomistarum parte, sed etiam ab extraneis, pura ab ipso Suaresio & sequacibus. D. scurto ergo si, & si intentum probo: non est potior ratio, quam ipsum passivum fieri ipsius formæ v. g. sit quid modaliter distinctum ab ipsa entitate formæ quæ fit, quam ipsius recipi est etiam ipsius fieri a materia, tum quia non minus ipsa formæ entitas est id quod fit, quam id quod recipitur: atqui ipsum passivum fieri formæ, *quo* ipsa forma intelligitur passivè fieri & passivè dependere seu produci, concedatur a majori Thomistarum parte, nec non & ab extraneis supra citatis modaliter distinguo ab ipsa entitate formæ quæ fit; & hoc existimo demonstratum esse in tomo superiori, dum de distinctione essentiæ & existentiæ: ergo & concedendum est & dicendum, quod

quam-

quamvis materia & forma recipiant & recipiantur *ut quod* præcisè per suas entitates, non tamen *ut quo*, sive adhuc nihilominus distingui debet in illis ipsa receptio, sive ipsarum causalitas tanquam modus quidam superadditus se habens essentialiter ut id *quo* exerceatur earundem potentia & aptitudo ad recipere & recipi.

Urgebis: dicunt communiter Thomistæ, causas intrinsecas ad differentiam causæ extrinsecæ causare actu per se ipsas & non per aliquid diversum, ut supponitur causare causa efficiens: sed si materia & forma essent solum per suas entitates id quod recipitur aut recipit, non autem ipsa sui receptio, illud dici non posset: ergo non tantum habent materia & forma per suas entitates esse id quod recipitur aut quod recipit, sed sunt etiam ipsa receptio, quæ est id quo exercetur & vis receptiva & receptibilitas.

Respondeo dictum hoc Thomistarum esse intelligendum, adeo ut dum dicunt Thomistæ, quod causæ intrinsecæ ad differentiam causæ efficientis extrinsecæ non causant actu per aliquid ab illis diversum, sed per seipsas, hoc ita intelligant & veniat intelligendum, ut scilicet per seipsas, hoc est per aliquid ad ipsas pertinens & ejusdem generis cum illis causent, cum tamen causa efficiens extrinseca non nisi per aliquid omnino extranei generis actu causet, puta per actionem quæ est in genere & prædicamento accidentis; pro quo notandum est quod quia causalitas sive actualis causatio se habet ad causam quam exercet sicut actus ad potentiam, consequenter fit, quod ubi potentia causæ est substantia, ut de facto est in materia & forma, utpote ab ipsis indistincta, inde, inquam, fit quod tunc ejus causalitas debeat esse ejusdem generis cum illa, seu substantiale quid & modus quidam substantialis: è contra verò ubi potentia causæ est accidens, ut est in causa efficiente, ejus etiam causalitas sit à præfata causa omnino diversa & omnino extranei generis; sicque quod actu causent causæ intrinsecæ, ad differentiam causæ extrinsecæ, per seipsas, hoc est per aliquid ad ipsas pertinens; atque ita verificatur adhuc præfatum Thomistarum dictum, & servatur in hoc præfata differentia in causando inter causas intrinsecas & extrinsecas, quamvis & intrinsecæ & extrinsecæ sint quidem per entitates suas, id *quod* causat, non tamen per illas præcisè sumptas sint id *quo* causant. Addo præterea, quod præfatum illud dictum non solet ita absolutè prolatum proferri & concedi nisi à Thomistis, contra quos hîc contendimus, quiscilicet omnem excludunt unionem intermediam, adeoque nec

magni

magni est roboris apud nos, nec ejus acquiescere debemus authoritati.

Objicies secundo & ultimò: si daretur præfata unio inter materiam & formam, daretur & inter humanitatem & verbum in Christo: sed non datur nec dari potest inter humanitatem & verbum: ergo nec inter materiam & formam, *Major* communiter conceditur, cum se habeant humanitas & verbum ut terminabile & terminativum, subindeque & quasi potentia & actus, quo modo se habent materia & forma. *Probatur Minor*, dari non potest unio superaddita quin detur causa effective concurrens ad illam; cum sit tunc ens superadditum & productum: sed implicat quod detur causa effectivè concurrens ad unionem humanitatis & verbi: ergo non datur ibi unio superaddita & distincta. *Probatur Minor*, qui concurrit effective ad unionem, habet etiam effectivè attingere extremum prout unitum: sed implicat, quod detur causa effectivè attingens verbum divinum prout unitum: ergo & implicat dari posse causam concurrentem efficienter ad ejus unionem. *Major* constat: efficere namque unionem alicujus, est efficere ipsum esse unitum, adeoque & est illud efficienter attingere prout unitum. *Probatur Minor*, non potest causa aliqua efficienter attingere extremum prout unitum, & non continere in efficientia & activitate sua ipsius unibilitatem; sed implicat, quod detur causa, quæ in activitate & efficientia sua contineat unibilitatem verbi divini: ergo & implicat aliquam dari causam effectivè attingentem verbum divinum prout unitum. *Major* patet; cum prius sit continere in activitate & efficientia extremum ut unibile, quam extremum prout unitum. *Probatur Minor*, omnis unibilitas est intrinseca in extremis: sed implicat, aliquid Deo seu verbo divino intrinsecum contineri in activitate & efficientia alicujus causæ, qualiscumque illa sit sive increata sive creata; cum omnis activitas & efficientia sit in ordine ad ens dependens: ergo & implicat, quod detur causa quæ in activitate & efficientia sua contineat unibilitatem verbi divini.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti: Ad tertium autem distinguo majorem sic: qui concurrit effectivè ad unionem, habet etiam effectivè attingere extremum prout unitum, si extremum illud prout unitum sit transmutabile & transmutandum Concedo, quod tunc debeat contineri prout unitum in efficientia & activitate causæ unientis: si vero non sit præfatum extremum etiam prout unitum transmutabile &

transm-

transmutandum Nego, quod tunc causa effectivè concurrens ad unionem debeat propterea effectivè & activè continere extremum illud prout unitum, sed tota tunc continentia activa & effective exerceri debet erga aliud quod est in unione & per unionem transmutabile: unde cum in unione hypostatica extremum quod est in ea transmutabile & transmutandum sit solum ipsa humanitas, non autem persona divina, ideo causa, quæ effective concurrit ad talem unionem, non propterea continere debet in sua activitate & efficientia ipsum verbum divinum prout unitum, nec consequenter prout unibile. Ratio autem hujus solutionis est, quia agere est correlativum ad pati: ergo activitas sive activa continentia correlativa est ad patibilitatem, sive potentiam quod contentum talis vel conditionis quod possit pati: Jam sic est quod transmutatur extremum per hoc & hoc ipso quod patitur, cum pati ut dicit Philosophus sit recipere, & recipere sit quoddam pati: ergo ubi extremum prout unitum transmutandum non est nec transmutabile, non propterea debet prout unitum contineri in efficientia & activitate causæ unientis & concurrentis ad unionem.

Quares, utrum materia & forma juxta modum quo uniuntur unionem requirant duplicem, an vero unico & simplici nexu sufficienter uniantur.

Respondeo, materiam & formam ex modo quo uniuntur requirere unionem duplicem, quarum una sit in materia receptivè, & terminativè in forma, altera vero sit in forma recepta & terminata ad materiam. Ratio autem hujus est, quia materia & forma non uniuntur utcumque, sed taliter quod utrumque unionis extremum & transmutatur per unionem, & per eandem actu causatur: jam sic est quod ad taliter uniendum, & ut verificentur hæc duo de extremis unitis non potest sufficere unica & simplex unio: non quidem ad primum, non enim utrumq; transmutari potest per unionē, nisi utrumq; aliter se habeat in se, per unionem, quam prius, subindeq; & nisi utrumq; in se recipiat unionem, quod fieri non posset, si unica tantum esset unio: sed nec secundum verificari posset, puta quod utrumque per unionem actu causetur, cum causalitas causæ intrinsecæ hoc ipso quod distincta, ut supponitur in præsenti, debeat in sua recipi causa, utpote perfectio ejus intrinseca, & non possit unica & simplex unio in duabus recipi causis intrinsecis, quales sunt materia & forma: ergo quamvis unica & simplex unio sufficiat ad uniendum extrema utcumque, utpote quæ ex natura sua est vinculum & nexus duorum, non tamen sufficit unica ad uniendum materiam

riam & formam juxta & secundum connaturalem modum quo petunt uniri.

Quenam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thomam omnino favere præfatæ nostræ conclusioni, quod ex tribus aut quatuor colligo; & quidem primò ex iis quæ habet S. Doctor *in quodlib. 1. art. 2. ad secundum*, ubi hæc habet: *Quod una sit facta persona Dei & hominis, hoc non est factum per aliquid realiter absolutum, vel relativum temporaliter inhærens Filio Dei, sed per solam unionem quæ realiter existit in natura creata, non autem est realiter in ipsa persona assumente.* Hæc ibi sanctus Doctor, ex quibus sic arguere licet.

Hoc ipso quod admittitur unionis modus inter humanitatem & verbum divinum, debet à fortiori admitti inter materiam & formam, ut concedunt omnes; sed in præfatis verbis admittit expressissimè Divus Thomas unionis modum inter humanitatem & verbum in Christo: ergo & sentit Divus Thomas admittendum fore inter materiam & formam. *Maior*, conceditur. *Probatur Minor*, dicit Divus Thomas quod facta est una persona Dei & hominis per unionem realiter receptam in humanitate: sed per hanc unionem non aliud intelligit quam modum præfatum unionis, de quo est sermo: ergo admittit Divus Thomas unionis modum inter humanitatem & verbum. *Probatur Minor*, vel per hanc unionem quam ibi ponit Divus Thomas intelligit actionem unitivam, vel relationem consequentem ad extrema unita, vel tandem ipsum unionis modum de quo procedit quæstio: sed nec unitiva actio venit intelligenda, nec etiam hujusmodi relatio: ergo non aliud intelligit Divus Thomas per unionem illam quam ponit inter humanitatem & verbum quam præfatum unionis modum. *Probatur Minor*, quoad utramque partem, & quidem primo quod non intelligat sanctus Doctor actionem unitivam: quia unio de qua ibi loquitur sanctus Doctor, est unio realiter recepta in humanitate; sed si supponeret pro ipsa unitiva actione dici non posset realiter recepta in humanitate, præsertim in doctrina sancti Doctoris cum talis unitiva actio sit actio solius Dei, quæ quidem in doctrina sancti Doctoris est formaliter immanens in Deo, & cum Deo identificata, & solum virtualiter transiens, ut demonstravimus in Metaphysica in quæstione de potentia Dei ut operativa ad extra: ergo per unionem, quam

ſibi ponit Divus Thomas, intelligi non poteſt unitiva actio.

Quod autem nec intelligi poſſit per illam relatio conſequens ad extrema unita ſic oſtendo; unio de qua ibi loquitur Divus Thomas, eſt unio per quam una eſt facta perſona Dei & hominis, ut videre eſt in verbis citatis: ſed per relationem conſequentem ad extrema unita non eſt nec potuit eſſe facta una perſona Dei & hominis; quin imò conſequitur hujuſmodi relatio ad hujuſmodi unam factam perſonam, hoc ipſo quod conſequitur ad extrema unita: ergo per talem unionem quam ibi ponit Divus Thomas nec intelligitur relatio conſequens ad extrema unita, ſicut nec unitiva actio, atque ita non niſi unionis modus intelligendus venit.

Secundo, hoc idem colligo ex verbis quæ habet Divus Thomas *in* 8. *Metaphyſ. lectione ultima*, quæque nobis objicere ſolent adverſarii. Hæc enim ibi habet ſanctus Doctor: *Non oportet uniri potentiam & actum per aliquod vinculum, ſicut ea quæ ſunt penitùs diverſa ſecundum actum.* Hæc ille, ex quibus argumentor ſic.

Non aliam excludit ſanctus Doctor unionem inter potentiam & actum, ſive inter materiam & formam, niſi eam quam requirunt extrema illa, quæ ſunt penitus diverſa ſecundum actum: ſed unio quam requirunt extrema penitus diverſa ſecundum actum non eſt unio quæ ſit modus tantum, ſeu quæ ſola ſe habeat *ut quo*, ſed eſt unio quæ verè eſt res quædam & completa entitas, ac ſe habens etiam *ut quod*, ſive ut id quod eſt, ut patet in duobus lapidibus unitis, vel in ligno aurato: ergo non aliam excludit Divus Thomas unionem inter potentiam & actum, ſive inter materiam & formam quam unionem ſeu vinculum, quæ ſit res quædam & ens *ut quod*, non autem unionem excludit quæ ſit tantum modus & ſolum ſe habens *ut quo*.

Tertio, idem colligo ex aliis verbis, quæ nobis ſimiliter objiciunt adverſarii, quæque habet Divus Thomas *in* 3. *ſentent. diſtinct.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 1. ubi namque ſic loquitur: *in unione humanæ naturæ ad divinam nihil poteſt cadere medium formaliter unionem cauſans, cui per prius humana natura conjungatur quam divina natura: ſicut inter materiam & formam nihil cadit medium in eſſe, quod per prius ſit in materia, quam forma ſubſtantialis.* Hæc ibi D. Thomas, ex quibus ſic arguere licet.

Non

Non aliam excludit Divus Thomas unionem inter materiam & formam sicut & inter naturam humanam & divinam, quam eam, quæ si semel daretur, per prius esset in materia quam forma substantialis: sed hoc ipso quod unio, quæ supponitur mediare, est tantum modus, non per prius est vel esset in materia quam forma substantialis; cum hoc ipso quod est modus, sit essentialiter id quo forma est in materia, ac proinde esse non possit sine forma in materia: ergo non excludit Divus Thomas inter materiam & formam unionem quæ sit essentialiter modus.

Quartò, demum hoc idem colligo ex eo quod secluso semel præfato unionis modo, evertatur vis rationis atque doctrinæ D. Thomæ, ex qua probare solent Thomistæ sententiam illam adeo gravem de distinctione modali essentiæ & existentiæ. Hanc enim distinctionem probant Thomistæ post D. Thomam, quia est hæc propositio accidentalis *Homo existit*: sed hæc similiter accidentalis est: *materia est unita huic formæ*: ergo si hoc non obstante potest adhuc materia esse per propriam entitatem actu unita & sibi identificare sui unionem poterit similiter & eo non obstante esse homo per propriam entitatem actu existens & sibi identificare suam existentiam. Quod si respondeant, ut ab aliquibus Thomistis solet responderi, hanc esse accidentalem: forma est unita materiæ; quia, ut sit unita, pendet ab actione agentis; licet unio identificetur cum forma: eriam poterit responderi hanc esse accidentalem, *Homo existit*, quia licet existentia identificetur cum homine, nihilominus ut existat pendet ab actione agentis producentis existentiam & essentiam. Fateor, me non videre, quid non in verbis sed in re responderi possit huic instantiæ, quæ tamen facile enervatur, si teneatur [ut ego semper tenebo] nullum creatum exercitium in nulla prorsus linea sive essendi, sive operandi, sive unibilitatis identificari cum sua potentia, & illud præcipuè, sine quo etiam naturaliter potentia & actus primus reperiuntur, ut de facto accidit in præsenti: naturaliter enim reperitur unibilitas materiæ, sive materia unibilis sine unione cum hac vel illa forma.

Dices, pari modo philosophandum est & philosophatus est D. Thomas quantū ad necessitatem unionis superadditæ, de materia & forma, ac de humanitate & verbo divino in Christo: sed nullam agnovit D. Thomas unionem mediam inter humanitatem & verbum: ergo neque inter materiam & formam. *Probatur minor*, ex his quæ habet Divus Thomas *in 3. ad Anni-*

baldum, distinct. 5 quæstione unica, art. 3. ubi sic loquitur: *Vnio tripliciter accipi potest; uno modo prout unio est idem quod unitio. Alio modo prout unio est passio, seu dependentia quædam naturæ assumptæ ad assumentem. Tertio verò modo unio est relatio consequens hujusmodi actionem & passionem.* hæc ibi Divus Thomas; ex quibus subsumo sic: sed unio modalis, de qua est sermo, sub nulla ex enumeratis unionibus intelligenda venit: ergo nullam agnovit D. Thomas unionem modalem inter naturam assumptam & assumentem, sive inter humanitatem & verbum.

Respondeo negando minorem, cujus falsitatem supra sufficienter ostendimus ad probationem vero nego similiter minorem: Hæc enim modalis unio & in re, & in mente Divi Thomæ intelligenda venit sub illa dependentia quam agnoscit Divus Thomas superadditam in natura assumpta in ordine ad naturam assumentem; & quidem quod per illam dependentiam vere intelligat sanctus Doctor præfatam unionem, hoc evidenter colligo ex his quæ habet *in quodlib. 1. art. 2. ad secundum*, ubi habet: *Quod una sit facta persona Dei & hominis, hoc non est factum vel per aliquid absolutum vel relativum, sed per solam unionem receptam realiter in natura assumpta:* Hæc ille, ex quibus sic arguo ad intentum: facta est una persona Dei & hominis per ipsam dependentiam naturæ assumptæ ad assumentem, etiam præcisè sumptam, cum tali posita dependentia, etiam omni alio secluso, adhuc extet una persona Dei & hominis: sed dicit Divus Thomas quod facta est una persona Dei & hominis per ipsam unionem realiter receptam in natura assumpta: ergo præfata dependentia naturæ assumptæ ad assumentem talis est in mente sancti Doctoris, quod etiam absolutè loquendo dicatur unio superaddita seu recepta: sed sola modalis unio de qua inquiritur habere potest quod absolutè loquendo dicatur unio superaddita, cum actio unitiva sit absolutè loquendo unitio potius quam unio, & relatio consequens ad extrema unita non tam sit unio quam comparatio & habitudo unitorum: ergo per hujusmodi dependentiam superadditam naturæ assumptæ ad naturam assumentem vere & de facto intellexit Divus Thomas unionem illam, de qua est sermo.

QUÆ.

QUÆSTIUNCULA.

Utrum totum Physicum distinguatur à materia & forma unitim sumptis.

Respondeo dicendum, quod ipsum totum Physicum, quod usurpatur in præsenti pro ipsa natura totali quæ constat ex partium unione, distingui non potest taliter a partibus seu materia & forma unitim sumptis, quod sit tertia aliqua realitas & entitas ex illis ita simul sumptis resultans: licet aliqualiter ab illis distinguatur, distinctione scilicet rationis penes implicitum & explicitum, in quantum totum implicitè dicit, quod partes dicunt explicitè. Hujus autem indistinctionis ratio, & quidem meo judicio convincentissima est, quia quoties & ubicumque duo aliqua ita se habent inter se, quod unum aliud sibi identificet, talia tunc non aliam & aliam important entitatem sive realitatem: sed taliter se habet totum ad materiam & formam unitim sumptas, ut eas sibi identificet & cum illis identificetur: ergo non distinguitur totum ab illis in realitate, adeo ut tertiam importet entitatem ex earum entitate resultantem. *Probatur Minor*, hoc ipso quod non se habet totum ad materiam & formam simul sumptas, ut eas sibi uniat & uniatur, debet taliter se habere, quod eas sibi identificet & identificetur: sed non ita se habere potest totum, ut materiam & formam unitim sumptas sibi uniat & cum eis uniatur; ergo debet ita ad illas se habere ut eas sibi identificet, & cum illis identificetur. *Major* est evidens non enim aliter materia & forma unitim sumptæ ingredi possunt ipsum totum, quam vel per unionem cum illo, vel per identitatem. *Probatur Minor*, in qua tota sita est difficultas, & quidem duplici aut tripli medio; & utroque [meo judicio] irrefragabili.

Primo, unio est essentialiter duorum: ergo esse non potest unio nisi inter ea, quæ ad invicem comperata faciunt numerum: sed impossibile est quod totum Physicum faciat numerum cum materia & forma unitim sumptis; cum in quovis numero una pars sit certum quid seorsim ab alia, & totum Physicum nihil sit seorsim à materia & forma unitim sumptis; alias esset compositum sine eo quo est compositum, puta sine componen-

tibus, quod quidem in terminis implicat ut per se patet: ergo impossibile est taliter se habere totum physicum ad materiam & formam unitim sumptas, ut eas sibi uniat & uniatur cum eis.

Secundo, omnis unio ordinatur essentialiter ad totum aliquod compositum constituendum, cum nihil aliud sit compositio, quam distinctorum unio: sed impossibile est quod unio totius Physici cum materia & forma unitim sumptis ordinetur ad totum Physicum constituendum, cum hoc ipso quod est unio totius cum altero, illud jam supponat in ratione totius constituti, sicut hoc ipso quod est unio materiæ & formæ, illas jam supponit in ratione materiæ & formæ: ergo impossibile est ita se habere totum Physicum ad materiam & formam unitim sumptas, ut cum eis habeat unionem.

Tertiò, totum hoc ipso quod est aliud à materia & forma unitim sumptis, est hoc ipso & aliquid eis perfectius; cum sit in hoc casu id, ad quod ordinantur illæ unitim sumptæ: ergo hoc ipso quod unitur totum materiæ & formæ unitim sumptis, unitur illis ut aliquid eas perficiens & actuans: sed impossibile est quod totum uniatur materiæ & formæ simul sumptis ut eas perficiens & actuans: ergo & impossibile est quod eis etiam absolutè uniatur. *Probatur subsumptum*, in tantum aliquid alteri unitur ut perficiens, in quantum aliquod ei tribuit esse; omnis namque perfectio attenditur juxta aliquod esse, ut conceditur, & ut inductione patet: sed impossibile est quod totum Physicum aliquod tribuat esse materiæ, & formæ unitim sumptis; cum nec tribuere possit esse accidentale sive secundum quid, utpote quod est totum quoddam substantiale; nec etiam tribuere possit esse substantiale sive simpliciter, utpote quod supponitur jam communicatum à forma jam communicata & unita: ergo impossibile est, quod totum Physicum taliter se habeat ad materiam & formam unitim sumptas, ut illas sibi uniat & uniatur cum eis: ergo totum Physicum importat materiam & formam unitim sumptas per hoc quod illas sibi identificat & identificatur cum eis: ergo non potest totum Physicum se habere ad materiam & formam unitim sumptas ad modum tertiæ alicujus entitatis & realitatis realiter ab eis distinctæ.

Dices 1. totum Physicum est vere & propriè unum, cum sit unum per se, ut supponitur: sed materia & forma ut unitim sumptæ non possunt dici unum: ergo totum Physicum non potest non esse aliud à materia & forma, etiam ut unitim sumptis. *Probatur Minor*, id à quo unumquodque dicitur unū est unitas: sed materia & forma etiam ut unitim sumptæ non habent unita-

tem

tem: ergo nec habent ut unitim sumptæ, quod dici possint unum. *Probatur Minor*, nihil habent materia & forma ut unitim sumptæ, quod non habeant divisim præter unionem; sed unio non est nec dici potest unitas; cum unitas sit unius, & unio sit duorum: ergo materia & forma etiam ut unitim sumptæ non habent unitatem.

Respondeo distinguendo majorem sic: totum physicum est verè & propriè unum, unitate compositâ Concedo: si verè & propriè unum unitate simplici Nego. Similiter distinguo minorem: sed materia & forma ut unitim sumptæ non possunt dici unum unitate simplici Concedo: non possunt dici unum unitate compositâ Nego minorem & consequentiam. Ratio autem hujus solutionis est, quia unum unitate compositâ esse debet ens quoddam, non quidem ex componentibus exurgens & resultans ut tertium quid, (sic enim componentia ipsum non ingrederentur in facto esse, adeoque & esset ens simplex in facto esse) sed ex ipsis conflatum componentibus: jam sic est quod ens ex ipsis conflatum componentibus non potest de alio in hoc casu verificari, quam de materiâ & formâ unitim sumptis, cum ut jam dictum est totum quod non est materia & forma unitim sumptæ, sed aliud ex illis resultans ut tertium quid, dici non possit tale ens ita ex componentibus conflatum eo *Nota*, quod scilicet hoc ipso quod comparatur ad componentia unitim sumpta ut tertium quid, sit aliquid & certum quid sine hujusmodi componentibus, utpotè faciens cum illis numerum, quod tamen dici non potest de ente quod non est ens nisi conflatum ex componentibus: ergo ly unum unitate composita de alio verificari nequit quam de materia & formâ ut unitim sumptis ex quo patet responsio ad sequentia.

Dices secundò, impossibile est, materiam & formam non distingui à toto sub ea ratione quâ totum realiter causant: sed ipsum causant totum ut unitim sumptæ: ergo impossibile est, quod etiam ut unitim sumptæ non distinguantur realiter à toto. *Major* videtur evidens: nihil enim esse potest causa sui ipsius. *Probatur Minor*, materia unitim sumitur hoc ipso quod sumitur ut recipiens formam & forma ut informans materiam: sed non causant materia & forma totum physicum nisi recipiendo & informando: ergo & ipsum causant totum ut unitim sumptæ.

Respondeo negando minorem, quod scilicet materia & forma totum causent ut unitim sumptæ; cujus ratio est, quia ut dicantur materia & forma unitim sumptæ, non sufficit quod

una sumatur in recto, & altera in obliquo, ut dum dicitur materia recipiens formam, vel forma informans materiam, sed debet utraque sumi in recto, vel utraque in obliquo; tum quia dum una sumitur in recto & altera in obliquo, sumuntur tunc ut se mutuo respicientes, subindeque & quasi divisivè, cum sumantur tunc ut exercentes inter se oppositionem respectus; cum tamen materia & forma ut unitim sumptæ non exerceant oppositionem respectus ad invicem, sed potius quasi ad modum unius subjecti respiciunt prædicata in quibus ita unitim sumptæ communicant: tum quia hoc ipso, quod una sumitur in recto & altera in obliquo, ut dum dicitur materia recipiens formam, habet una putà materia prius attingi & considerari quàm altera; cum tamen materia & forma ut unitim sumptæ ita se habeant, ut sub tali ratione non nisi simul & semel attingi possint ab intellectu, ut consideranti patebit: tum denique quia hoc ipso quod una se habet in recto & altera in obliquo, quod tunc sumitur non nisi pro uno supponit, nec ibi propriè & ex æquo verificantur ly *sumpta*, seu ly *sumuntur*; sed tantum ly *sumitur*, quod ex eo patet, quod si de iis ita sumptis putà de materia formam recipiente aliquid prædicetur, verè & reipsa non nisi de una tale quid prædicatur, ut si dicas materia formam recipiens est potentialis, cum tamen contrarium eveniat, quando ex iis non unum tantum sumitur, sed de facto & verè unitim sumuntur, ut patet dum dicitur materia & forma unitim sumptæ sunt subsistentes, ubi ly subsistentes quod est prædicatum verè tunc de utraque prædicatur, & non de una tantum; verum ergo est, quod ut dicantur materia & forma unitim sumptæ non sufficit quod una in recto sumatur & altera in obliquo, sed debet una & altera sumi in recto, vel utraque in obliquo: jam sic est quod non habent materia & forma totum causare nisi in quantum una in recto sumitur & altera in obliquo, cum non causent nisi per hoc, quod materia est recipiens formam, & forma informans materiam, ut conceditur: ergo non propterea verificatur nec sequitur, quod materia & forma ut unitim sumptæ causent totum.

Dices tertiò, hoc ipso quod aliqua à parte rei verificantur de toto, quæ non verificantur de materia & forma unitim sumptis, & è contra non possunt hoc ipso materia & forma unitim sumptæ non distingui à toto à parte rei: sed sic est quod aliqua ita verificantur à parte rei de toto quæ non verificantur de materia & forma unitim sumptis; dicitur enim de toto quod est id *quod est*, & *quod operatur*, quod tamen non dicitur de par-

ti-

tibus; & de partibus etiam unitim sumptis dicitur quod componunt, quod tamen non verificatur de toto: ergo debet totum distingui à parte rei à materia & forma unitim sumptis.

Respondeo distinguendo majorem sic: hoc ipso quod aliqua verificantur de toto, quæ non verificantur de partibus unitim sumptis, non possunt hoc ipso non distingui à parte rei, si talia non verificentur de partibus unitim sumptis secundum rem significatam Concedo, si verò de illis non verificentur præcisè propter & secundum significandi modum Nego, quod propterea arguatur inde distinctio aliqua realis inter totum & partes, & sub eadem distinctione minoris Nego consequentiam. Pro quo notandum est, posse ex duplici capite provenire, quod aliquid, quod de uno prædicatur, non prædicetur de alio, puta vel ex diversitate eorum in re significata, in quo sensu quod prædicatur de substantia verbi gratia non prædicatur de accidente; vel præcisè ex diverso modo significandi eandem rem, juxta quem modum docetur in Logica, quod quæ verificantur de forma in abstracto, non propterea debent verificari de eadem in concreto, vel è contra; & ita conceditur quod homo scribit, homo ædificat, quod tamen negatur de humanitate; sicut autem quod aliquid verificetur de forma ut in concreto, nec tamen de eadem verificetur in abstracto, non propterea id arguit realem aliquam distinctionem in formis illis sub ratione formæ, propterea quod id provenit & provenire potest ex diversitate in modo tantum significandi, & non in re significata; ita nec argui debet realis aliqua distinctio inter totum & partes seu materiam & formam ut unitim sumptas, ex eo quod verificetur aliquid de toto, quod de illis non verificatur, vel è contra; quia hoc ex diverso solum significandi modo provenit, non autem ex diversitate in re significata; quod ex eo colligo, quod res significata per totum non se habet ad rem significatam per partes unitim sumptas, ut illam sibi uniat aut cum ea uniatur, ut existimo supra demonstrasse in responsione ad quæsitum, & quidem triplici medio; unde cum res illa significata per totum comprehendat aliunde & supponatur comprehendere rem significatam per partes unitim sumptas, debet consequenter hanc sibi identificare, & ita excludere debet diversitatem in re significata, & solum diversitatem inducere in ipso significandi modo.

Dices quarto, quod ex Divo Thoma *quodlibeto secundo, articulo tertio, ad primum*: *Aliquando ex his, quæ simul jungun-*

tur, relinquitur aliqua res tertia: sicuti ex anima & corpore constituitur humanitas: sed si totum non distingueretur à suis partibus unitim sumptis verificari non posset, quod ex his quæ simul junguntur relinqueretur res tertia: ergo ex D. Thoma distinguitur realiter totum physicum, ut humanitas à suis partibus etiam unitim sumptis.

Respondeo negando minorem. Pro quo notandum est, quod aliud est loqui de partibus, ut sunt ea, quæ simul junguntur ad totum componendum, & aliud est de iisdem loqui ut conjunctim sumptis, habent enim partes, quod sint ea, quæ simul junguntur per hoc præcisè, quod una in recto sumitur aliam importans in obliquo, putà per hoc, quod sumitur materia ut recipiens formam, ut per se patet: in quo quidem sensu & juxta quam acceptionem certissimum est totum esse rem tertiam relictam ex illis quæ ita junguntur; cum totum sub nulla ratione sit nec dici possit una ex suis partibus, subindeque nec sit materia recipiens formam, nec etiam sit forma actuans & informans materiam: non est tamen ita certum, imo omnino falsum est, quod sit totum res tertia comparativè ad partes unitim & conjunctim sumptas, & ex iis ita conjunctim sumptis resultans; quod quidem ex eo patet, quod quamvis totum sub nulla ratione sit vel dici possit una ex suis partibus, & ita nec dici possit materia recipiens formam: vel forma actuans materiam, est tamen totum & dici potest esse suæ partes ita communicantes, cum illas includat ut supponitur, nec tamen illas includat per unionem, quam habeat cum eis, ut jam dictum est, subindeque illas solum importare possit per identitatem: ergo quamvis sit totum res aliqua comparativè ad partes quæ simul junguntur, non propterea sequitur, quod debeat esse totum ita realiter distinctum à suis partibus conjunctim & unitim sumptis.

Quod autem sit hæc solutio juxta mentem & intentum sancti Doctoris ex eo apertè colligo, quod habet divus Thomas *in quart. contra gentes, capite octuagesimo primo*, ubi habet: *De humanitate verò non est intelligendum, quod sit quædam forma consurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quasi sit realiter alia ab utraque; quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, ut dicitur 2. de anima, textu nono. Illa tertia forma consurgens non esset substantialis sed accidentalis.* Hæc divus Thomas, quibus & nostram probat sententiam, & præfatam insinuat solutionem, in qua & juxta quam diximus, quod quamvis totum, putà humanitas nec sit materia recipiens formam,

mam, nec dici possit forma informas materiam, eo quod scilicet totum sub nulla ratione est vel dici potest una ex suis partibus, non tamen est totum aliud realiter ab utraque, quia scilicet totum quod non est una ex suis partibus, est nihilominus suæ partes, utpotè quas importat, non media unione, sed media identitate.

Colliges, quod quando dicit Philosophus *in quint. Metaphysic. textu decimo nono*, quod *bis tria non sunt sex*; & *in septim. Metaphysic. textu sexagesimo*, quod *syllaba non est elementa*, id est non est literæ ex quibus constat, non propterea intendit dicere & docere, quod totum distinguatur à suis partibus, vel quod totum non sit realiter suæ partes: oppositum enim expressè docet *in quart. Physicorum, capite tertio* ubi ait: *Alio modo est aliquid in alio, ut totum est in partibus: neque enim aliquid est totum quam partes.* Unde dum ait loco citato quod bis tria non sunt sex, intendit solum quod ut sunt formaliter bis tria, & ut constituunt speciem ternarii non sunt sex, propterea quod una species numeri non est formaliter sumpta pars alterius, sed solum materialiter quatenus scilicet unitates claudit, ex quibus quilibet numerus tanquam ex partibus componitur & ita non bis tria sed sex unitates sunt sex; in alio vero testimonio in quo refertur dixisse quod syllaba non est elementa, seu literæ ex quibus constat, truncatur sensus testimonii; non enim dicit absolutè Philosophus, quod syllaba non est elementa; sed quod *syllaba non est elementa sicut cumulus*; quod utique verum est, quia cumulus solum dicit partes simul in eodem loco, absque aliquo tamen ordine: syllaba verò dicit elementa seu literas ordinatè se habentes.

COROLLARIUM

Per quid differant violentum & artificiale à naturali, & in quo consistant.

EXplicatâ supra naturæ quidditate in introductione ad Physicam, & iis fusè in hoc libro explicatis, quæ ad causas ejus intrinsecas seu principia & partes spectant, unum superest declarandum per quid scilicet naturale quod tale dici-

dicitur, quia constat natura, differat ab artificiali & violento; cum vis & ars sint etiam principium motus, sicut & natura, & aliunde in sensibilibus & naturalibus inveniantur. Igitur

Sciendum primò. In eo consistere differentiam inter naturalia & artificialia, quod naturalia habent in se principium sui motus, ita quod moveantur ab intrinseco hoc ipso quod naturalia sunt & ut à natura moventur, non autem artificialia. Ratio autem hujus est, quia forma naturalis quæ ex intrinsecè constitutiva naturalis entis, est principium motus ipsius entis quod constituit, sic forma naturalis lapidis est principium motus ipsius lapidis, puta motus deorsum; & forma ignis principium motus sursum in ipso igne quem similiter intrinsecè constituit: jam. sic est, quod forma artificialis ex qua sola intrinsecè constituitur ens artificiale, nullius motus est principium, ut patet: ergo distinguitur naturale ab artificiali, per hoc quod habet in se ens naturale principium sui motus, non autem artificiale.

Sciendum secundò, Quod quando dicitur ens naturale in se habere principium sui motus ad differentiam artificialis, ly motus sicut ibi simpliciter profertur, ita & sumi debet simpliciter & quoad substantiam, & non tantum quoad aliquem & aliqualem sui modum, unde licet navis quæ activè movetur per aquas à vento vel à remigibus, & plaustrum quod activè movetur ab illud portantibus: licet, inquam, & plaustrum ratione suæ formæ artificialis rotarum, & navis ratione suæ videantur habere principium passivum talis motus; nec enim absque tali forma posset navis moveri, ut movetur super aquam, neque absque tali forma artificiali rotarum posset plaustrum moveri ut movetur ab équis, hoc tamen non obstante salvatur adhuc differentia assignata inter naturale & artificiale, ex eo scilicet quod talium motuum quoad illorum substantiam principium passivum est ipsa forma naturalis ligni ex quo conficitur navis, & ligni ex quo conficitur plaustrum, quia ratione ipsius formæ naturalis ligni habet navis, quod possit supernatare, & non submergi in aquis, licet quoad modum & majorem velocitatem motus tum navis, tum plaustri (& idem dic cum proportione de omnibus aliis motibus) conducat eorum figura artificialis.

Sciendum tertiò, Quod quamvis ars quæ est in mente artificis esset principium alicujus motus quoad substantiam in ipso artifice, ut voluat aliqui, id tamen non sufficeret, ut diceretur ens artificiale habere principium sui motus; quando quidem

dem per artem non constituitur intrinsecè ens artificiale, sed solum intrinsecè per illam constituitur artifex; ens autem artificiale constituitur per terminum artis, scilicet per formam artificialem; atque ita modo ipsa artificialis forma non sit principium motus ipsius entis artificialis, etiam si ars esset principium motus ejus in quo talis reperitur ars, non propterea ens artificiale principium in se haberet sui motus, ac proinde semper in hoc distinguitur ab ente naturali. Nihilominus

Sciendum quartò, Quod nec ars est principium motus ejus in quo talis ars reperitur; Quia cum ars sit in mente artificis, & non agat creatura physicè transeunter per actum intellectus, nec per principium quod est in intellectu [solus enim Deus per suas ideas aliquid extra suum intellectum producit] ars quæ est in mente artificis dirigit quidem & regulat motus ipsius artificis, ut ars citharisandi quæ est in mente musici, dirigit & regulat motus manuum citharisantis quoad numerum & dispositionem ipsorum motuum; non tamen ipsa ars est principium talis motus quoad substantiam, sed ejus potius substantialis forma; & ita non solum ens artificiale non habet principium intrinsecum sui motus, sed nec artifex formaliter ut artifex habet principium sui motus, nec ejus ars habet propterea rationem naturæ; unde ad id quod objici solet, quod scilicet per artem quandoque fiunt opera naturalia, ut dum panificus per artem suam facit panem ex tritico, & medicus per artem medicinæ sanitatem causat, quæ est in genere entis naturalis; ex quo inferre solent quod opera naturalia & artificialia non distinguuntur, cum utraque fieri possint media arte; Ad hoc inquam, dicendum est, quod ars virtute propria nullam formam potest causare naturalem, sed solum applicanda activa passivis; & quod tunc forma quæ causatur non causatur ab arte, sed à corporibus quæ applicantur. Unde nunquam evenit quod res naturalis sit proprius artis effectus, sed solum proprius ejus effectus est forma artificialis, pro expositione autem violenti.

Sciendum quintò, violentum esse *quod fit ab extrinseco, passo non conferente vim.* Ita communiter assignatur definitio violenti; & sumitur ex Aristotele *tertio Ethicorum, capite primo*, dicente, violentum esse *cujus principium est foris, in quod nihil confert is qui agit aut patitur*; colligiturque & ex Divo Damasceno 2. *de Fide, capite vigesimo quarto*, ubi habet quod *invitè*, id est violenter, *fieri id dicitur, quod principium habet extrinsecum, nihil motu suo atque conatu ad actionem conferente eo, cui vis infertur.* In quibus definitionibus juxta communem

nem interpretum sententiam, cum dicitur *passo non conferente vim*, aut *quod nihil confert is qui violentiam patitur*, non debet id intelligi merè negativè : aliàs violenta esset homini cujusvis formæ supernaturalis infusio, ad quam nullam inclinationem aut connatum habet naturalem, sed potentiam solum obedientialem; & violenta esset ligno forma artificialis in ipso introducta : quæ tamen licet non sit naturalis, non propterea est violenta, sed præternaturalis ; sed debet intelligi, quod ut aliquid sit alicui violentum, ei positivè per contrariam inclinationem resistat. Sic autem intellecta definitio optima est, utpotè soli competens violento, & omnia alia à ratione violenti excludens; per id enim quod est *esse à principio extrinseco* excludit naturale & voluntarium, quæ sunt à principio intrinseco : per id verò quod *passum debeat positivè resistere* excluditur præternaturale, ut est forma artificialis in ligno ; ad hoc enim licet passum non concurrat, sed fit à principio extrinseco; positivè tamen non resistit.

Sciendum 3. extò, Quod ut aliquid sit alicui violentum, sufficit quod sit contra principium ejus passivum per modum naturalis inclinationis, seu contra naturalem ejus inclinationem etiam passivam. Cujus ratio est, quia ideo quod est contra principium activum inclinationis alicujus dicitur ei violentum, quia ad id per tale suum principium activum naturaliter positivè resistit : Jam sic est quod ei etiam quod fit contra passivam inclinationem, seu contra principium passivum per modum naturalis inclinationis ad aliquid, per tale principium passivum positivè resistit passum ; principium namque passivum per modum naturalis inclinationis ad habendum aliquid est pondus & naturalis inclinatio ad illud habendum ; ac proinde cum à principio extrinseco impediatur ad habendum illud, per ipsummet principium passivum quo ponderat & inclinatur ad illud habendum positivè resistit illius privationi : ergo ut aliquid sit alicui violentum, sufficit quod sit contra principium ejus passivum per modum naturalis inclinationis. Et hoc insinuat Aristoteles in definitione violenti. Dum enim asserit violentum esse *in quod nihil confert is qui agit aut patitur*, utrumque resistens principium videtur includere, activum videlicet in eo quod agit, & passivum in eo quod patitur. Unde si cælum nunc suo privaretur motu ; aut si potentia visiva objecto approximato & mediorectè dispositio impediretur ne species reciperet visibiles, in his violentiam paterentur, quamvis ea solum essent contra principium passivum naturaliter inclinans ; cum enim oppositum

esset

esset illis naturale, hoc esset illis innaturale & violentum.

Sciendum ultimò, Non sufficere ad rationem violenti, quod sit contra principium passivum illius quod violentiam patitur, nisi, ut dictum fuit supra, principium illud passivum cui contrariatur sit in eo per modum naturalis ponderis & inclinationis; & ita cessatio circularis motus in aliquo globo non propterea dicitur ei violenta, licet sit contra principium passivum quod habet ad hujusmodi circularem motum ratione figuræ circularis; cujus ratio est, quia principium passivum, quando est tale, quod sit pondus & inclinatio naturalis ad motum, resistit tunc cessationi motus: ac proinde facit talem cessationem à motu esse violentam: Non tamen id facit principium passivum quod non est per modum naturalis inclinationis ad aliquid, quia tunc illud est solum capacitas, non autem pondus ad talem terminum, ac proinde non resistit privationi illius. Unde ut bene notat D. Thomas *q. 5. de potentia, art. 5. ad* 12. quando quiescet solum post finem mundi, non erit tunc ejus quies ei violenta, licet ei violenta esset si ante finem mundi & nunc quiesceret; cujus ratio & quidem notatu digna est quia cælum habet solum ad motum aptitudinem ratione suæ figuræ circularis, & habet inclinationem naturalem ratione sui finis ad quem est creatus à Deo, quique est influere in hæc inferiora, ut impleatur numerus electorum; & sic perseverante tali fine, ut perseverat nunc, esset cessatio motus ei violenta, quia nunc esset contra principium ejus passivum annexam habens naturalem inclinationem ad motum: cessante autem eo fine ut cessabit post diem judicii, solum manet in cælo aptitudo ad motum ratione suæ figuræ circularis: non autem manebit tunc in cælo ad motum inclinatio naturalis; & ita tunc non moveri non erit cælo violentum, quia nec habet principium activum ad motum per modum principii activi emanationis ipsius motus, neque habebit tunc principium per modum inclinationis naturalis ad ipsum motum. *Nota.*

(o)

LIBER

LIBER II.

De principiis extrinsecis entis naturalis seu mobilis, sive de causa efficiente & finali.

CUM jam in priori libro actum fuerit de ente seu corpore naturali & mobili quantum ad principia ejus intrinseca, puta quemadmodum constet ex materia prima & forma substantiali, tanquam ex partibus intrinsecis; unde appellatur corpus sive compositum; & tanquam ex duabus naturis, quæ scilicet rationem habent principii motus aut quietis ejus in quo sunt, unde & appellatur corpus naturale. Item quænam sit harum partium quidditas; quo modo & qualiter uniantur, &c. superest igitur ut in hoc agamus libro de ejusdem entis seu corporis naturalis & mobilis principiis sive causis extrinsecis, quæ quidem sunt numero duæ, efficiens scilicet & finalis, ut notatum fuit in introductione ad physicam ubi etiam definitionem hujusmodi causarum, divisionem, prioritatem & alia quæ facilioris sunt intelligentiæ breviter sed tamen sufficienter exposuimus. Quia vero una ex divisionibus causæ efficientis est in increatam, quæ propterea nuncupari solet causa prima, & creatam, quæ dici solet causa secunda, ideo ut explicetur quænam sit dependentia & subordinatio unius harum causarum ad alteram, & quidem non solum in essendo sed etiam in operando, sit.

QUÆSTIO I.

De necessitate præmotionis inter causam primam & causam secundam.

Quod Deus PRæmittendum primò, Contra Durandum *in* 2. *distinct.* 1. *quæst.* 5. ubi negat concursum Dei immediatum ad omnes effe-

effectus; vultque quod solum concurrat Deus ad illos, producendo illorum causas & tribuendo eis virtutes activas ad operandum, ipsasque causas & tales earum virtutes conservando, absque eo quod ad aliquem eorum immediatè concurrat actum præmittendum, inquam, quod præter id quod Deus sit causa prima causas producat secundas eisque virtutes operativas præbeat, atque illas & tales earum virtutes conservet, adhuc immediatè cum prædictis causis secundis ad omnes illarum & actus & effectus concurrat, juxta illud scripturæ, Isaiæ 26 *omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Ratio autem hujus occurrit duplex, à priori una & altera à posteriori; ratio à priori est, quia unumquodque operatur in quantum est in actu: ergo quod per seipsum immediatè est in actu summo & illimitato, per seipsum etiam immediatè debet omnia operari sed est Deus per seipsum immediatè ita in actu: ergo & debet Deus ad omnia per seipsum & immediatè concurrere activè & efficienter. Ratio autem à posteriori est, quia potest Deus per seipsum & immediatè annihilare effectus causarum secundarum, etiam conservando causas eorum sive universales sive particulares in esse: sed annihilatio nihil est aliud quam suspensio concursus, medio quo res conservabatur in esse: ergo præter concursum quo conservat Deus causas secundas, alium habet quo immediatè conservat earum effectus & actus: sed si Deus non produceret tales effectus immediatè, non haberet concursum, quod illos immediatè conservaret; cum conservatio alicujus sit continuata illius productio: ergo & à posteriori colligitur habere Deum concursum, quo immediatè producat [in suo scilicet ordine causæ primæ] effectus causarum secundarum, quos scilicet producunt in suo ordine inferioti & subordinato causæ secundæ. Vnde & Deus seu causa prima, & ipsa causa secunda eundem immediatè attingunt & operantur effectum; imò & unâ & eadem actione productivâ, licet sit in illis diversa virtus operativa; quia cum causa secunda utpote agens inferius non operetur nisi cum subordinatione ad primum agens, debet per consequens ejus actio simul esse & ab illo & à primo agente, sive à Deo. Cum hâc tamen differentia, quod respectu agentis creati talis actio est præcisè productio effectus, & nullatenus effectus alterius alicujus actionis; respectu autem agentis increati hæc eadem actio est quidem productio talis effectus, sed simul etiam est effectus actionis increatæ Dei: propterea quod nihil ad extra potest à Deo emanare, nisi ut effectus actionis increatæ Dei, & cum ipso Deo identificatæ ut ostendimus in me-

immediate concurrat ad actus & effectus causæ secundæ

Notate

Notate

taphyſica in quæſtione de potentia operativâ Dei ad extra.

Præmittendum 1. in hoc convenire & conciliari Moliniſtas cum Thomiſtis, quatenus docent, & quidem recte non poſſe cauſam creatam agere niſi cum ſubordinatione ad Deum. Quod variis modis explicare ſoleant. Ac primò quidem quatenus diſpoſitæ ſunt ſub ipſius directione: nec agunt niſi in ordine ad finem quem intendunt. Secundò eo ſenſu dicuntur illi ſubordinatæ res omnes, quod poſſint ab ipſo elevari tanquam inſtrumenta ad varios effectus ſupernaturales. At tertiò inquiunt Deo præcipuè & ſufficienter ſubordinantur per virtutem agendi ſibi naturalem, quatenus acceptam à Deo & iugiter conſervatam. Quomodo v. g. ignis per calorem à Deo acceptum, & iugiter conſervatum dicitur eſſe ille ſubordinatus in agendo; potiò in hoc quod dicunt, ſubordinari ſufficienter cauſas ſecundas per hanc virtutem agendi naturalem quatenus acceptam a Deo & conſervatam diſcrepant à Thomiſtis: iſti enim hanc ponderantes doctrinam S. Doctoris quam affert pluribus in locis, & præſertim *in quæſt. 3. de potentia art.* 7. ubi habet: *Deus eſt cauſa actionis cujuslibet, & in quantum dat virtutem agendi: & in quantum conſervat eam, & in quantum applicat actioni: hoc enim tertio modo dicitur una res eſſe cauſa actionis alterius in quantum eam movet ad agendum, in quo non intelligitur collatio aut conſervatio virtutis activæ, ſed applicatio virtutis ad actionem: ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli, ex hoc ipſo quod applicat acumen cultelli ad inciſionem movendo ipſum* hanc, inquam ponderantes Thomiſtæ doctrinam docent conſequenter, non ſufficienter ſubordinari cauſas ſecundas Deo tanquam primæ cauſæ & primo agenti, ſi ſolum ut prius natura accipiant à Deo virtutem iugiter conſervatam; ſive ſi id quod debent à Deo ut prius naturâ accipere antequam agant, ut ſcilicet dicantur ei ſubordinari ut primæ cauſæ & primo agenti præciſè conſiſtat in virtute illa activa priùs acceptâ. Unde volunt iſti & docent à primo ad ultimũ non ſalvari ſubordinationem & dependentiam cauſæ ſecundæ ad cauſam primã, niſi per influxũ prævium in ipſam cauſam, quo ſcilicet Deus ipſius virtutem, completam quidem ex ſe in actu primo, non tamen ex ſe applicatam & reductam exile ad actum ſecundum præmoveat, determinet & applicet ad operandum, & cujus terminus ſit ipſa cauſæ ſecundæ operatio, ut & prout à cauſa ſecunda procedens.

Sententi Moliniſtarum & Thomiſtarum circa Dei concurſum.

Præmittendum 3. hanc à Thomiſtis appellari & defendi præmotionem *phyſicam*, quæ quidem particula non debet ſic intelligi, quaſi tali præmovente influxu moveat & præmove-

Quid à Thomiſtis ſit

ar

at Deus causas omnes & singulas per modum naturæ; ut enim notat D. Thomas; Deus qui est cujusvis naturæ author & conditor, est etiam unumquodque movens & applicans secundum propriam exigentiam & proprium modum ipsius naturæ; adeò ut necessaria moveat per modum necessarii, & causas liberas per modum liberi: sed dicitur & appellatur præmotio *Physica*, quia se habet Deus in illa aut per illam ad modum agentis & operantis per veram efficientiam; ita quod etiam in causis appetitivis & voluntariis quæ moveri solent & allici ad agendum per propositionem & ostensionem objecti, alia & diversa omnino sit præmotio illa, de qua est sermo, à tali præmotione objectiva & quasi finali; in quantum scilicet hujusmodi causis non solum ostendit Deus bonitatem objecti, ex qua solicitantur & invitantur ad prosequendum, sed etiam, cum per illapsum intimum sit intra earundem voluntatis sinum, eas ad modum agentis immutat, atque efficienter, subindeque & *Physicè* applicat ad illud volendum & prosequendum objectum, ex his autem inferre licet, quod ubi sermo est, ut est in præsenti, de necessitate præmotionis physicæ, tunc quæsiti sensus hic est, an præter virtutes activas & naturales, quas accipiunt causæ secundæ à Deo priùs saltem natura quam agant, & præter concursum simultaneum, de quo infra dari debeat actio aliqua seu aliquis influxus, quo Deus efficienter & per modum agentis immuter, applicet, reducat, & moveat hujusmodi virtutem causarum secundarum ad actum secundum & actuale exercitium; ut sic motæ & efficienter applicatæ ex vi illius causæ secundæ suam eliciant actionem, qua dicuntur passivè & formaliter applicatæ & agentes, quæque propterea se habent ad hujusmodi applicantem Dei influxum tanquam effectus & quid posterius.

intelligatur per Physicam præmotionem.

Præmittendum 4. quod sicut suppositio & necessitas concursus simultanei non excludit necessitatem præmotionis, ut fusè infrà probabimus; ita nec necessitas & suppositio præmotionis excludit necessitatem concursus simultanei; adeò ut quamtumcumque concurrat & supponatur concurrere Deus concursu prævio ad actiones causarum secundarum, ad huc tamen necesse sit quod simul & simultaneè concurrat cum præfatis causis; cujus ratio, & quidem evidentissima est, quia dicitur Deus simul & simultaneè concurrere hoc ipso quod eadem indivisibili actione qua attingit & producit causa secunda effectum suum, hac etiam eadem actione attingit & producit Deus eundem effectum: jam sic est quod quamvis supponatur Deus per aliam actionem & alium influxum prævium applicare &

An suppositio concursus prævius sit ad huc admittendus simultaneus, & in qua consistat.

prædeterminare cauſam ſecundam ad agendum, adhuc tamen neceſſe eſt, quod eadem indiviſibili actione, quâ deinde attingit & producit cauſa ſecunda ſuum effectum, hâc eadem actione & productione attingat Deus & producat eundem effectum: tum quia cum actiones diverſificentur per terminos, ejuſdem omnino effectus producti non videntur poſſe eſſe ſimul duæ diſtinctæ productiones: tum quia ſi actio qua producit Deus effectum cauſæ ſecundæ diſtincta eſſet ab actione, quâ illum producit cauſa ſecunda, illa utpotè independens ab iſtâ eſſet prior ſaltem prioritate naturæ; ac proinde totus prius intelligeretur productus effectus, quam ad illum actio cauſæ ſecundæ terminaretur: ergo neceſſitas & ſuppoſitio concurſus prævii & præmoventis non propterea excludit neceſſitatem ſimultanei; cum non impediat quo minus actio productiva qua producit cauſa ſecunda effectum ſuum eſſe debeat productiva actionis qua illum producat & Deus; ſicque ſimul per illam concurrant Deus & cauſa ſecunda ad effectum, cum ſit illa & ab utroque pendens, & quo uterque producit; ſed ſolùm & ad ſummum facit neceſſitas & ſuppoſitio concurſus prævii, quod hæc eadem actio, qua ita ſimul ad effectum concurrunt Deus & cauſa ſecunda ſit reſpectu ipſius Dei & productio talis effectus, & ſimul ſit ipſa effectus alterius actionis Dei, hujus ſcilicet influxus & concurſus prævii, quo ad ejus ortum determinavit & applicavit Deus cauſam ſecundam; cum tamen hæc eadem actio prædicti productiva effectus, ſit quidem reſpectu cauſæ ſecundæ productio effectus, ſed nullatenus ſit effectus alterius actionis ad ipſam cauſam ſecundam pertinentis. His autem præmiſſis & pro intelligentiâ dicendorum diligenter prænotatis, jam ut plenè & omni ex parte reſolvatur celebris adeò difficultas de neceſſitate præmotionis phyſicæ; quæ quidem eſt veluti cardo omnium graviſſimarum controverſiarum, quæ inter Theologos ſocietatis diſcipulos D. Thomæ agitantur in materia de gratia, de prædeſtinatione, & de auxiliis, de ſcientiâ Dei, & voluntate, ac denique in toto ambitu totius Theologiæ & Metaphyſicæ: ut, inquam, omni ex parte reſolvatur propoſita quæſtio, eam in quatuor dividam ſequentia capita; unde ſit,

Nota.

CA-

CAPUT I.

Vtrum Deus sive causa prima Physicè præmoveat causam secundam ad agendum.

PRæmittendum pro declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii, puta quod *concursus qui terminatur ad actionem causæ secundæ, esse non potest simultaneus*; Quod *non concurrit nec concurrere potest Deus nisi ut causa universalissima & illimitata*; Quod *servat Deus in concurrendo rationem primi agentis & primæ causæ*. Ratio autem primi est, quia non aliter concurrit Deus simultaneè, quam quia eadem indivisibili actione, qua producit causa secunda effectum suum, hac eadem producit & Deus eundem effectum, ut explicatum fuit supra in præmissis; atque ita concursus ille simultaneus est ipsamet actio causæ secundæ prout pendet simul ab ipso Deo: jam sic est quod nihil est, præcipuè in hac producibilitatis, quod ad seipsum terminetur aut terminari possit, cum inter omne hujusmodi terminabile & id ad quod terminatur mediet realis ordo & realis dependentia: ergo concursus qui terminatur ad actionem causæ secundæ esse non potest simultaneus.

Quantum vero ad secundum puta quod non concurrit, nec concurrere potest Deus nisi ut causa universalissima & illimitata, ratio hujus est, quia cum unumquodque causet & operetur in quantum est in actu, hoc ipso quod aliquid est per se & essentialiter in actu universalissimo & illimitato, seu in actu tali, qui præhabeat in se omnem omnino actualitatem & perfectionem, non potest tale quid hoc ipso quod tale non concurrere ut causa universalissima & illimitata: jam sic est quod Deus est ita & taliter in actu, ut per se pateat: ergo non concurrit nec concurrere potest Deus, nisi ut causa universalissima & illimitata. Demum quod servet Deus in concurrendo rationem primi agentis & primæ causæ, quod est tertium præmissum principium ex eo patet, quod Deus est essentialiter causa sine causa & principium sine principio; sicut & est finis sine fine, sed est ipse sui ipsius sicut & aliorum omnium finis: ergo cum causa quæ causam

sam non habet, & principium sine principio non possit in ratione causæ non esse prior causa quæ causam habet sive principium, utpote quæ agnoscit in causa, quam habet, aliquis prius, etiam prioritate ad lineam causativam pertinente; consequenter fit, quod cum servet Deus in concurrendo ea omnia, quæ ipsi competunt essentialiter, servet etiam in concurrendo rationem agentis primi & primæ causæ, His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit:

CONCLUSIO: *omnis causa secundæ præmoveri debet à Deo ad hoc ut agat præmotione Physica, sive concursu quodam previo prioritate causalitatis efficientiæ vera & propria.*

Probatur 1. ex primo præmisso principio: *concursus qui terminatur ad actionem causæ secundæ esse non potest simultaneus:* Ergo concurrit Deus ad actionem causæ secundæ concursu prævio & præmovente, & non tantum simultaneo. *Probatur consequentia*, datur & dari debet ex parte Dei concursus, qui terminetur ad actionem causæ secundæ: ergo hoc ipso quod concursus qui terminatur ad actionem causæ secundæ esse non potest simultaneus; datur hoc ipso ex parte Dei concursus qui sit prævius & promovens, & non tantum simultaneus. *Consequentia* est evidens *Probatur Antecedens*: concursus ad quem comparatur actio causæ secundæ tanquam effectus, non potest non terminari ad actionem causæ secundæ; sed datur ex parte Dei concursus, ad quem actio causæ secundæ comparatur tanquam effectus: ergo & datur concursus ex parte Dei qui terminatur ad actionem causæ secundæ. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, non potest actio causæ secundæ non comparari ut effectus ad concursum qui est ens per essentiam: sed datur ex parte Dei concursus pro actionibus causæ secundæ, qui est ens per essentiam: ergo & datur ex parte Dei concursus, ad quem comparatur actio causæ secundæ tanquam effectus. *Major* per se patet; ens enim per participationem, qualis est actio causæ secundæ non potest non esse effectus entis per essentiam. *Probatur Minor*, concursus identificatus cum Deo, non potest non esse ens per essentiam: sed datur ex parte Dei concursus pro actionibus causæ secundæ identificatus cum Deo: ergo & datur ex parte Dei concursus pro actionibus causæ secundæ, qui est ens per essentiam, *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*; solus concursus identificatus cum Deo potest esse substantia seu substantialis actio; sed datur ex parte Dei concursus pro actionibus causæ secundæ, qui est, substantiæ seu substantialis actio; ergo da-

tur

tur ex parte Dei concursus pro actionibus causæ secundæ, qui est identificatus cum Deo. *Major* est evidens: omnis namque concursus sive concurrens actio, qui non est Deus ipse & identificatus cum Deo, sed quid extraneum & creatum, est actio prædicamentalis sive in prædicamento actionis, quod quidem prædicamentum est accidentium tantum, & non eorum quæ sunt substantia. *Probatur Minor*: concursus correspondens potentiæ executivæ Dei tanquam actus suæ potentiæ non potest non esse substantia seu substantialis actio; juxta hoc axioma *actus & potentia sunt in eodem genere*, substantiæ scilicet vel accidentis: sed datur & dari debet ex parte Dei concursus pro actionibus causæ secundæ, qui correspondeat potentiæ executivæ Dei, tanquam actus vel actio suæ potentiæ; cum de facto & actu exerceatur potentia executiva Dei in concurrendo ad hujusmodi actiones causæ secundæ: ergo datur ex parte Dei concursus pro actionibus causæ secundæ, qui est substantia seu substantialis actio: ergo datur ex parte Dei concursus pro actionibus causæ secundæ identificatus cum Deo: ergo datur ex parte Dei concursus pro actionibus causæ secundæ, qui est ens per essentiam: ergo datur ex parte Dei concursus ad quem actio causæ secundæ comparatur tanquam effectus: ergo datur ex parte Dei concursus qui terminatur ad actionem causæ secundæ: ergo hoc ipso quod concursus qui terminatur ad actionem causæ secundæ esse non potest simultaneus [quod est primum præmissum principium] datur hoc ipso & dari debet concursus ad actionem causæ secundæ prævius & præmovens, & non tantum simultaneus.

Notabis autem, quod quamvis in præfata probatione videatur stabiliri concursus prævius in concursu identificato cum Deo, subindeque & ex ludi videatur omnis motio recepta prius in creatura ad hoc ut agat, in qua tamen stabiliri solet præmotio, saltem ut plurimum; reipsa tamen illud non sequitur, neque est hoc intentum meum, neque forte mens mea: sed id quod ex præfata probatione ad summum sequitur, est quod dato quod dari non posset vel superflue daretur motio illa recepta prius in creatura ad hoc ut agat, ut nobis frequenter insusurrant adversarii, adhuc tamen de necessitate alius est, & esset admittendus concursus prævius & præmovens; cum adhuc verificetur quod potentia executiva Dei exerceatur & exerceri debeat circa actionem causæ secundæ: ergo & quod ad hanc concurrat concursu quodam, qui ipsi correspondeat tanquam actus suæ potentiæ: ergo & quod ad hanc concurrat concursu quodam, qui sit substantia seu substantialis actio; ergo &

quod ad hanc concurrat concurſu quodam identificato cum Deo: ergo & quod ad hanc concurrat concurſu quodam qui ſit ens per eſſentiam : ergo & quod ad hanc concurrat concurſu quodam, ſe habente ad eam ut ad effectum : ergo & quod ad hanc concurrat concurſu quodam prioritate cauſalitatis prævio.

Probatur 2. concluſio ex ſecundo præmiſſo principio : *non concurrit nec concurrere poteſt Deus niſi ut cauſa univerſaliſſima & illimitata:* Ergo concurrere debet ad actionem cauſæ ſecundæ concurſu prævio & præmovente, & non tantum ſimultaneo. *Probatur conſequentia;* ſecluſo concurſu prævio non attingeret Deus actionem cauſæ ſecundæ ut cauſa univerſaliſſima : ergo hoc ipſo quod non concurrit nec concurrere poteſt Deus niſi ut cauſa univerſaliſſima concurrit hoc ipſo & concurrere debet concurſu prævio. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens,* attingere aliquid ut cauſa univerſaliſſima eſt illud attingere ſub ratione univerſaliſſima entis : ſed ſecluſo concurſu prævio non attingeret Deus actionem cauſæ ſecundæ ſub ratione univerſaliſſima entis : ergo nec attingeret ut cauſa univerſaliſſima. *Major* conceditur; debet enim eſſe proportio inter effectum & cauſam quantum ad rationem ſub qua attingitur. *Probatur Minor:* attingere aliquid ſub ratione univerſaliſſima entis eſt illud attingere ſub omni ipſius formalitate reali: ſed ſecluſo concurſu prævio, non attingeret Deus actionem cauſæ ſecundæ ſub omni ipſius formalitate reali : ergo nec illam attingeret ſub ratione univerſaliſſima entis. *Major* eſt evidens, omnis namque formalitas realis comprehenditur ſub ratione univerſaliſſima entis. *Probatur minor* , non eſt minus in actione cauſæ ſecundæ formalitas realis, quod ſit *debens infallibiliter oriri* à ſua cauſa, quam quod ſit *potens oriri;* vel quod ſit orta: ſed ſecluſo concurſu prævio non attingeret Deus actionem cauſæ ſecundæ , ut eſt *debens infallibiliter oriri* ſeu elici à ſua cauſa: ergo nec attingeret Deus actionem cauſæ ſecundæ ſub omni ipſius formalitate reali. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* , non alio attingere poteſt Deus actionem cauſæ ſecundæ, ut eſt *debens infallibiliter elici* , quam vel concurſu prævio & præmovente ad eliciendum, vel per concurſum ſimultaneum, vel denique per virtutem ſeu facultatem naturalem communicatam : ſed nec per virtutem naturalem communicatam, nec concurſu ſimultaneo poteſt attingere; non quidem per virtutem ſeu potentiam eliciendi communicatam , cum huic correſpondeat actio ut eſt *potens elici;* ſed nec per concurſum ſimultaneum ; cum Deo ſimultaneè concurrenti correſpondeat actio ut orta & elicita,

utpote per quam ut elicitam concurrit simul Deus cum causa secunda ad eundem effectum: ergo secluso concursu prævio non attingeret Deus actionem causæ secundæ ut est *debens elici*: ergo secluso concursu prævio non attingeret Deus actionem causæ secundæ sub omni ipsius formalitate reali: ergo secluso concursu prævio non attingeret Deus actionem causæ secundæ sub ratione universalissima entis: ergo secluso concursu prævio non concurreret Deus ad actionem causæ secundæ per modum causæ universalissimæ: ergo hoc ipso quod non concurrit nec concurrere potest Deus nisi ut causa universalissima [quod est secundum præmissum principium] concurrit hoc ipso ad actionem causæ secundæ concursu prævio, & non tantum simultaneo.

Probatur 3. ex tertio præmisso principio: *servat Deus in concurrendo rationem agentis primi & primæ causæ*: ergo non concurrit Deus concursu tantum simultaneo sed etiam prævio & præmovente. *Probatur consequentia*: admisso concursu tantum simultaneo non servaret Deus in concurrendo rationem primi & prioris in ratione & genere causæ: ergo hoc ipso quod servat Deus in concurrendo rationem primæ causæ: concurrit hoc ipso concursu, non tantum simultaneo sed etiam prævio. *Consequentia* est evidens *Probatur antecedens*, primum in eo genere & sub ea ratione qua primum est habet secundum à se dependens: sed admisso concursu tantum simultaneo non penderet causa secunda à Deo concurrente in ratione & genere causæ: ergo admisso concursu tantum simultaneo non servaret Deus rationem primi & prioris in genere causæ. *Major* conceditur, & ex illo colligitur communi dicto: primum in unoquoque genere est ratio causæ cæterorum. *Probatur Minor*, quod supponitur in aliqua ratione antecedenter ad Dei concursum non potest sub tali ratione dependere à Deo concurrente: sed admisso concursu tantum simultaneo supponeretur causa secunda sub ratione actus causæ antecedenter ad Dei concursum: ergo non penderet sub tali ratione a Deo concurrente. *Maior* patet ex terminis. *Probatur Minor*: non potest non supponi causa secunda in ratione actualis causæ antecedenter ad suum effectum: sed admisso concursu tantum simultaneo non haberetur multoties concursus Dei, nisi dum talis haberetur effectus: ergo admisso concursu tantum simultaneo supponeretur causa secunda in ratione actualis causæ antecedenter ad Dei concursum. *Major* est evidens; est enim causa prior effectu cum ad illum comparatur ut dependentem. *Probatur Minor*: concursus simul-

taneus eſt indiviſibiliter idem cum actione cauſæ ſecundæ, ut oſtenſum fuit ſupra in præmiſſis, & ut communiter conceditur: ergo admiſſo ex parte Dei concurſu tantum ſimultaneo, non haberetur concurſus Dei niſi in eodem ſigno in quo haberetur actio cauſæ ſecundæ; atqui actio cauſæ ſecundæ eſt multoties & actio & effectus qui producitur; ut patet in actionibus immanentibus, quæ non alium à ſe ipſis producunt terminum, ſed ſunt ipſæ & actio, cum ſint actus ſecundus; & effectus cum ſint actus ſecundus per modum qualitatis: ergo admiſſo concurſu tantum ſimultaneo non haberetur multoties concurſus Dei, niſi dum haberetur effectus cauſæ ſecundæ: ergo admiſſo concurſu tantum ſimultaneo ſupponeretur cauſa ſecunda in ratione actualis cauſæ antecedenter ad Dei concurſum: ergo admiſſo concurſu tantum ſimultaneo non penderet cauſa ſecunda à Deo concurrente in ratione actualis cauſæ: ergo admiſſo concurſu tantum ſimultaneo non ſervaret Deus in concurrendo rationem primi & prioris in ratione & genere cauſæ: ergo hoc ipſo quod ſervat Deus in concurrendo rationem agentis primi & primæ cauſæ [quod eſt tertium præmiſſum principium] non poteſt hoc ipſo non concurrere concurſu prævio, non autem tantum ſimultaneo.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia fundamenta in ſolutionibus objectorum.

Objicies 1. concurſus hoc ipſo quod eſt præmovens eſt etiam prædeterminans; ſed opus non eſt concurſu prædeterminante, ſaltem loquendo generaliter pro omnibus cauſis: ergo nec opus eſt concurſu prævio & præmovente. *Probatur Minor*, ubi cauſa eſt determinata ex ſe, ibi opus non eſt concurſu prædeterminante: ſed inter cauſas ſecundas, ſunt plures quæ ſunt ex ſe determinatæ ad ſuos actus, ut patet in cauſis naturalibus: ergo opus non eſt concurſu prædeterminante, ſaltem loquendo generaliter pro omnibus cauſis.

Reſpondeo negando minorem; ad cujus probationem, diſtinguo majorem ſicubi cauſa eſt determinata ex ſe, ibi opus non eſt concurſu prædeterminante: ſi ſit determinata ex ſe ſub omni ratione, ſeu tum quoad ſpeciem actus, tum quoad individuum Concedo: ſi autem ſit ſolum ex ſe determinata quantum ad ſpeciem, non autem quantum ad individuum Nego; & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam. Pro quo notandum eſt quod quamvis agentia naturalia

ſint

int determinata ex se sive ex propriis virtutibus ad speciem a-ctus, non tamen ad talem individuam operationem : virtutes amq; operativæ non dantur determinatæ ad talem individuũ ctum, sed sunt indifferentes ad plures individualiter actus; alias oſtquam ad elicientiam deservissent illius individuæ opera-ionis, ad quam essent determinatæ, cum talis individua opera-io non possit reiterari, omninò superflua manerent talia prin-ipia & virtutes operativæ : ergo dicendum est quod omne reatum agens, quantumvis per virtutem operativam activam onstitutum, cum aliqua manet indeterminatione ad actionem, c proinde quod indiget, ut de facto determinatam in indivi-uo eliciat operationem, quod ab aliquo ad illius elicientiam eterminetur : jam sic est quod ad id determinari non potest isi per Dei concursum præmoventem, & prævium, quo sci-cet moveatur, determinetur ad talis determinatæ operatio-is elicientiam; cum ad talem individuam determinatam o-eration em non possit agens creatum determinari per suum rincipium & virtutem operativam, utpote quæ [ut supra o-tendimus] indeterminata est & indifferens saltem ad plu-es individuales operationes; nec etiam ad id determinari pos-t agens creatum per suam actionem, utpote qui cum debeat eterminari ad ipsiusmet actionis elicientiam, prius consequen-er debet ad illam determinari, quam illam eliciat : nec deni-ue per concursum Dei simultaneum potest ad id determina-; tum quia per illum utpotè non priorem tempore vel na-ura ipsa agentis creati operatione non potest ad ipsius opera-ionis elicientiam determinari creatum agens; tum etiam quia um talis concursus simultaneus non recipiatur in ipso agente reato, sed in effectu in quo probabilitet recipitur actio; non abet per consequens, unde possit hujusmodi creatum agens eterminare. Restat igitur quod omne creatum agens quam-umvis per virtutem operativam activam constitutum indigeat, t de facto determinatam in individuo eliciat operationem, uod per concursum prævium & præmoventem determine-ur.

Instabis : Illud, quod præmoveri indiget adhuc ut agat ratio-em habet instrumentalis causæ sed non omnis causa secunda, omparatur ad actum suum ut causa instrumentalis : ergo non mnis causa secunda indiget præmoveri ad hoc ut agat. *Minor* idetur certa. *Probatur Major :* causa, quæ ex se insufficiens st ad actum sive effectum attingendum, est causa tantum nstrumentalis : sed illud quod præmoveri indiget ad hoc

hoc ut agat, eſt ex ſe inſufficiens ad actum ſive effectum attingendum: ergo illud quod indiget præmoveri adhoc ut agat rationem habet inſtrumentalis cauſæ. *Minor* patet. *Probatur Major:* cauſa inſtrumentalis dicitur, quæ non niſi in virtute alterius ſufficiens ſit & proportionata ad actum: ſed cauſa quæ eſt inſufficiens ex ſe, non niſi in virtute alterius ſufficiens ſit & proportionata: ergo quæ eſt ex ſe inſufficiens ad agendum eſt cauſa tantum inſtrumentalis.

Reſpondeo 1. Negando Minorem, quam quidem ſupponit nec probat arguens, puta quod non omnis cauſa ſecunda comparetur ad actum ſuum ut cauſa inſtrumentalis; ſaltem aliqualiter & in aliquo ſenſu; falſitatem autem hujus minoris, quam reducere ſolent plures ex noſtris ex parte effectus, ex eo inquiunt, quod eſſe cujuſcumque effectus eſt actualitas excedens virtutem operativam cujuſcumque cauſæ creatæ, colligo & deduco ex parte actionis, ex eo ſcilicet quod actio cujuslibet agentis creati, utpote ad quam ipſum agens eſt in potentia, & per quam actuatur & perficitur, eſt conſequenter in genere actualitatis actualior & perfectior aliqualiter ipſo agente: jam ſic eſt quod omnis illa cauſa, quæ reſpicit actum eliciendum tanquam perfectiorem, dici poteſt ex eo inſtrumentalis cauſa: ergo quamvis non omnis cauſa ſecunda ſit loquendo ſimpliciter inſtrumentalis cauſa, cum non omnis reſpiciat actum vel effectum qui ſit [loquendo ſimpliciter & in eſſe entis] perfectior; adhuc tamen ex præfato capite dici poteſt omnis cauſa ſecunda rationem induere inſtrumentalis cauſæ; quod quidem caput ex quo ita dicitur inſtrumentalis cauſa, ſufficit ut inde colligatur neceſſitas præmotionis phyſicæ, inquantum ſcilicet ipſa cauſa ſecunda ſuam reſpiciens actionem ut actualiorem & perfectiorem, debet per conſequens prius per motionem Dei quæ eſt ſpecialis participatio infinitæ Dei actualitatis conſtitui ita & taliter in actu, ut actionem ſecundum omnem ſuam actualitatem poſſit elicere.

Reſpondeo 2. Diſtinguendo Majorem ſic: illud quod promoveri indiget ad hoc ut agat, rationem habet inſtrumentalis cauſæ quantum ad hoc in quo communicat & convenit inſtrumentalis cauſa, cum cauſa principali creata Concedo: rationem habet inſtrumentalis cauſæ quantum ad hoc in quo diſconvenit inſtrumentalis cauſa à principali Nego. Senſus autem ſolutionis eſt, quod quia omni in univerſum cauſæ ſecundæ, ſive inſtrumentali ſive principali competit, quod non agat niſi prius mota à prima; hoc enim habet propter eſſentialem illius dependen-

entiam & subordinationem in operando à causa prima, ideo
t quod omnis causa secunda etiam principalis dicatur quo-
ammodo instrumentum Dei, quantum ad id in quo commu-
icant instrumentalis & principalis causa, in quantum scilicet
on minus moveri indiget principalis causa à prima ad hoc ut
gat, quam causa instrumentalis, verbi gratia, baculus moveri
digeat à causa principali: nihilominus quia instrumentalia cau-
quantum ad id in quo disconvenit à principali petit & exigit
on solum ab alio moveri, sed etiam ab alio virtutem accipere
si indebitam, qua constituatur instrumentaliter potens, conse-
uenter fit quod loquendo de causa instrumentali quantum ad
, in quo disconvenit à principali, causa principalis creata,
uamvis ita moveri indigeat & præmoveri, non propterea di-
tur rationem habere instrumentalis causæ, cum non propterea
hoc ut agat, virtutem accipiat ipsi indebitam qua constitua-
r potens & in actu primo operativa, sed solum applicationem
lis potentiæ atque virtutis.

Urgebis: Ideò juxta præfatam solutionem præmoveri debet
incipalis causa sicut instrumentalis, quia spectat hoc ad de-
endentiam & subordinationem essentialem: sed salvatur es-
ntialis hæc dependentia secluſa tali præmotione: ergo ex ra-
one ibi adducta non debet principalis causa moveri ad hoc ut
gat sicut instrumentalis. *Probatur Minor*: Quamdiu verifica-
r non agere causam secundam nisi Deo concurrente, tamdiu
lvatur dependentia à Deo in agendo: sed secluſa tali præmo-
one adhuc verificatur, non agere causam secundam nisi Deo
nturrente: ergo salvatur adhuc essentialis hæc dependen-

Respondeo Negando Minorem: ut enim notat & docet Di-
s Thomas *in secund. distinctione trigesima septima, quæstione
tima, articulo secundo: Non videtur posse vitari, quod non
et causa secunda primum agens si ejus actio in aliquod primum
ens non reduceretur sicut in causam*: jam sic est quod secluſa
æmotione non reduceretur tunc actio causæ secundæ in ali-
od prius aut primum agens sicut in causam; cum id ad quod
ducitur actio causæ secundæ tanquam in causam talem re-
ciat actionem tanquam effectum, & secluſa præmotione ni-
fit assignabile ex parte primi agentis seu Dei, quod hanc re-
ciat actionem tanquam effectum, ut patet, & seriò conside-
ri magis patebit: ergo secluſa tali præmotione non salvare-
essentialis hæc dependentia & subordinatio ad Deum. Un-
ad probationem nego majorem: non enim sufficienter
salva-

ſalvatur hæc dependentia per hoc præcisè quod nuſquam agit vel ageret niſi Deo concurrente ; cujus ratio eſt , quia ordo dependentia arguit prioritatem in eo à quo eſt, & posteriori-
Nota. tatem in eo in quo eſt, cum ubi eſt dependentia , ibi exerceatur cauſalitas : atqui per hoc præcisè quod verificaretur, non agere creaturam niſi Deo concurrente , non propterea verificaretur prioritas in Dei concurſu erga actionem creaturæ ; cum verificetur, non agere creaturam niſi Deo concurrente per hoc præcisè quod ſolus creaturæ effectus ſit dependens à Dei concurſu, ut per ſe patet : ergo quantumvis ſecluſa præmotione verificaretur, quod non ageret creatura niſi Deo concurrente, non propterea ſalvaretur dependentia illa eſſentialis.

CAPVT II.

Vtrum cauſa, cui præfata deeſſet præmotio , eſſet adhuc verè & expeditè potens.

PRæmittendum Pro declaratione principiorum ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud omnes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura principii , puta quod *non requiritur præmotio Phyſica niſi tanquam applicativum potentiæ* ; Quod *quamdiu non eſt cauſa verè & expeditè potens, tamdiu eſt excuſabilis in omiſſione actus* ; Quod *correlativo potentiæ expeditæ poſito , non poteſt non ſupponi potentia expedita.* Ratio autem primi eſt , quia quæ ſupponitur requiri præmotio , ſupponitur requiri ut conſtitutivum cauſæ in ratione principii actualis ; ut determinativum indifferentiæ cauſæ ad unum indifferentiæ membrum ; ut ſubordinans cauſam ſecundam ipſi Deo quantum ad ejus actionem prout egredientem vel egreſſuram : atqui per hoc præcisè quod exercet præmotio rationem & munus applicativi aut applicationis potentiæ cauſæ , habet hoc ipſo & conſtituere cauſam in ratione principii actualis, cum antea ſupponeretur ſolum principium habituale, & habet determinare indifferentiam cauſæ ad unum indifferentiæ membrum, ut per ſe patet ; nec non & illam ſubordinare

Deo

Deo quantum ad actionem prout egredientem, vel egressu-
am sive ut debentem egredi, ut expositum fuit in superiori ca-
ite in secunda conclusionis probatione : ergo non requiritur
ræmotio Physica nisi tanquam applicatio, vel applicativum
otentiæ. Quantum verò ad secundum, puta quod quamdiu
on est causa verè & expeditè potens, tamdiu est excusabilis in
missione actus, ratio hujus est quia nemo tenetur ad id, ad
uod non est verè & expeditè potens, alias teneretur ad impos-
bile; cum pro eo statu in quo non est verè & expeditè potens,
on esset id ad quod teneretur verè possibile, utpote quod se
abet correlativè ad causam ut verè potentem : jam sic est,
uod ex eo capite ex quo non tenetur quis ad actum habet &
xcusari quando omittit; cum possit tunc omissionis ratio as-
gnari irrefragabilis, puta *quia non tenetur* : ergo quamdiu non
st causa verè & expeditè potens, tamdiu est excusabilis in o-
issione actus : tandem quod correlativo potentiæ expeditè
osito, non possit non supponi potentia expedita, quod est ter-
ium præmissum principium, ratio hujus est, quia correlativo-
um talis est natura, ut unum esse non possit sine alio, cum u-
um sit essentialiter ad aliud : ergo hoc ipso quod supponitur
orrelativum potentiæ expeditæ, non potest & ipsa potentia
on supponi hoc ipso expedita. His ergo tribus præmissis tan-
uam certis & apud omnes indubitatis principiis sit

CONCLUSIO : *Causa, cui præfata deesset præmotio, esset ad-
uc verè & expeditè potens.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio : *non requiritur præ-
otio Physica, nisi tanquam applicatio sive applicativum potenti-
æ* : ergo causa cui præfata deesset præmotio esset adhuc verè &
xpeditè potens. *Probatur consequentia*, potentia præsupponi-
ur expedita sine sui applicatione : ergo hoc ipso quod non re-
uiritur præmotio nisi tanquam applicatio potentiæ, est hoc
ipso causa sine tali præmotione expeditè potens. *Consequentia*
st evidens. *Probatur antecedens* : potentia est & præsupponi-
ur applicabilis sine sui applicatione : sed est applicabilis etiam
t expedita : ergo etiam ut expedita præsupponitur ante sui
pplicationem. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* : in
s qui de facto non agunt non est potentia nisi ut applicabilis :
d in iis qui de facto non agunt supponitur potentia expedita;
lias nemo ad agendum teneretur, nisi qui ageret : ergo poten-
a etiam ut expedita est applicabilis : ergo potentia est & præ-
pponitur expedita sine sui applicatione : ergo hoc ipso quod
on requiritur præmotio physica nisi tanquam applicativum

poten-

potentia [quod eſt primum præmiſſum principium] eſſet hoc ipſo cauſa verè & expeditè potens ſine præmotione.

Probatur 2. Ex ſecundo præmiſſo principio : *quamdiu non eſt cauſa verè & expeditè potens, tamdiu eſt excuſabilis in omiſſione actus* : ergo cauſa cui deeſſet præmotio eſſet adhuc verè & expeditè potens. *Probatur conſequentia*: cauſa cui deeſſet præmotio non propterea excuſaretur in omiſſione actus : ergo hoc ipſo quod excuſabilis eſt quamdiu non eſt expeditè potens ; eſſet adhuc expeditè potens, quamvis ei deeſſet præmotio. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: Qui actum omittit, dum ſentit & agnoſcit ſe expeditum ad operandum, ille inexcuſabilis eſt in omiſſione actus : ſed quantumvis deſit alicui præfata præmotio, adhuc ſentit ſe & agnoſcit expeditum ad operandum : ergo non propterea excuſatur aut excuſaretur in omiſſione actus, quamvis ei deeſſet præmotio. *Major* eſt evidens. *Probatur Minor* : ſtatus in quo ſe ſentit aliquis & agnoſcit expeditum ad operandum eſt extra ſtatum in quo de facto operatur : ergo quantumvis deſit aliquid de pertinentibus ad ſtatum in quo de facto operatur, adhuc agnoſcit ſe expeditum ad operandum : atqui præmotio non eſt niſi de pertinentibus ad ſtatum in quo operatur ; tum quia eſt id *quo* de facto operatur ; tum quia eſt eſſentialiter connexa cum operatione prout de facto poſita : ergo quantumvis deſit alicui præfata præmotio adhuc ſentit ſe & ſe agnoſcit expeditum ad operandum : ergo quantumvis ei deſit præmotio, non propterea excuſatur in omiſſione actus ; : ergo hoc ipſo quod tamdiu excuſatur cauſa in omiſſione actus, quamdiu non eſt verè & expeditè potens, quod eſt ſecundum præmiſſum principium) eſſet hoc ipſo cauſa, cui præfata deeſſet præmotio adhuc verè & expeditè potens.

Probatur 3. ex tertio præmiſſo principio : *Correlativo potentiæ expeditæ poſito, non poteſt non ſupponi potentia expedita* : Ergo cauſa, cui deeſſet requiſita præmotio adhuc eſſet expeditè potens. *Probatur conſequentia*. quantumvis deeſſet præmotio, adhuc ſupponeretur correlativum potentiæ expeditæ : ergo hoc ipſo quod correlativo potentiæ expeditæ poſito, ſupponitur hoc ipſo potentia expedita, adhuc ſupponeretur cauſa cui deeſſet præmotio; expeditè potens. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*, correlativum potentiæ expeditæ eſt actus ut ponibilis : ſed quantumvis deſit præmotio, adduc ſupponitur actus ut ponibilis : ergo quantumvis deeſſet præmotio, adhuc ſupponeretur correlativum potentiæ

expe-

expeditæ. *Major* est evidens: correlativum enim potentiæ expeditæ non est actus vel ut ponendus vel ut de facto positus; cum in non operantibus hæc supponatur potentia expedita, nec tamen ei correspondeat actus vel ut ponendus, vel ut de facto positus; ac proinde tale correlativum non aliud esse potest, quam actus ut ponibilis. *Probatur Minor*: actus est ponibilis quantumvis non sit vel ponendus vel positus; ergo adhuc supponitur ponibilis, quantumvis non habeatur quo est vel positus vel ponendus: sed præmotio est id ex sua natura, quo actus est positus vel infallibiliter ponendus: ergo quantumvis desit præmotio, adhuc supponitur actus ut ponibilis: ergo quantumvis cesset præmotio, adhuc supponeretur correlativum potentiæ expeditæ: ergo hoc ipso quod correlativo potentiæ expeditæ posito supponitur hoc ipso potentia expedita, (quod est tertium præmissum principium) esset hoc ipso causa, cui deesset præmotio, adhuc verè & expeditè potens.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Inintelligibile est; esse causam expeditè potentem, quamdiu caret aliquo ad agendum requisito: sed præfata præmotio ibi supponitur omnino requisita: ergo inintelligibile est causam, cui deesset præfata præmotio adhuc esse expeditè potentem.

Respondeo Negando absolutè majorem, si nimirum absolutè sumatur (ut de facto loquitur in sensu arguentis) de omni ad quodcumque illud sit; sive tam de eo quod requiritur vel ad constituendam potentiam, vel ad eam expediendam, ut sunt conditiones sine quibus non ageret, quam de eo quod requiritur non ad constituendam vel expediendam potentiam, sed potius ad ejus solvendam vim expeditam, & tandem ejus applicatio ad actum: tale namque requisitum omnino supponit potentiam expeditam, ut probatum fuit supra, ac inde ex defectu & carentia illius, inferti non potest, non esse causam eo carentem expeditè potentem; unde retorqueo ego argumentum in adversarios & arguo sic: status in quo est causa expeditè potens, est & supponitur alius à statu in quo actu & de facto agit: ergo inintelligibile est non esse causam expeditè potentem, quantumvis aliquo careat, de requisitis ad statum in quo de facto agit: atqui præmotio Physica non est nisi de requisitis ad statum in quo de facto agit; cum sit ex sui natura id quod causa de facto agit: ergo inintelligibile est, non esse adhuc

Nota

cauſam expeditè potentem, quantumvis ei deſit requiſita præmotio.

Inſtabis, Inintelligibile eſt, eſſe cauſam expedite potentem, quamdiu caret aliquo ſe tenente ex parte potentiæ: ſed omne quod ad agendum requiritur ſe tenet ex parte potentiæ: ergo inintelligibile eſt, eſſe cauſam expedite potentem, quamdiu caret aliquo ad agendum requiſito. *Probatur Minor*. omne quod ad agendum requiritur non poteſt non præcedere ipſum actum: cum ab omni eo pendeat actus: ſed requiſitum præcedens actum ſe tenet ex parte potentiæ, cum ipſa ſit potentia quæ præcedit & præcedere debet actum: ergo omne quod ad agendum requiritur ſe tenet ex parte potentiæ.

Reſpondeo Negando Minorem, cujus quidem falſitatem oſtendo hoc argumento, quod retorqueo ſimiliter contra adverſarios: ſi omne quod ad agendum requiritur ſe teneret ex parte potentiæ, non magis nec ſpecialius quid requireretur ad hoc ut aliquis eſſet actu & de facto agens quam ut eſſet potens agere, ut per ſe patet: ſed falſiſſimum eſt quod non magis nec ſpecialius quid requiratur, ad hoc ut ſit aliquis actu & de facto agens, quam ad hoc ut ſit potens agere; cum requiſita, ut ſit potens agere communia ſint & operantibus & non operantibus; requiſita vero ad hoc ut ſit actu & de facto agens diſcernant operantem à non operante; quod quidem diſcernens non poteſt non eſſe ſpecialius quid etiam ex parte Dei, juxta illud Apoſtoli: *Quis enim te diſcernit*: Ergo falſiſſimum eſt, quod omne quod ad actum ſeu ad agendum requiritur, ſe teneat ex parte potentiæ. Unde ad probationem diſtinguo minorem: ſed requiſitum quodliber, quod ipſum præcedit actum ſe tenet ex parte potentiæ, ſi tale requiſitum quod actum præcedit, præcedat prioritate temporis Concedo, quod omne hujuſmodi requiſitum ſe teneat ex parte potentiæ; ſi vero actum præcedat ſolum prioritate naturæ Nego minorem & conſequentiam.

Ratio autem hujus ſolutionis eſt, quia cum potentia etiam ut expedita eſſe poſſit ſine actu ſecuturo & ponendo, ut patet in non operantibus, conſequenter fit quod etiam ut expedita ipſum à fortiori præcedat actum prioritate temporis; & ita ea omnia quæ talis ſunt naturæ & taliter requiſita ut iis poſitis poſſit indifferenter ſequi vel non ſequi actus, quæque conſequenter actum præcedunt prioritate temporis, ea omnia dicantur ſe tenere ex parte potentiæ: quo pacto equus requiritur ad equitandum, lumen ad videndum, calamus ad ſcribendum, penicillus ad pingendum, & ſic de cæteris: his enim & ſimilibus poſitis poteſt

potest adhuc indifferenter sequi vel non sequi actus, sicut ex potentia posita & supposita expedita; & sic cum præcedant sicut & potentia ipsum actum prioritate temporis, dicuntur prorerea requiri & se tenere ex parte potentiæ. Quia verò præter hujusmodi requisita præcedentia prioritate temporis ipsum ctum, sunt & in præsenti supponuntur alia, quæ solum prioritate naturæ actum præcedunt, & quibus positis, hoc ipso ponitur infallibiliter ipse actus, qualis est & in præsenti supponitur præmotio physica, consequenter fit; esse omnino falsum, quod nne quod actum præcedit se teneat ex parte potentiæ, & ad otentiam expeditam requiratur.

Urgebis: Ideo ergo requisita præmotio dicitur se tenere ex rte actus, non autem ex parte potentiæ. quia solum præcedit ioritate naturæ ipsum actum: sed causalitas illa est falsa: ergo falsum est, quod præmotio hoc ipso quod requisita ad actum n se teneat ex parte potentiæ. *Probatur Minor:* approximatio ignis ad lignum se tenet ex parte potentiæ, sive requiritur hoc ut possit ignis comburere: sed approximatio ignis ad num talis est naturæ, ut solum prioritate naturæ præcedat, actum: ergo quod præmotio Physica prioritate solum naturæ cedat, non facit quod non se teneat ex parte potentiæ.

Respondeo Negando Minorem, ad cujus probationem nego iter minorem; puta quod approximatio ignis ad lignum talis naturæ, quod solum prioritate naturæ præcedat combunem ignis. Licet enim loquendo de facto, & secundum d de facto accidit non præcedat talis approximatio actum buſtionis prioritate temporis, id tamen non ex eo evenit, d approximatio ignis ad lignum talis sit naturæ quod soprioritate naturæ præcedat combustionem ignis; sed poquia juxta ordinem à Deo stabilitum pro causis necessariis infallibiliter concursus præmovens & applicans ignem ad *Nota* ourendum; hoc ipso quod talis supponitur approximatio, oc ipso quod supponuntur conditiones omnes, sine quibus combureret. Ratio autem hujus doctrinæ & solutionis est, i hujusmodi approximatio ignis ad lignum (& idem dic de ujusmodi, quæ nobis objicere solent adversarii) talis esset æ, quod ex natura sua solum prioritate naturæ præcederet uſtionem ignis, nec posset poni aut supponi separabiliter u combustionis; & aliunde respiceret ex sua natura actum minatum combustionis in individuo; cum actus ad illam terioti naturæ consequens non sit de facto secuturus & dus nisi in individuo atqui falsum est, quod approximatio

illa poni non poſſit nec ſupponi ſeparabiliter ab ipſo actu combuſtionis; cum ſubtrahente Deo concurſum ſuum nec combuſtio ignis nec calefaciat, ut pluries accidit & refertur in ſacris litteris accidiſſe: item falſum eſt quod approximatio ignis reſpiciat ex ſua natura actum combuſtionis determinatum in individuo; cum non reſpiciat niſi mediante igne, qui quidem ſicut & omnis alia cauſa ſecunda eſt indifferens quantum eſt ex ſe ad hunc vel illum actum in individuo: ut oſtenſum fuit in ſuperiori capite in ſolutione objectionis. Ergo falſum eſt quod approximatio ignis ad lignum talis ſit naturæ, quod ſolum prioritate naturæ præcedat actum combuſtionis; atque ita quamvis talis conditio ſe teneat & requiratur ex parte potentiæ, cum hoc tamen ſtat quod id quod ſolum prioritate naturæ præcedit actum, ut præmotio, teneat ſe non ex parte potentiæ ſed ex parte actus.

CAPVT III.

Vtrum præmotio concilietur cum libertate.

PRæmittendum 1. Pro declaratione principiorum ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod quatuor hæc ſunt apud omnes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura principii, puta quod *conciliaretur præmotio cum libertate, hoc ipſo quod Deus determinaret nos ad modum liberi omni ſecluſa ſcientia media*: quod *Deus phyſicè præmovens, liberè præmoveat aut præmoveret ex parte ſui*: quod *ſalvatur libertas ad actum hoc ipſo quod ſalvatur potentia etiam expedita ad oppoſitum*: denique quod *voluntas quantumcumque præmota poteſt non ferri ad actum ſive ad objectum prout cognitum*. Ratio autem primæ propoſitionis eſt, quia cum ea dicatur ſcientia media, qua ſcilicet videt Deus in quam partem inclinare vellet voluntas noſtra antecedenter ad omne decretum determinatum ex parte ipſius Dei, conſequenter fit quod hoc ipſo quod poteſt nos Deus determinare ad modum liberi omni ſecluſa ſcientia media, poteſt conſequenter determinare nos ad modum liberi, nulla adhuc ſuppoſita aut ſupponenda determinatione ex parte noſtri, proindeque

&

& potest nos prædeterminare, sive determinare ad modum liberi, nos prædeterminando: jam sic est quod determinatio illa, qua ita nos prædeterminat Deus non esset alia quam præmotio Physica: Ergo hoc ipso quod potest nos Deus determinare ad modum liberi omni secluſa scientia media, potest hoc ipso conciliari & componi libertas nostra cum physica præmotione; tres autem sequentes propositiones, puta quod Deus physicè præmovens, liberè præmovet aut præmoveret ex parte rei; quod salvatur libertas ad actum hoc ipso quod salvatur potentia etiam expedita ad oppositum, &c. Tres, inquam, illæ propositiones omnino patent ex sola terminorum declaratione: unde his quatuor præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit

CONCLUSIO: *Præmotio physica omnino componitur & conciliatur cum libertate.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio: *Conciliaretur præmotio cum libertate, hoc ipso quod Deus determinaret nos ad modum liberi omni secluſa scientia media*: Ergo de facto & absolutè loquendo componi potest & conciliari præmotio cum libertate. *Probatur consequentia*: potest de facto Deus determinare nos ad modum liberi omni secluſa scientia media; ergo ex ipso quod in tali casu conciliaretur præmotio cum libertate verè & absolutè conciliari potest. *Probatur antecedens*: si non posset nos Deus determinare ad modum liberi omni secluſa scientia media, ab ea penderent actus nostri ut liberi sive ut certo modo causandi: sed falsum est pendere actus nostros à scientia media sub ratione liberi: ergo & falsum est, quod non possit nos Deus determinare ad modum liberi omni secluſa scientia media. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: non pendent actus nostri à scientia media sub ratione liberi, si antecedenter ad scientiam mediam intelligatur in nostris actibus ratio & possibilitas libertatis: sed antequam intelligatur in Deo scientia media, intelligitur in nostris actibus ratio & possibilitas libertatis: ergo non pendent actus nostri à scientia media sub ratione liberi. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: ratio possibilitas liberi seu libertatis in nostris actibus cadit sub objecto omnipotentiæ: sed objectum omnipotentiæ præintelligit antè scientiam mediam: ergo & antecedenter ad scientiam mediam præintelligitur in nostris actibus ratio & possibilitas liberi. *Major* est certissima & patet evidenter ex discursu profundissimo Divi Thomæ *quæst. 23. de veritate, art. 3.* ubi

habet, quod unicuique potentiæ activæ correſpondet poſſibile pro objecto majus aut minus extenſum ſecundum majorem vel minorem extenſionem illius actus in quo fundatur activa potentia; ex quo infert, quod cum omnipotentia Dei fundetur ſupra divinum eſſe; quod eſt illud ſimplicitatum, & præhabens in ſe perfectionem totius entis, debet conſequenter ſub objecto omnipotentiæ cadere quidquid habet vel habere poteſt rationem entis, proindeque & ſub eo cadere debet ipſa ratio & poſſibilitas liberi ſeu libertatis, quæ eſt in noſtris actibus. *Minor* autem, in qua videtur ſita difficultas, probatur ſic; objectum omnipotentiæ ſimul cointelligitur cum ipſa omnipotentia cujus eſt objectum: ſed ipſa omnipotentia præintelligitur in Deo ante omnem ſcientiam mediam, dato quod ſit hæc admittenda in Deo; cum divina omnipotentia ſit in Deo attributum omnino neceſſarium; ſcientia vero media ſit attributum medians inter neceſſaria & libera: ergo & objectum omnipotentiæ præintelligitur ante ſcientiam mediam: ergo ratio & poſſibilitas liberi præintelligitur in noſtris actibus antecedenter ad ſcientiam mediam: ergo non pendent actus noſtri à ſcientia media ſub ratione liberi, ſive ut libero modo cauſandi: ergo poteſt nos Deus determinare ad modum liberi omni ſeclusa ſcientia media: ergo hoc ipſo quod conciliaretur libertas noſtra cum præmotione, ſi nos determinaret Deus ad modum liberi omni ſeclusa ſcientia media, (quod eſt primum præmiſſum principium) hoc ipſo etiam conciliatur & de facto componitur libertas noſtra cum præmotione.

Probatur 2. Ex ſecundo præmiſſo principio: *Deus phyſicè præmovens, liberè præmovet ſeu præmoveret ex parte ſui:* ergo & præmovet aut præmoveret liberè ex parte noſtri, ſeu præmoveret nos ad modum liberi. *Probatur conſequentia:* hoc ipſo quod Deus libere præmovet ex parte ſui, relinquit in nobis potentiam ad oppoſitum: ergo hoc ipſo quod Deus liberè præmovet aut præmoveret ex parte ſui, liberè etiam præmoveret ex parte noſtri. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens:* ab eo relinquitur potentia ad oppoſitum, à quo relinquitur actus oppoſitus verè poſſibilis: ſed hoc ipſo quod Deus liberè præmovet ex parte ſui, relinquit actum oppoſitum verè poſſibilem: ergo & hoc ipſo quod Deus liberè præmovet ex parte ſui, relinquit in nobis potentiam ad oppoſitum. *Major* eſt evidens: poſſibile enim correlativum eſt ad potentiam. *Probatur Minor,* actus ad quem potens eſt Deus concurrere, non poteſt non eſſe vere poſſibilis: alias non eſſet Deus verè ſed chimæricè tantum

potens

potens ad actum illum: sed hoc ipso quod Deus liberè præmo-
ret ex parte sui, est hoc ipso, & pro illo tunc potens concurrere
eu præmovere ad oppositum; cum aliquid age-e liberè, sit a-
gere cum potentia ad agendum oppositum: ergo hoc ipso quod
Deus liberè præmovet ex parte sui, relinquit hoc ipso actum op-
positum verè possibilem: ergo hoc ipso quod Deus liberè præ-
movet ex parte sui, relinquit hoc ipso in nobis potentiam ad op-
positum: ergo hoc ipso quod Deus liberè præmovet ex parte sui,
oc ipso etiam liberè præmovet ex parte nostri, seu præmovet
os ad modum liberi: ergo hoc ipso quod Deus physicè p-æmo-
ens præmovet liberè ex parte sui (quod est secundum præmis-
m principium) conciliatur hoc ipso libertas nostra cum physi-
præmotione.

Probatur 3. ex tertio præmisso principio: *Salvatur libertas
actum hoc ipso quod servatur potentia expedita ad oppositum:*
go salvatur & componitur libertas cum præmotione. *Proba-
r consequentia*, cum præmotione stat potentia etiam expedi-
ad actum oppositum: ergo hoc ipso quod servatur libertas
r hoc quod servatur talis potentia, salvatur hoc ipso libertas
m præmotione. *Probatur antecedens*, non magis repugnat
re potentiam ad oppositum cum præmotione, quàm cum
ositione actus, ad quem datur præmotio, atqui cum posi-
ne actus ad quem datur præmotio stare potest potentia ad
positum: ergo & potest stare cum præmotione. *Major* conce-
ar, & ex eo patet, quod non alia de causa videtur repugnare,
e potentiam ad oppositum cum præmotione, nisi quia præ-
tio infert infallibiliter positionem actus, quia quidem stante
itione, videtur, stare non posse potentiam ad oppositum.
batur minor, ea tantum repugnat simul stare, loquendo, ut
æsenti loquimur de extremis positivis, quæ sibi contrariè
onuntur: sed potentia ad actum oppositum non opponitur
trariè positioni alterius actus: ergo non repugnat stare simul
entiam ad oppositum cum positione actus, ad quem datur
notio, *Major* est certissima; cum enim loquendo de extremis
tivis, ea quæ repugnat simul stare, non opponantur contra-
oriè aut privativè, ut patet; nec etiã ex oppositione relativa
gnent simul stare, cum hæc potius simultatem exigat extre-
um, consequenter fit, quòd ea tantum repugnet simul stare,
contrariè opponuntur. *Prob. minor*, contraria & contrariè
ositæ sunt, quæ sub eodem genere maximè distant; ut de-
Philosophus, & ut ex inductione colligitur: sed positio u-
actus & potentia ad actum oppositum non sunt sub eodem

genere, cum ſe habeant ut exiſtentia unius & poſſibilitas alterius: ergo poſitio unius actus & potentia ad actum oppoſitum non ſibi opponuntur contrariè: ergo non repugnat ſtare ſimul potentiam ad oppoſitum cum poſitione actus, ad quem datur præmotio: ergo & ſtare poteſt cum præmotione ad unum actum potentia ad actum oppoſitum: ergo hoc ipſo quod ſalvatur libertas per hoc quod ſervatur potentia ad oppoſitum, (quod eſt tertium præmiſſum principium;) & hoc ipſo ſalvatur & componitur libertas cum præmotione.

Probatur 4. ex quarto premiſſo principio: *Voluntas quantumcumque præmota poteſt non ferri ad actum ſive ad objectum, prout cognitum*: Ergo quantumcumque ſupponatur præmota, non poteſt non ferri liberè ad talem actum. *Probatur conſequentia*, ferri ad actum ſive ad objectum cum indifferentia, eſt ferri liberè: ſed hoc ipſo quod fertur voluntas ad actum ut cognitum, fertur hoc ipſo cum indifferentia: ergo hoc ipſo quod etiam ut præmota fertur ad actum ut cognitum fertur hoc ipſo liberè ad actum ſuum. *Probatur Minor*, non poteſt voluntas non ferri cum indifferentia ad id, quod ei ab intellectu ſub indifferentia proponitur; ſed hoc ipſo quod fertur ad actum ut cognitum, ad illum fertur prout ſub indifferentia propoſitum: ergo hoc ipſo quod fertur voluntas ad actum ſive ad objectum ut cognitum, fertur ad illum cum indifferentia. *Major* eſt certiſſima; ſicut enim non poteſt voluntas, quia eſt eſſentialiter potentia cæca, ferri ad aliquid niſi ſit ei ab intellectu propoſitum, ita nec alio modo ferri poteſt quam eo ſub quo ab intellectu ei proponitur; alias quantum ad modum ferretur voluntas ad incognitum, quod implicat. *Probatur Minor*, proponi aliquid ut potens indifferenter amari vel reſpui, eſt proponi ſub indifferentia; ſed hoc ipſo quod fertur voluntas ad actum ut cognitum fertur ad illum ita & taliter propoſitum, quod poſſit indifferenter amari vel reſpui: ergo hoc ipſo quod fertur voluntas ad actum ut cognitum, ad illum fertur ut propoſitum ſub indifferentia. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, actus ille cognitus eſt bonum tantum particulare: ergo hoc ipſo quod ad illum fertur voluntas ut cognitum, fertur ad illum ut propoſitum tanquam particulare bonum: atqui particulare bonum eſt hoc ipſo quod tale potens in differenter amari vel reſpui; cum hoc ipſo quod tale, & bonum includat & alio careat bono; ſubindeque & ſit potens amari ex ea parte qua bonum includit, & ſit potens reſpui ex ea parte qua bono caret: ergo hoc ipſo quod fertur voluntas ad actum ut cognitum, fertur ad illum ita

&

liter propositum, quod possit indifferenter amari vel respui:
hoc ipso quod fertur voluntas ad actum ut cognitum, fer-
ad illum prout sub indifferentiâ propositum: ergo hoc ipso
d voluntas fertur ad actum sive ad objectum ut cognitum,
ur ad illum cum indifferentia: ergo hoc ipso quod voluntas
non potest ad actum suum, quantumcumque præmota,
ut cognitum, (quod est tertium præmissum principium)
potest hoc ipso, quantumcumque præmota non ferri libe-
d suum actum.

Probatur 5. & ultimò, ratione deductâ ex Concilio Triden-
, atque evidentissimè & irrefragabiliter concludente,
m sic propono: hoc ipso quod voluntas ut physicè præmo-
d unum, dissentire potest si velit, manet hoc ipso libera sub
ysicâ præmotione: sed ex Concilio Tridentino voluntas
sicè præmota ad unum, dissentire potest si velit: erga & jux-
entem Concilii manet voluntas libera sub physicâ præmoti-
ne. *Probatur Major*, ex Concilio Tridentino *Sessione sexta*,
. 4. liberum arbitrium etiam ut motum & excitatum à Deo
est dissentire si velit.; sed ibi loquitur Concilium arbitrio
tò præmotione Physica: ergo juxta mentem Concilii vo-
tas etiam ut physicè præmota potest dissentire si velit. *Pro-
ur Minor*, & quidem medio irrefragabili: docens Concili-
Tridentinum, quod liberum arbitrium motum à Deo po-
dissentire si velit, hoc docet damnando propositionem op-
itam Calvini: ergo de eâ ibi loquitur motione dum affirmat
sse adhuc arbitrium dissentire, de qua loquebatur Calvinus,
m sub eâ negabat posse arbitrium dissentire: sed negans Cal-
us posse arbitrium ut motum à Deo dissentire, de aliâ non
uebatur motione, quam de præmotione Physicâ, ut fatetur
arez 1. *de concursu Dei, capite primo*. Nec usquam somniavê-
, quod sub motione seu præmotione morali, sive sub propo-
one & invitatione objecti non posset arbitrium dissentire: er-
docens Concilium, quod liberum arbitrium motum à Deo
est dissentire si velit, de aliâ ibi non loquitur motione, quam
motione sive præmotione Physicâ.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, libertas consistit in dominio quod habet
oluntas supra suos actus: sed suppositâ præmotione Physicâ
n habet voluntas dominium super actus suos: ergo com-

poni non potest libertas cum Physica præmotione. *Probatur minor*, qui habet dominium super actum, habet etiam dominium super omnia requisita ad actum: sed supposità præmotione Physicâ non haberet voluntas dominium super omnia requisita ad actum: ergo supposità præmotione Physicâ, non haberet voluntas dominium super actum. *Probatur minor*, in tantum habet aliquis dominium super requisita ad actum, in quantum potest illa ad libitum ponere vel auferre: sed nulla potest creatura ponere ad libitum præmotionem illam Physicam, vel auferre, seu impedire, ne ponatur: ergo si semel requiratur præmotio illa, non haberetur dominium super requisita ad actum.

Respondeo negando minorem: ad cujus probationem distinguo majorem: in tantum habetur dominium super actum in quantum habetur super omnia requisita ad actum: si sermo sit de dominio libertatis supremæ & increatæ, Concedo: si autem sermo sit, ut de facto est in præsenti, de dominio libertatis subordinatæ & creatæ, Nego majorem, quòd scilicet habere non possit dominium super actum suum (tale scilicet quale exigit habere) nisi habeat dominium super omnia requisita ad actum; igitur licèt de ratione supremæ & increatæ libertatis sit habere dominium super omnia requisita ad actum, non ita tamen philosophandum est de libertate inferiori creata & subordinata, cujus disparitatẽ affert, & quidẽ eruditè Pererius Author Theologus Societatis, qui *in sua Physica lib. 8. de causis cap 9. fol. 303.* sic loquitur: Non enim, inquit, intelligendum est voluntatem creatam esse ita & taliter liberam, quod a nullo pendeat, nulliq; subjiciatur, sed omnia omnino habeat in suo dominio & potestate; hac enim libertate solum Deum liberum dicimus, utpote qui est omnino liber, à nullo dependens, nullius indigens, nulli subjectus, sed ipse sibi ad omnia sufficiens: ratio autem cujuslibet creaturæ, & consequenter libertatis nostræ necessariam & inseparabiliter adjunctam habet dependentiam à creatore tam in existendo quàm in operando; unde evidenter sequitur non habere voluntatem creatam dominium super actum suum, nisi solum secundum, ab alio dependens, & alteri putà Deo subordinatum; nec consequenter debere ejus dominium se extendere ad omnia quæ requiruntur ad actum, nisi velis, quod se extendat etiam ad ea, à quibus pendet & quibus subjicitur, cum hoc ipso quod est libertas creata & subordinata, annumerari debeant & ea, à quibus pender, & quibus subjicitur in agendo, inter requisita ad actum: ergo verum non est quod ad hoc ut habeat libertas creata suum, quod petit habere dominium super actum, debeat

Resp.

do-

dominium habere super omnia requisita ad actum, & consequenter super præfatam præmotionem.

Instabis, in tantum voluntas est libera, in quantum unum ponens actum potest & oppositum ponere: sed nisi haberet dominium super præmotionem requisitam, non posset tunc actum ponere oppositum: ergo nisi talè haberet dominium non posset absolutè loquendo dici libera. *Probatur minor*, inintelligibile est, quod possit ipsa voluntas actum ponere, cujus impedimentum ipsa auferre non potest: sed si non haberet dominium super requisitam præmotionem, non posset ipsa aufferre impedimentum actus oppositi, ipsam scilicet præmotionem quam ad alium habet actum: ergo nisi tale haberet dominium, nec posset tunc actum ponere oppositum. Nota.

Ad hoc argumentum respondent communiter Thomistæ distinguendo duplex impedimentum, aliud quod impedit ponibilitatem actus, & aliud quod solum impedit positionem, & dicunt quod quamvis voluntas nostra ad hoc ut sit potens ponere actum oppositum, debeat posse auferre impedimenta, quæ obstant ponibilitati actus, non tamen propterea requiritur quod & auferre possit ea quæ solum obstant positioni, atque ita cum præmotio ad unum actum obstet solum positioni actus oppositi, ut supponitur; consequenter sit, quod non propterea debeat voluntas posse hanc auferre vel ponendam impedire præmotionem ad hoc ut possit ponere actum oppositum, sive ad hoc ut respiciat actum oppositum ut ponibilem & possibilem. Hanc tamen solutioni, quamvis multum ingeniosæ nusquam acquiescere potui propter instantiam difficiliorem quam paritur, & quam ego proponam sit; omne quod ad actum requiritur & non requiritur ad illum ut ponendum seu positum, ad illum requiritur ut ponibilem & possibilem: jam sic est quod *posse* auferre impedimentum obstans positioni requiritur ad actum & non requiritur ad illum ut ponendum, seu positum; ad actum namque actu ponendum seu positum non sufficit *posse* auferre, sed requiritur *actu* auferre: ergo *posse* auferre impedimentum obstans positioni videtur requiri ad hoc ut actus constituatur ponibilis & possibilis; unde hac omissa solutione. Nota.

Respondeo juxta doctrinam in superiori responsione expositam negando minorem; ad cujus probationem distinguo majorem: inintelligibile est, quod possit voluntas ipsa actum ponere, cujus impedimentum ipsa auferre non potest; inintelligibile est, quod hoc possit ad modum primæ causæ & primi liberi; Concedo: inintelligibile est, quod hoc possit ad modum causæ secundæ & secundi liberi, Nego majorem. Quia vero in hoc est Nota.

præcipuus & fere unicus difficultatis agitatæ nodus, placet hanc probare & confirmare ſolutionem duplici ratione, & quidem utraque [meo judicio] convincentiſſima. Prima autem eſt, quia de ratione cauſæ ſecundæ & ſecundi liberi eſt poſſe actum ponere oppoſitum impedibiliter, ſive cum hoc quod potens ſit impediri à Deo, ut concedunt omnes: jam ſic eſt quod ſi deberet ipſa omnia impedimenta auferre poſſe, non verificaretur quod poſſet ſuum ponere actum ita impedibiliter ut per ſe patet, cum tunc omnia poſſet vincere & auferre impedimenta: ergo facile intelligitur, quod poſſit voluntas actum ponere oppoſitum, ad modum ſcilicet cauſæ ſecundæ & ſecundi liberi, quamvis ipſa non poſſit omnia auferre impedimenta, ſicut nec omnia ponere requiſita. Secundò ſtrictius eſt dominium, quod habet voluntas creata ad poſſe ponere vel non ponere actum, quam dominium quod ad hoc idem habet Deus: ſed dominium quod habet Deus hoc tantum petit, quod poſſit actum ponere cum potentia ad omnia auferenda & vincenda impedimenta: ergo id non requiritur ad hoc ut ſit voluntas noſtra potens actum ponere ſuo modo, ſive ad modum cauſæ ſecundæ & ſecundi liberi.

Tertia denique hujus ratio eſt, quia impedimentum illud de quo eſt & debet eſſe ſermo, eſt influxus cauſæ primæ ad actum noſtrum: ſed de ratione cauſæ ſecundæ non eſt, quod poſſit influxum auferre vel impedire cauſæ primæ, ſicut nec debet ipſa cauſa ſecunda talem influxum poſſe ponere; aliàs ut nuper dicebamus ſe extenderet ejus dominium ad ea, à quibus ipſa penderet & quibus ipſa ſubjiceretur: ergo de ratione cauſæ ſecundæ non eſt quod ipſa poſſit omnia auferre impedimenta, vel omnia ponere requiſita ad actum, quem ipſa potens eſt ponere ad modum cauſæ ſecundæ; unde ſi quis jam quærat quo jure & qua ratione dici poteſt voluntas creata poſſe ponere actum oppoſitum, ſi ſit ad illum impedimentum, quod ſolus Deus poteſt auferre, ad hoc ſoleo ego reſpondere, hoc ideo eſſe quia *poſſe* quod habet voluntas creata in ordine ad actum, eſt *poſſe* impedibile à Deo: jam ſic eſt quod habet ipſa hujuſmodi poſſe impedibile à Deo, hoc ipſo quod ſolus Deus tale poteſt auferre impedimentum: ergo verificatur adhuc, quod poſſit voluntas creata in ordine ſcilicet cauſæ ſecundæ, ponere actum oppoſitum, quamvis ſolus Deus tale poſſit auferre impedimentum; & hoc quia impedimentum illud de quo eſt ſermo, cum ſit influxus cauſæ primæ, non eſt per conſequens de horum numero, quæ cadunt & cadere debent ſub dominio voluntatis creatæ.

Ob-

Objicies 2. voluntas hoc ipso quod libera est, habet quod culpabiliter omittat actum qui præcipitur: sed requisita præmotio ad actum, illum non omitteret culpabiliter: ergo nec remanet libera. *Probatur Minor*, in tantum voluntas omittit culpabiliter, in quantum potens est ponere quod omittit: sed requisita præmotione nullo prorsus modo nec in ullo sensu esset voluntas potens ponere actum quem omittit: ergo nec culpabiliter illum omitteret. *Probatur Minor*, nullo prorsus modo nec in ullo sensu potest voluntas exercere præmotionem sine præmotione: sed requisita præmotione ad actum, tunc actum ponere est exercere præmotionem ad actum: ergo requisita præmotione ad actum, nullo prorsus modo potest voluntas ponere actum sine præmotione: sed comparativè ad actum quem omittit, est voluntas sine præmotione: ergo requisita præmotione nullo prorsus modo nec in ullo sensu posset voluntas ponere actum quem omittit.

Respond. negando minorem primi & secundi argumenti, ad primum verò in quo est difficultas distinguo majorem sic: nullo prorsus modo nec in ullo sensu potest voluntas exercere præmotionem sine præmotione, vel ut existente vel ut possibili, sive ut data vel dabili, Concedo; sine præmotione ut data & ut existente, Nego majorem, quod scilicet non sit tunc voluntas potens exercere præmotionem sine præmotione, prout existente data & habita. *Nota.*

Ratio autem solutionis occurrit duplex. Prima est, quia non potest non aliter requiri præmotio ad hoc actu & de facto illam exerceat voluntas, & aliter adhoc ut sit potens sit illam exercere: Jam sic est, quod adhoc ut voluntas actu & de facto exerceat præmotionem, requiritur præmotio ut existens, & ut data & habita; ergo ad hoc ut sit solum voluntas potens hanc exercere præmotionem, sufficit quod sit hæc præmotio possibilis & dabilis; sicque sine præmotione ut existente non debet voluntas potens exercere præmotionem. Secunda ratio est quia hoc ipso quod pro illo tunc supponitur præmotio possibilis & dabilis, supponitur hoc ipso Deus potens concurrere ad talem actum; sed potentia quam habet Deus, ut vera sit potentia & non chimærica non est nisi ad vere possibile: ergo hoc ipso quod præmotio est ita possibilis & dabilis, quæ possibilis est actus ille: sed actus ut vere possibilis correlatus est ad voluntatem nostram ut vere potentem: ergo hoc ipso per hoc præcise quod est præmotio possibilis & dabilis, voluntas nostra est vere potens ponere actum suum, subindeque & potens exercere pro illo tunc præmotionem sine præmotione ut existente.

Instabis

Inſtabis, in tantum voluntas omittit actum culpabiliter, in quantum ad illum obligatur, ſed hoc ipſo quod præmotio ad illum ſupponitur ſolum poſſibilis & non exiſtens, non eſt hoc ipſo obligatio ad talem actum: ergo nec in hoc caſu culpabiliter omittitur. *Probatur Minor* obligatio ad actum non cadit ſuper actus poſſibilitatem, ſed ſuper exiſtentiam & exiſtentiam, ſed hoc ipſo quod præmotio ad actum ſupponitur ſolum poſſibilis, cadere non poteſt obligatio ſuper exiſtentiam actus: ergo pro illo tunc non extat obligatio ad actum. *Major* eſt certa; hoc enim quod intendit præceptum & præcipit lex, eſt ut faciamus, non autem ut ſimus potentes facere. *Probatur Minor*, actus quoad exiſtentiam ſumptus impoſſibilis eſt cum præmotione ut ſolum poſſibili: ergo actus quoad exiſtentiam impoſſibilis eſt, quamdiu extat præmotio ut ſolum poſſibilis: atqui obligatio cadere non poteſt ſuper actum ut impoſſibilem: ergo hoc ipſo quod præmotio ad actum ſupponitur ſolum poſſibilis, non cadit obligatio ſuper exiſtentiam actus.

Reſp. negando minorem primi & ſecundi augumenti: Licet enim præmotio ſolum ſupponatur poſſibilis, adhuc nihilominus obligari poteſt voluntas ad actum quoad exiſtentiam; cujus ratio eſt quia lex ſeu præceptum obligans, dum obligationem imponit non attendit nec attendere debet aut reſpicere voluntatem ut determinatam, ſed potius præſcindens ab una & ab alia determinatione, ab uno & ab alio extremo ſolum reſpicit, attendit & connotat voluntatem, ut eſt in actu primo indifferenti ad utrumque: jam ſic eſt quod eſt voluntas in tali ſtatu, pro illo tunc, pro quo præmotio ad actum ad quem obligatur, ſupponitur ſolum poſſibilis, ut per ſe patet, & ut conceditur: ergo pro illo tunc & in tali ſuppoſitione adhuc poteſt voluntas obligari ad actum quantum ad exiſtentiam. Jam vero quod præceptum obligans dum obligationem imponit non attendat nec connotet voluntatem ut determinatam ad id ad quod obligat, quod eſt ſolutionis hujus fundamentum, ex eo colligo quod in ipſa actuali fractione præcepti adhuc præceptum obligat ad ſui impletionem, & peccat qui non adimplet, nec ceſſat obligatio præcepti
Nota, dum actualiter frangitur; alias non frangeretur dum frangitur, ſi quando frangitur non obligaret, ut non frangeretur: ſed in ipſa actuali fractione præcepti non eſt voluntas determinata ad id ad quod præceptum obligat, quin imo ſupponitur determinata ad oppoſitum: ergo lex obligans dum obligationem imponit non attendere debet nec connotare voluntatem, ut determinatam, ſed potius præſcindens ab una & ab alia determinatione connotare debet voluntatem, ut eſt in actu primo indifferens ad utrum-

rumque, in quo quidem statu adhuc supponitur, quamvis sit
olum possibilis præmotio.

Ad tertium autem argumentum in quo sita videtur difficul-
s respondeo primo retorquendo argumentum in adversarios
c: actus ad quem supponitur obligatio sumptus quoad exi-
entiam incompossibilis est cum actuali fractione præceptis: er-
o actus ille quoad existentiam impossibilis est in actuali fra-
ione; sed obligatio non cadit super impossibile: ergo si valeat
c argumentum, non obligabit lex ad actum, in ejus actuali
ctione, quod tamen falsum est & in nostra & in adversa sen-
ntia, ut supra exposuimus. Ad hoc ergo respondeant adversa-
ii, & quod ipsi dixerint in hoc solvendo, dicam & ego in eo-
m solvendo, ut nobis objecto; cæterum ex doctrina supra ex-
sita in qua scilicet dictum fuit, quod lex obligans attendit &
spicit voluntatem secundum se, & ut est in actu primo potens
ndifferens ad utrumque, præscindendo ab una & ab alia de-
minatione ad unum vel aliud extremum, ex hac, inquam, do-
ina dico, quod quamvis sumptus actus quoad existentiam in-
mpossibilis sit cum præmotione ad illum ut solum possibili, si
nirum consideretur respectivè & comparativè ad ipsam præ-
otionem, non tamen est ita incompossibilis, etiam quoad exi-
tiam prout consideratus respectivè ad voluntatem secundũ
& ut est in actu primo potens & indifferens ad utrumque; sic
m sumpta voluntas non est magis connexa cum negatione
stentiæ actus, quam cum ipsius existentia; unde cum ex do-
na supra exposita lex & præceptum obligant respiciat volun-
m secundum se sumptam & ut est in actu primo potens &
fferens ad utrumque, præscindens ab una & ab altera deter-
atione, evidenter sequitur quod sub ea ratione quâ obligat
d actum, ad illum non obliget prout incompossibilis est, nec
equenter prout est impossibilis; ex eo scilicet quod incom-
ibilitas quam habet actus quoad existentiam sumptus cum
notione ad illum ut solum possibili se habet ad legem prout
gantem, meré materialiter, nec ab ea attenditur nec attendi
r, ut dictum fuit; sed ad hoc videatur sequens responsio.

bjicies 3. in tantum voluntas libera est, in quantum potest
ponere actum quem ponit: sed supposita præmotione nulla
us potentia, nec in ullo sensu potest voluntas non ponere
n quem ponit: ergo supposita præmotione nõ remanet vo-
s libera. *Prob. Minor*, posse actum non ponere supposita præ-
one est posse impedire præmotionis effectũ; sed nulla prõ-
otentia, nec antecedenti nec consequenti, neq; in ullo sensu
posito sive diviso, potest voluntas nostra effectũ impedire

præ-

præmotionis: ergo nulla prorſus potentia poteſt non ponere actum quem ponit ſuppoſita præmotione. *Major* eſt certa; effectus namque præmotionis eſt actus ut ponendus infallibiliter, ſive ut poſitus. *Probatur Minor*, connexiones eſſentiales non tantum non ſunt impediendæ, ſed nec ulla prorſus potentia ſunt impedibiles, ut conceditur: atqui præmotio poſita & ſuppoſita eſt eſſentialiter connexa cum poſitione actus ſive effectus; talis namque poſitio ingreditur in obliquo ipſam præmotionis definitionem, utpote quæ definitur id quo applicatur voluntas ad eliciendam actus; ergo nulla prorſus potentia nec in ullo ſenſu poteſt voluntas noſtra effectum impedire præmotionis.

Reſpond. negando minorem primi argumenti, cujus quidem falſitas abunde colligitur ex dict. ſ ſupra. Ad ſecundum vero, ad quod reſpondent plures diſtinguendo minorem in ſenſum compoſitum & diviſum, ſive in potentiam antecedentem & conſequentem, male applicando & peius intelligendo; ad hoc, inquam, diſtinguo ego majorem ſic: poſſe voluntatem actum non ponere, eſt poſſe impedire præmotionis effectum, ſi poſſit actum illum non ponere prout eſt à Deo præmovente, Concedo majorem, quod ſcilicet hoc ſit poſſe impedire effectum præmotionis ſi vero poſſit ſolum voluntas non ponere actum, prout ejus eſt & ab ipſa egreditur, Nego majorem, quod propterea verificari debeat quod poſſit impedire effectum præmotionis; porro ſolutio hæc quam ſeriò notandam velim & ponderandam pro multis ſolvendis difficultatibus, & inſinuatur à D. Thoma, & ratione colligitur; primo quidem hanc apertè inſinuat S. Doctor *q. 6. de malo, art. 1. ad 2.* his verbis: *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt: ſed tamen propter naturam voluntatis motæ, quæ eſt ad utrumlibet, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas.* Hæc D. Thomas, in quibus apertè inſinuatur non poſſe effectum divinæ motionis deficere ſeu impediri in quantum eſt a Deo movente, utpote qui & movet *immutabiliter*, & per virtutem movet, *quæ deficere non poteſt*, cum quo tamen ſtat quod adhuc poſſit hic idem effectus deficere & impediri, prout ab ipſa egreditur voluntate & prout ejus eſt, ex eo ſcilicet quod hæc cum ſe habeat ad utrumlibet poteſt conſequenter conjungere carentiam effectus cum ſeipſa. Ratio autem hujus eſt & occurrit duplex: Prima eſt, quia cum voluntas de ſe non magis connectatur cum effectu illo, quam cum carentia illius; conſequenter fit quod debeat poſſe illum non ponere prout ejus eſt & ab ipſa egreditur. E contra vero cum ipſa Dei præmotio eſſentialiter

Nota

con-

nectatur cum positione talis effectus,ideo nec debet volun-
posse non ponere hujusmodi actum prout est effectus præ-
tionis,cum connexiones essentiales sint omnino impedi-
s.Alia vero ejusdem ratio est , quia in tantum & sub ea ratio-
n ratione debet effectus esse impedibilis , in quantum est à
sa impedibili & contingenti , jam sic est quod solum volun-
nostra est causa illius contingens & impedibilis, virtus vero
moventis est,ut dicit D.Thomas,omnino immutabilis &
cere non potens : ergo debet voluntas nostra posse actum
ponere quem ponit,prout talis actus ab ipsa est, nec tamen
et posse illum non ponere sumptum ut est effectus præmo-
is,atque ita nec debet propterea impedire posse præmotio-
vel Deum præmoventem.

stabis actus ille noster etiam prout est effectus præmotio-
est liber:sed si non esset impedibilis prout est à præmotione,
esset liber prout est effectus præmotionis : ergo actus ille
er,vel non est impedibilis prout à nobis est , vel debet esse
edibilis,etiam prout est effectus præmotionis.*Minor* , vi-
r certa,*Probatur Major*, actus qui liber est respectu causæ
ndæ non potest non esse liber respectu causæ primæ ; alias
daretur causa prima libertatis actus : ergo hoc ipso quod
s ille noster est liber ut à nobis est, est etiam liber ut est à
a prima;sed est à causa prima prout est præmotionis effe-
ergo actus ille noster,etiam prout est effectus præmotio-
st liber.

spondeo negando minorem,quam supponit arguens , nec
at:ad hoc enim ut dicatur actus ille liber,etiam prout est à
notione,sive tum respectu causæ primæ, tum respectu cau-
undæ sufficit quod impedibilis sit prout est à causa secun-
jus ratio est,quia impedibilitas,quam habet hujusmodi a-
respectu causæ secundæ,ortum habet à causa prima, utpote
anquam provisor universalis ad eum aptavit & præparavit
agentem & impedibilem causam,quia eum voluit contin-
r & impedibiliter evenire:ergo & libertas quam secum af-
ujusmodi actus respectu causæ secundæ ex tali impedibili-
rtū etiam habet ab ipsa causa prima,ac proinde & esse de-
ber respectu causæ primæ,hoc ipso & per hoc præcise quod
dibilis est respectu ipsius causæ secundæ.Sed pro majori in-
entia videatur & notetur responsio ad sequentē instantiā.

ebis : inintelligibile est , quod idem indivisibiliter a-
t impedibilis & inimpedibilis: ergo & inintelligibilis est
ina illa supra exposita.

Reſpondeo, tantum abeſſe, quod ſit hoc inintelligibile, quin imo omnino intelligibile eſt, quod ita conſideratus actus comparativè ad præfatas cauſas, primam ſcilicet & ſecundam, quarum prima inimpedibilis eſt, & impedibilis altera non ſit ſimul & ſemel ſub duplici illo reſpectu inimpedibilis ſimul & impedibilis, ut exiſtimo demonſtraſſe in reſponſione ſuperiori ad objectionem. Cæterum ut facilius adhuc intelligatur, placet & hujus affere exemplum etiam apud adverſarios receptiſſimum, & ratione altera confirmare. Exemplum eſt in amore Chriſti Domini, qui quidem & a Patribus Societatis & à noſtris conceditur eſſe & inimpedibilis, ſimul & impedibilis & contingens reſpectu diverſorum objectorum; nam reſpectu Dei ut in ſe & ſecundum ſe dicunt eſſe inimpedibilem, reſpectu vero creaturarum, imo & Dei ut connexi cum creaturis connexione libera dicunt eſſe impedibilem & contingentem: non ergo eſſe debet mirum, ſi dicamus eandem actionem reſpectu unius principii quod impedibile eſt, eſſe impedibilem & contingentem; reſpectu vero alterius principii, quod eſt inimpedibile & immutabile, non eſſe ſub tali reſpectu & comparatione impedibilem. Ratio vero ex qua hoc idem irrefragabiliter confirmatur, eſt, quia inimpedibilitas cauſæ primæ, ex qua præfata actio dicitur eſſe inimpedibilis, non eſt inimpedibilitas quæ proveniat ex determinatione præfatæ cauſæ primæ ad unum, ſicut eſt inimpedibilitas quæ eſt in cauſis inferioribus & neceſſariis, ſed potius provenit ex ſumma eius univerſalitate & efficacia; ex qua ſcilicet fit, quod nihil poſſit ipſius ſubterfugere cauſalitatem, voluntatem & influxum; unde cum cauſa quæ eſt ita univerſalis & efficax facere debeat & quod fiat effectus cauſæ ſecundæ, & quod eo modo fiat, quo fieri debet, puta quod fiat impedibiliter dum oriri debet & egredi ex cauſa impedibili, conſequenter fit quod ex inimpedibilitate cauſæ primæ, & ex eo quod effectus comparativè ad illam inimpedibilis ſit, probetur & inferatur, quod hic idem indiviſibiliter effectus eſſe debeat impedibilis reſpectu cauſæ ſecundæ. & ab ea oriri impedibiliter.

Nota,

CA-

CAPUT IV.

Virum ex præmotione ad materiale peccati sequatur, præmovere Deum ad formale.

PRæmittendum 1. duo in actu peccaminoso communiter distingui, materiale scilicet & formale; formale peccati est ipsa deformitas & malitia per quam constituitur formaliter in ratione peccati & mali moralis: sive hæc consistat formaliter in privatione rectitudinis, sive in aliquo positivo, sive in utroque simul, de quo in morali philosophia. Materiale vero peccati est actus à voluntate elicitus, vel imperatus, qui est subjectum malitiæ, diciturque malus moraliter sive ab objecto, quod malum est, sive à circumstantiis vitiantibus; supponitur autē in præsenti præmovere Deū ad materiale peccati, hoc ipso quod semel supponitur admittenda & danda præmotio pro servanda subordinatione inter causam secundam & causam primam; cum respectu ipsius materialis peccati utpote quod ut tale non est minus vera & physica actio, quam materiale actus virtutis, serveret ista secunda rationem causæ secundæ veræ & physicæ, subinque & Deo subordinandæ per physicam præmotionem, si semel supponatur hæc requiri præmotio pro tali servanda subordinatione, ut in primo hujus quæstionis capite demonstravimus. Unde quod ibi controvertitur est, an supposita tali præmotione ad materiale peccati, sequatur aliqualiter præmovere Deum ad formale, adeo ut verè dicendus esset causa peccati, an solo permissivè solum se habeat ad ipsum formale peccati, adeo non obstante præfata præmotione sit ipsa voluntas nostra debilis quasi primum principium & prima ratio omnis deficientis quæ reperitur in actu illo peccaminoso ad quem, ut primum materialiter supponitur præmota.

Præmittendum 2. pro declaratione principiorum ad quæ communis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes certissima, subindeque vim habituū principii, puta quod *malum est finis ultimus materialis peccati, absque eo quod sit finis ultimus formalis*: Quod *ad id non præmoveat Deus, ad quod solum*

ſolum ſe habet permiſſivè; Quod peccatum ſumptum formaliter eſt in genere moris.

Ratio autem primi eſt, quia ipſum materiale peccati cum ſit actus quidam realis & phyſicus, nec aliud explicet ſub hac ratione præter realitatem & actualitatem phyſicam, eſt conſequēter ſub tali ratione ens quoddam per participationem, ſubindeque & aliquid quod operatur & cauſat Deus: jam ſic eſt quod omnia propter ſemetipſum operatur Deus, ut dicit ſcriptura: ergo & propter ſemetipſum operatur Deus ipſum materiale peccati qua tale, adeoque eſt illius finis ultimus: ſed non eſt Deus nec ſub ulla ratione dici poteſt finis ipſius formalis peccati, tum quia omne quod eſt ad Deum tanquam finem, cum ſit ad finem debitum, bonum eſt, tum quia ſtabiliri ſolet formale peccati in ipſa averſione & deordinatione à Deo tanquam à fine debito: ergo veriſſima eſt prima illa propoſitio, puta quod eſt Deus finis ultimus ipſius materialis peccati, abſque eo quod ſit finis ipſius formalis.

Quantum vero ad ſecundam, puta quod ad id non præmovet Deus, ad quod ſolum ſe habet permiſſivè ratio hujus eſt, quia præmotio eſt verus & realis influxus, nec aliter exercetur quam medio influxu, ut ex ipſo conſtat præmotionis termino: ergo cum non influat Deus ad id, ad quod ſolum ſe habet permiſſivè, ut ex ipſis etiam terminis conſtat, conſequenter fit, quod ad id non præmoveat Deus ad quod ſolum ſe habet permiſſivè

Demum quantum ad tertium, puta quod peccatum ſumptum formaliter eſt in genere moris, ratio hujus eſt quia moralitas actuum humanorum ſita eſt in relatione actus liberi ad ſuam regulam; ſicut enim in artificialibus tota formalis ratio artefacti ſumitur ex ordine ad ideam & regulas artis quæ ſunt in mente artificis, ita & in moralibus tota formalis ratio moralitatis debet ſumi ex ordine ſeu relatione quam dicunt actus humani ad ſuam regulam ſeu menſuram: jam ſic eſt quod peccatum formaliter ut peccatum eſt ſeu malum dicit & explicat præfatum ordinem ad ſuam regulam, ſive ad regulam rectæ rationis, cum per hoc ſit & intelligatur peccatum quia deviat & deficit à tali regula: ergo veriſſimum eſt & illud tertium, quod ſcilicet peccatum ſumptum formaliter eſt in genere moris, ſeu ſpectat & reducitur ad lineam moralem. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis eſt apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione & concluſionis ad eadem principia reductione ſit:

Con-

CONCLUSIO: *Ex eo quod Deus ad materiale peccati præveat, non propterea præmovet ad formale.*

Probatur 1. ex primo præmisso principio: *Deus est finis ultimus materialis peccati, absque eo quod esse debeat finis ipsius formalis:* ergo ex eo quod Deus ad materiale peccati præmovet, non propterea præmovet ad formale. *Probatur consequentia*; debet Deus ad materiale peccati præmovere, hoc ipso quod est illius finis ultimus: ergo hoc ipso quod est finis ipsius materialis absque eo quod sit finis ipsius formalis, habet & præmovere ad materiale peccati, absque eo quod præmoveat ad formale. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*; debet Deus ad materiale peccati præmovere, hoc ipso quod est primum ejus principium: sed hoc ipso quod est finis illius ultimus est etiam primum ejus principium: ergo hoc ipso quod est finis ultimus materialis peccati debet ad tale materiale præmovere.

Maior probata fuit, & quidem [meo judicio] convincentissima in primo capite hujus quæstionis, ubi ostendi debere Deum præmovere, & hoc ipso quod servat in concurrendo rationem formæ universalissimæ [quod quidem servat hoc ipso quod est primum principium] & hoc ipso quod servat rationem primæ causæ. *Probatur Minor*, hoc ipso quod eorum tantum est Deus finis quorum est principium, non potest non esse primum principium materialis peccati, hoc ipso quod est finis illius ultimus: sed Deus eorum tantum est finis quorum est principium: ergo non potest non esse Deus primum principium materialis peccati hoc ipso quod est finis illius ultimus. *Maior* patet ex termini. *Probatur Minor*, si esset Deus aliquorum finis, quorum non esset principium esset ratio principii minus universalis in Deo quam ratio finis, sed non potest ratio principii esse minus universalis in Deo quam ratio finis: ergo Deus eorum tantum est finis, quorum est principium. *Maior* patet ex terminis. *Probatur Minor*, ideo ratio finis est in Deo universalissima, quia bonitas Dei in qua fundatur ratio finis omnes in se præhabet bonitates: sed etiam entitas & actualitas Dei, in qua fundatur ratio principii omnes in se præhabet actualitates & entitates: ergo non potest ratio principii esse minus universalis in Deo, quam ratio finis: ergo Deus eorum tantum est finis, quorum est principium: ergo hoc ipso quod est Deus finis ultimus ipsius materialis peccati, est etiam primum ejus principium: ergo & debet Deus ad materiale peccati præmovere, hoc ipso quod est finis ultimus: ergo hoc ipso quod est Deus finis ultimus materialis peccati, absque eo quod sit finis formalis, [quod est

primum præmiſſum principium) habet hoc ipſo Deus præmovere ad materiale, abſque eo quod propterea præmoveat ad formale.

Probatur 2. ex ſecundo præmiſſo principio: *ad id non præmovet Deus, ad quod ſolum ſe habet permiſſivè:* ergo quantumvis præmoveat ad materiale peccati, non propterea præmovet ad formale. *Probatur conſequentia*, quantumvis præmoveat Deus ad materiale, adhuc ſolum permiſſivè ſe habet ad formale: ergo hoc ipſo quod ad id non præmovet, ad quod ſolum ſe habet permiſſive, nec præmovere debet ad formale, quantumvis præmoveat ad materiale. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*, quantumvis præmoveat Deus ad id quod eſt efficere, adhuc ſolum permiſſivè ſe habet ad id, quod eſt deficere: ſed materiale peccati, ſcilicet commiſſionis, de quo eſt ſermo, cõſiſtit in eo quod eſt efficere, jus vero formale in eo quod eſt deficere: ergo quantumvis præmoveat Deus ad materiale adhuc ſolum permiſſivè ſe habet ad formale. *Minor* conceditur, & colligitur ex præmiſſis. *Probatur major*, ſuppoſitio præmotionis *ad efficere*, non propterea extrahit ipſum *deficere* extra ſuum genus, ſive extra rationem ſuam quidditativam: ergo quantumvis ſupponatur Deus præmovere ad id, quod eſt *efficere*, adhuc tamen ſe habet ad *deficere*, ut ad id quod alterius eſt generis ab *efficere*: ſed ad id quod eſt alterius generis ab *efficere*, ſeu quod eſt extra efficientiæ genus, ſe habet ſolum Deus permiſſivè, ut conceditur; cum ad id omne ad quod non ſe habet ſolummodo permiſſivè, ſe habeat efficienter, & conſequenter ſit illud omne intra efficientiæ genus: ergo quantumvis ſupponatur Deus præmovere ad id quod eſt *efficere*, adhuc ſolum permiſſivè ſe habet ad id quod eſt *deficere*: ergo quantumvis ſupponatur Deus præmovere ad peccati materiale, adhuc ſolum permiſſivè ſe habet ad formale: ergo hoc ipſo quod ad id non præmovet Deus, ad quod ſolum ſe habet permiſſivè (quod eſt ſecundum præmiſſum principium) nec præmovet ad formale peccati, quantumvis præmoveat ad materiale.

Nota.

Probatur 3. ex tertio præmiſſo principio; *peccatum ſumptum formaliter eſt in genere moris:* ergo præmovens Deus ad materiale peccati, non propterea præmovet ad formale. *Probatur conſequentia*, præmovens Deus ad materiale peccati non propterea attingit ejus eſſe morale: ergo hoc ipſo quod peccatum formaliter ſumptum eſt in genere moris, nec attingit Deus formale peccati, quamvis præmoveat ad materiale. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*, non poteſt

Deus

attingere esse morale per hoc præcisè quod operatur & rrit juxta naturæ exigentiam: sed præmovens ad materia- ccati, concurrit & operatur juxta naturæ exigentiam: ergo ovens Deus ad materiale peccati non propterea attingit sse morale: *Major* est evidens; cum enim concurrens Deus naturæ exigentiam rationem induat agentis naturalis, non st consequenter ex eo induere & exercere rationem agen- oralis, nec consequenter attingere causaliter esse alicujus le. *Probatur Minor*: est juxta naturæ exigentiam, quod locus actioni defectibili: sed talis non daretur locus, nisi præmoveret ad ipsum materiale peccati: ergo præmovens ad materiale peccati concurrit juxta naturæ exigentiam. r conceditur; & ratio hujus est, quia quamvis quod detur actioni defectibili, hoc malum sit & nocivum naturæ par- ti, à qua egreditur, hoc tamen cedit in commune bonum s naturæ, sive naturæ universalis, cum cedat hoc in finem ter quem ab authore suo condita est, puta in manifestatio- divinorum ejus attributorum, ut quod solus ipse indefe- is sit, subindeque & solus sua sibi ipsi regula, solus sua men- solus sua perfectio, suum esse, &c. *Probatur Minor*, dari non st locus actioni defectibili, quin & ei detur locus ut actio d nisi præmoveret Deus ad materiale peccati, non daretur actioni defectibili ut actio est; ergo neque ut est defectibi- tio. *Major* est evidens, cum sit actio defectibilis & actio & actio, scilicet defectibilis *Probatur Minor*, actio defectibilis tio est, est & pendet à voluntate ut determinata; à princi- amque indifferenti ut indifferens est exire nequit determi- s actus: ergo actio defectibilis ut actio est, est natura poste- determinatione voluntatis: sed secluſa præmotione ad ma- le peccati non haberetur actio natura posterior determi- one voluntatis; cum secluſa præmotione eam prædetermi- e non alio determinaretur voluntas quam sui actione, aut d in idem redit, quam concursu simultaneo, qui est indivisi- et idem cum actione: ergo si non præmoveret Deus ad ma- le peccati non daretur locus actioni defectibili ut actio est: si non præmoveret Deus ad materiale peccati nec daretur luté loquendo locus actioni defectibili; ergo præmovens s ad materiale peccati concurrit juxta naturæ exigentiâ: ergo movens Deus ad materiale peccati non propterea attingit jus morale: ergo hoc ipso quod peccatũ formaliter sumptum est enere moris [quod est tertium præmissum principium] nec ngit Deus formale peccati, quantumvis præmoveat ad ma-

Solvuntur objectiones.

Objicies: Intelligibile eſt, quod qui ad unum præmovet, ad quod aliud infallibiliter ſequitur, ad illud aliud non præmoveat: ſed formale peccati ſequitur in nobis infallibiliter ad materiale: ergo inintelligibile eſt, quod Deus ad materiale præmovens non præmoveat hoc ipſo ad formale.

Reſpondeo Diſtinguendo majorem: inintelligibile eſt, quod qui ad unum præmovet, ad quod aliud infallibiliter ſequitur, ad illud aliud non præmoveat, ſi illud aliud ſequatur ad iſtud abſolutè, Concedo: ſi autem ſolum ſequatur mediante aliquo & ratione alicujus, quod minimè attingit præmotio, Nego, quod qui ad iſtud præmovet debeat propterea ad illud aliud præmovere; & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam. Dico ergo; quod quando aliquid conſequitur ad aliquem actum, non abſolutè, ſed ut ſequitur ad peculiarem modum cauſandi, qui in aliqua cauſa reperitur, non autem in aliis, tunc neceſſe non eſt, imò nec fieri poteſt, quod cauſetur à quacumque cauſa, etiam quantumcumque prævie vel efficaciter concurrente ad illum actum; ſed ab ea ſolum cauſari debet, quæ talem habet peculiarem modum cauſandi, ut per ſe patet: jam ſic eſt, quod formale ſeu malitia peccati non ſequitur ad entitatem ſeu poſitionem actus peccaminoſi *abſolutè* cum ignorans invincibiliter ponere poſſit & producere eundem actum, nec tamen ponat cum malitia, ſed conſequitur ſolum formale peccati ad poſitionem actus, in quantum talis actus à noſtra oritur & cauſatur voluntate certo quodam & peculiari modo cauſandi, qui non cadit nec cadere poteſt in Deum præmoventem; cum conſequatur formale peccati ad poſitionem actus prout à nobis ponitur & cauſatur, tanquam *debentibus non ponere*, qui tamen ponendi & cauſandi modus non cadit in Deum præmoventem, ex eo ſcilicet quod ideo ſum ego *debens non ponere hunc actum*, quia eum pono tanquam cauſa particularis, cui juxta regulas, ad quas debet attendere in agendo, prohibitus eſt talis actus; cum tamen agat Deus in præmovendo ad talem actum tanquam cauſa & proviſor univerſalis, quæ cum attendat in agendo ad bonum commune, in cujus utilitatem cedit præmotio & poſitio talis actus, ut communiter conceditur, & ut dictum fuit ſupra in tertia probatione, ideo ad illum præmovens & eum ponens, non ponit cum eo peculiari modo quo ponimus nos, & ad quem ſequitur malitia, puta ut ſit *debens non ponere*: ergo quan-

Nota.

ntumvis præmoveat Deus ad actum, ad cujus positionem
uitur infallibiliter malitia seu formale peccati, adhuc facile
lligitur, quod non præmoveat ad formale, nec illud causer.
nstabis: Defectus claudicationis non sequitur ad motum
mæ, nisi ex peculiari modo causandi qui est in tibia curua; &
non est in anima: sed hoc non obstante adhuc imputaretur
venti animæ defectus ille, si esset peccatum: ergo & quamvis
nale peccati non sequatur ad actum ad quem est præmo-
nisi ex peculiari modo quo illum causat voluntas nostra,
uc Deo imputaretur tanquam causæ.
espondeo Distinguendo minorem, sed hoc non obstante ad-
imputaretur moventi animæ defectus ille claudicationis, si
peccatum, ita ut imputaretur animæ defectus ille, eo quod
n causaret movendo tibiam nego minorem: eo quod illum
impediret cum teneretur Concedo minorem; & nego con-
entiam. Verum ergo, quod si claudicationis defectus esset
atum, quod tunc peccaret anima toties quoties tibiam
eret, non quod talem in hoc casu causaret defectum mo-
lo tibiam; cum, ut bene notat D. Thomas *quamvis causet*
a quidquid est motionis in claudicatione, non tamen sit cau-
jus, quod scilicet actus sit cum defectu: sed ideo in hoc casu
itaretur animæ defectus ille, si esset peccatum, qui cum sit
a causa particularis & finitæ ac limitatæ virtutis, subinde-
nec usque adeo omnipotens, [ut dicit Augustinus] quod be-
ere possit de malo, tenetur consequenter non tantum ma-
ion causare quod potest, sed etiam impedire malum in-
um potest; atque ita ex eo capite imputaretur tunc defe-
lle claudicationis animæ si esset peccatum: è contra vero
Deus ex eodem Augustino usque adeo omnipotens sit &
s ut benefacere possit etiam de malo; & propterea cum sit
mus atque universalis provisor & gubernator possit malum
culare disponere & ordinare ad suos universalissimos sub-
que & meliores fines, ideo fit quod non tenetur impedire
n quod sequitur ad actum voluntatis nostræ, eo quod il-
ræfato peculiari modo causet; & sic quamvis imputare-
animæ moventi peccatum quod esset in claudicatione ad
moveret, non propterea sequitur, quod imputari debeat
præmoventi peccatum seu malum quod est in actu ad
præmovet; cum nec ex eo quod illud causet imputari
ut ostensum est, nec ex eo quod illud tenetur impe-

abis: Hoc ipso quod non se habet Deus permissive solum

ad formale peccaminoſi actus, ad quem præmovet, debet ad illud ſe habere cauſaliter: ſed inintelligibile eſt, quod ad formale peccaminoſi actus, ad quem præmovet, ſe habeat ſolum permiſſivè: ergo & inintelligibile eſt, quod ad illud non ſe habeat cauſabiliter & tanquam cauſa. *Probatur minor*, non poteſt non alio modo ſe habere Deus ad formale peccaminoſi actus, ad quem præmovet, quam eo quo ſe haberet ſi voluntas ſeipſam per ſeipſam determinaret & moveret: ſed ſi voluntas ſeipſam per ſeipſam moveret & determinaret ad actum peccaminoſum, diceretur Deus ſe habere permiſſivè ſolum ad formale peccati: ergo hoc ipſo quod Deus ad illum præmovet, non poteſt non aliter ſe habere ad tale formale, quam permiſſivè.

Reſpondeo negando minorem, cujus falſitas patet ex ratione ſupra expoſita in tertia probatione, ubi ſcilicet dictum fuit quod cum prætactio ad materiale peccati non propterea extrahat formale extra ſuum genus, ut conceditur, conſequenter fit quod quamvis ad materiale præmoveat Deus, adhuc tamen ſe habeat ad formale, tanquam ad aliquid, quod eſt extra efficientiæ genus, utpote quod conſiſtit in *deficere*, ſicut materiale conſiſtit in *efficere*: jam ſic eſt, quod ad id quod eſt extra efficientiæ genus non aliter ſe habere poteſt Deus quàm permiſſivè, ut per ſe patet: ergo quamvis ad materiale præmoveat Deus, adhuc facilè intelligitur, quod ſolum ſe habeat permiſſivè ad formale. Ut tamen plenius intelligatur, placet hoc confirmare altero diſcurſu, qui cum fundetur in Doctrina etiam apud adverſarios communiter recepta, videtur mihi omnino irrefragabiliter concludere: arguo ergo ſic contra argumentum propoſitum: pari modo philoſophandum eſt, & de facto philoſophantur adverſarii de prædefinitione, ac de præmotione, ſed datur & invenitur caſus, in quo Deus prædefinit aliquid cum quo connexum eſt peccatum, absque eo quod aliter ſe habeat ad peccatum quà tale, quam permiſſivè: ergo mirum non eſt, quod præmoveat Deus ad materiale peccati, cum quo connexum eſt formale, & tamen quod ſolum permiſſivè ſe habeat ad formale. *Minorem* autem in qua eſt difficultas oſtendo ſic: quando vult Deus aliquem ſalvare per pœnitentiam ejus præintendit & prædefinit pœnitentiam ante peccatum, cum finis ad quem & propter quem peccatum permittit, ſit tunc pœnitentia: ſed cum pœnitentia omnino connexum eſt peccatum, ut patet: ergo prædefinit Deus aliquid cum quo connexum eſt peccatum: ſed hoc non obſtante adhuc ſolum permiſſivè ſe habet Deus ad tale peccatum, nec poſita tali prædefinitione ad

Nota.

aliud

d obligatur Deus, quam ad permittendum, ut patet & ut
iceditur: ergo datur casus, in quo prædefinit Deus aliquid,
n quo connexum est peccatum, absque eo quod aliter se ha-
t ad tale peccatum quam permissivè.

Inde ad probationem, concedo quidem quod Deus præmo-
s ad materiale alio modo se habeat ad formale, quam eo quo
aberet si voluntas seipsam per seipsam moveret & determi-
et; non quod aliter se habeat quam permissivè, sed quia alio
nissionis genere se haberet nunc, quam eo quo se haberet, si
præmoveret. Si enim non præmoveret Deus, sed seipsam
ntas per seipsam moveret, tunc permissivè quidem se habe-
Deus, sed permissione ad quam non sequeretur sequela in-
bili, & logicali seu illativa ipsum formale peccati: cum ta-
hoc ipso quod præmovet ad materiale, se habeat hoc ipso
nissivè ad formale, sed permissione ex qua arguitur illatione
libili, (quamvis non causali & physica) ipsum formale; &
iter se haberet Deus in utroque casu, quamvis in utroque
beret tolummodo permissivè.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

spondeo, Omninò sentiisse S. Doctorem Deum physicè præ-
ere causas secundas ad operandum; quod imprimis colli-
t verbis quæ habet S. Doctor *quæst 3. de potent. art. 7.* & quæ
it *1 p. quæst. 105. art. 5. & lib. 3. contra gent. cap. 70.* sic enim
itur loco citato de potentia: *Deus est causa actionis cujus-
in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conser-
am, & in quantum applicat actioni.* Et ibidem subdit: *ter-
o dicitur una res esse causa actionis alterius in quantum
movet ad agendum; in quo non intelligitur collatio aut con-
tio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem: si-
mo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat a-
n cultelli ad incidendum movendo ipsum.* hæc Divus
mas, ex quibus sic arguere licet. Deus ex Divo Thoma
et & applicat omnes causas secundas ad suas operatio-
sed non aliud intelligendum venit per talem motionem
plicationem, quam præfata præmotio physica: ergo
fit Divus Thomas physicam illam præmotionem. *Pro-
Minor*, non aliud intelligi potest hac motione & ap-
tione, quam vel collatio virtutis activæ, vel concur-
multaneus, vel præmotio moralis, vel tandem præmotio
physi-

phyſica: ſed nec intelligit Divus Thomas ipſam collationem virtutis activæ, ut ipſe expreſsè declarat loco citato: nec etiam hac motione intelligit concurſum ſimultaneum, cum ipſe dicat 2. *contra gent. cap.* 149. *quod motio moventis præcedit motum mobilis ratione & cauſalitate:* neque intelligere poteſt S. Doctor per talem motionem moralem aliquam præmotionem; cum hanc tibi extendat motionem ad omnes cauſas, & cauſæ naturales, ut potè rationis expertes, capaces non ſint moralis motionis ſive præmotionis: ergo non aliud intelligendum venit per talem applicativam motionem, quâ dicit D. Thomas, applicare Deum & movere omnes cauſas ſecundas, non aliud inquam intelligendum venit, quam phyſica præmotio.

Secundò, hoc idem colligo ex his quæ habet *quæſt.* 3. *de potentia artic.* 7 *ad* 3. ubi, hæc habet: *in operatione quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur natura*, ex quibus ſic ſubſumere licet: atqui quando Deus ſimul & ſimultaneè concurrit cum cauſis naturalibus ad earum operationes & effectus, tunc operatur natura, ut patet: ergo per concurſum hujuſmodi ſimultaneum Deus illam non movet ex D. Thoma, ſed ſolum per concurſum prævium ſeu præmoventem, in ordine ad quem natura ſe habet merè paſſivè.

Tertiò, id colligo ex his quæ habet S. Doctor *q. 6. de malo artic.* 1. *ad* 2. ubi ait: *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam voluntatis moventis: quæ deficere non poteſt:* item & ex iis quæ docet *in prima ſecundæ quæſt.* 10. *articul.* 4. *ad* 3. ubi hæc habet: *ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni, quod ad illud voluntas non moveatur.* Hæc ille, ex quibus argumentor ſic; motio quæ de ſe & ab intrinſeco efficax eſt, & cum qua nunquam componi poteſt diſſenſus, eſt motio ſive præmotio phyſica: ſed ex Divo Thoma Deus movet voluntatem motione ab intrinſeco efficaci, & tali quod repugnet cum ea componi voluntatis diſſenſum: ergo ex Divo Thoma Deus movet phyſicè voluntatem ad operationem, ſubindeque & eam phyſicè præmovet; cum *ex eodem 2 contra gent. cap.* 149. *motio moventis præcedat motum mobilis prioritate cauſalitatis.* Minor habetur ex terminis ſupra citatis. *Probatur Major:* ex eodem Divo Thoma: omnis motio qua movet Deus voluntatem vel eſt phyſica vel eſt moralis, ſeu objectiva, quæ ſcilicet movet & allicit voluntatem media oſtenſione objecti convenientis: ſed motio ita efficaciter movens voluntatem, & cum qua repugnat componi diſſenſum nequit eſſe motio ita objectiva ſive moralis, ut colligitur ex eodem Divo Thoma in

1. p.

quæst. 105. artic. 4. ubi sic discurrit: *quoniam non potest suffi-ter aliquid movere aliquod mobile, nisi virtus activa moven-xcedat vel saltem adæquet virtutem passivam mobilis: vir-autem passiva voluntatis se extendit ad bonum in universa-enim ejus objectum bonum universale, sicut & intellectus ctum est ens universale: Quodlibet autem bonum creatum ntati propositum est quoddam particulare bonum, solus au-Deus est bonum universale; unde ipse solus implet voluntа-& sufficienter eam movet ut objectum*: ergo dicens Divus omas, quod movet Deus voluntatem omnino efficaciter & utabiliter, non potest loqui de motione tantum morali & ctiva, quæ scilicet fiat per ostensionem boni alicujus creati renientis & allicientis.

ices: Si nomine motionis intelligeret D. Thomas præmo-em physicam, nec intelligeret concursum simultaneum, præ-n concursum simultaneum vel omisisset, vel ignorasset, nullibi illius mentionem faciat; sed hoc nec dici potest nec t: ergo dicendum est, quod nomine motionis quam tri-S. Doctor ipsi Deo respectu causarum secundarum intelle-concursum simultaneum.

sspondeo Negando Majorem: falsum enim est, Divum mam nullibi fecisse expressam concursus simultanei men-em. *Quæstione* namque *tertia de potentia articul. septimo ad um*, habet S. Doctor quod *in operatione quâ Deus operatur ndo naturam, non operatur natura: ipsa tamen operatio a est etiam operatio virtutis divinæ*: quibus verbis expres-tinguit in Deo duplicem concursum, unum qui est à solo ipsa natura non operante, qui proinde prævius est, & ope-nem causæ secundæ prioritate saltem naturæ antecedens; im qui identificatur cum operatione causæ quam movet, est concursus simultaneus, qui est ipsamet operatio causæ dæ, prout à Deo simul dependet. Item *1. p. quæstione 105. ul. 5.* postquam in corpore articuli docuit Deum move-ad operandum applicando earum formas & virtutes (qui-erbis, ut supra ostendimus concursum prævium signifi-postea *in responsione ad 2.* clarè expressit concursum si-neum dicens: *una actio non procedit à duobus agentibus or dinis, sed nihil prohibet, quin una & eadem actio à primo undo agente procedat*: falsum ergo est, quod nomine præ-notionis & applicationis quam tribuit S. Doctor ipsi Deo ctu causarum secundarum, concursum intellexerit simul-n: ac proinde præter concursum simultaneum admit-

tendum

tendum fore & concurſum prævium ſeu phyſicam præmotionem omnino ſentit Divus Thomas, & cum eo ſentire deberent omnes & ſinguli utpote cujus authoritas tanti eſt ponderis in hac materia, ut Clemens VIII. & Paulus V. hujus difficultatis examen ad mentem & doctrinam D. Thomæ tanquam ad lydium lapidem referendum eſſe cenſuerint.

QUÆSTIO II.

Vtrum cauſa efficiens ſit per ſeipſam ſeu per ſubſtantialem formam immediatè operativa.

PRamittendum primò. Pro declaratione principiorum, ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud omnes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura principii, puta quod *principium operandi immediatum ſe habet ad operationem tanquam potentia ad ſuum actum*: Quod *forma ſubſtantialis eſt principium immediatum eſſendi*: Quod *efficiens cauſa non eſt ſemper actu operans, quamvis ſit ſemper operativa.* Ratio autem primæ propoſitionis eſt, quia id quod actum reſpicit ſub ratione actus non eſt aliud quam potentia; cum non aliud aſſignari ſolear nec aſſignabile ſit correlativum actus quam ipſa potentia: jam ſic eſt quod principium operandi immediatum ordinatur, & quidem per ſe primo ad operationem ſub ratione actus, cum ad eam ordinetur ſub ratione operationis, quæ ut talis eſt ultima rei cujuslibet actualitas & perfectio: ergo principium operandi immediatum non poteſt non ſe habere ad operationem tanquam potentia ad ſuum actum. Quantum vero ad ſecundum, puta quod forma ſubſtantialis eſt principium immediatum eſſendi, ratio hujus eſt, quia ipſum eſſe ſeu exiſtere cum ſit actus ſubſtantialis, utpote ultimum complementum lineæ ſubſtantiæ habere debet pro principio immediato aliquam ſubſtantiam: ſed non alia aſſignari poteſt ſubſtantia in principium ejus immediatum, quam ipſa forma ſubſtantialis; cum omnis ſubſtantia dividatur in materiam, formam, & compoſitum; & materia eſſe non poſſit tale principium, ut per ſe

parte,

patet, cum sit ipsa pura potentia receptiva ; neque etiam compositum, ex eo scilicet quod compositum est id quod est, non autem id quo habetur esse, quale debet esse principium : ergo & vera est secunda illa propositio, puta quod ipsa forma substantialis est ipsum principium immediatum essendi ; denique quod causa efficiens non sit semper actu operans, quamvis sit semper operativa, hoc sufficienter testatur experientia. Unde his tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit

Conclusio : *Non est nec esse potest causa efficiens immediatè operativa per seipsam seu per suam formam substantialem, sed solum mediante forma accidentali tanquam potentia & virtute.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio ; *principium operandi immediatum se habet ad operationem, tanquam potentia ad suum actum* : ergo non potest causa efficiens esse principium immediatè operativum per seipsam sive per substantialem formam. *Probatur consequentia* ; non potest ipsa substantia seu substantialis forma causæ efficientis se habere ad operationem tanquam potentia ad suum actum : ergo hoc ipso quod ita & taliter se habet principium immediatè operativum ad operationem, nec potest causa efficiens esse per formam sui substantialem principium operandi immediatum. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens* : actus & potentia cujus est actus non possunt non esse in eodem genere, substantiæ scilicet vel accidentis : sed substantialis forma causæ efficientis non est in eodem genere cum operatione ; ergo ipsa substantia seu substantialis forma causæ efficientis non potest se habere ad operationem tanquam potentia ad suum actum. *Minor* est evidens, cum ipsa operatio sit in genere sive prædicamento accidentis. *Major* verò, præter quam quod est axioma philosophicum. *Probatur sic* : divisiva alicujus generis non possunt non esse in eodem genere : sed omne genus & linea entis dividitur in actum & potentiam : ergo actus & potentia cujus est actus ; non possunt non esse in eodem genere. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, in omni genere & linea entis reperitur actus ; cum ens proprie loquendo non dicatur simpliciter nisi de actu vel de existente in actu : sed actus est correlativus ad potentiam : ergo in omni genere & linea entis reperitur correlativum potentiæ : sed in eadem linea & genere in quo unum habetur correlativum, habetur & aliud ; cum

cum unum correlativum intelligi nequeat ſine altero, & tamen poſſit unum genus ſine alio genere perfectè intelligi : ergo in omni genere & linea entis reperitur & actus & potentia : ergo omne genus & linea entis [loquendo in creatis] dividi debet in actum & potentiam: ergo actus & potentia cujus eſt actus ſunt in eodem genere: ergo non poteſt forma ſubſtantialis ipſius cauſæ efficientis ſe habere ad operationem tanquam potentia ad ſuum actum: ergo hoc ipſo quod principium immediatè operativum ſe habet ad operationem tanquam potentia ad ſuum actum [quod eſt primum præmiſſum principium] nec poteſt efficiens cauſa per ſuam ſubſtantiam ſeu ſubſtantialem formam eſſe immediatè operativa.

Probatur 2. ex ſecundo præmiſſo principio: *forma ſubſtantialis eſt principium immediatum eſſendi*: ergo non poteſt cauſa efficiens eſſe immediatè operativa per ſubſtantialem formam. *Probatur conſequentia*, non poteſt in creatis idem eſſe principium immediatum eſſendi & principium immediatum operandi: ergo hoc ipſo quod forma ſubſtantialis eſt principium immediatum eſſendi, non poteſt per ſeipſam eſſe immediatè operativa, *Conſequentia* eſt evidens *Probatur antecedens*, eſſe & operari ſunt in creatis diverſi actus; ſed non poteſt idemmet eſſe immediatum principium diverſorum actuum : ergo nec poteſt idem eſſe in creatis principium immediatum tum eſſendi, tum operandi. *Major* eſt evidens & receptiſſima apud omnes. *Probatur Minor*, omne principium ſpecificatur ab eo, cujus eſt immediatum principium cum per ordinem ad illud definiatur: ſed implicat in terminis quod idem à diverſis ſpecificetur actibus; cum eſſet in hoc caſu idem ut ſupponitur, & tamen non eſſet idem, cum ad diverſas reducerentur ſpecies hoc ipſo quod à diverſis ſpecificaretur: ergo non poteſt idemmet eſſe principium immediatum diverſorum actuum: ergo non poteſt idemmet eſſe in creatis principium immediatum eſſendi & operandi : ergo hoc ipſo quod ipſa forma ſubſtantialis eſt in cauſa efficiente principium immediatum eſſendi [quod eſt ſecundum præmiſſum principium] nec poteſt hoc ipſo cauſa efficiens eſſe per ſuam ſubſtantiam ſive per ſubſtantialem formam principium immediatum operandi.

Probatur 3. ex tertio præmiſſo principio: *efficiens cauſa non eſt ſemper actu operans, quamvis ſit ſemper operativa*: ergo nec eſt cauſa efficiens immediatè operativa per formam ſubſtantialem. *Probatur conſequentia*, ſi forma ſubſtantialis eſſet in cauſa efficiente immediatè operativa, ſemper eſſet cauſa efficiens in

actu

actu secundo operationis : ergo hoc ipso quod efficiens causa non est semper actualiter operans, nec est immediatè operativa per formam substantialem. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, quod non habet per quod sit in potentia ad actum operationis, illud est semper actu operans: sed si causa efficiens esset immediatè operativa per formam substantialem, non haberet tunc per quod esset in potentia ad actũ operationis: ergo esset tunc causa efficiens semper actu operans. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, non potest substantialis forma esse per seipsam in potentia ad actum operationis: sed si causa efficiens esset immediatè operativa per formam substantialem non nisi per illam esse posset *in* potentia ad actum operationis: ergo si esset immediatè operativa per formam substantialem, non haberet tunc per quod esset in potentia ad actum operationis. *Minor* conceditur & per se patet; cum non haberet tunc causa efficiens potentias accidentales superadditas & immediatè operativas, per quas si esset in potentia ad operationem, non nisi per ipsam substantialem formam esse posset ita, in potentia. *Probatur Major*, actus in quantum actus esse non potest in potentia ad alterum actum : sed forma substantialis in quantum forma substantialis est actus ; est enim in quantum talis actus ultimus generationis : ergo forma substantialis non potest per seipsam esse in potentia ad actum operationis. *Minor* est evidens. *Probatur Major*, id per quod unumquodque est in potentia non est aliud quam potentia, ut patet ex terminis: sed actus in quantum actus nec est, nec esse potest potentia, ut etiam ex terminis constat: ergo actus in quantum actus esse non potest in potentia ad alterum actum: ergo forma substantialis nequit per seipsam esse in potentia ad actum operationis: ergo si esset causa efficiens immediatè operativa per formam substantialem, non haberet per quod esset in potentia ad operationem: ergo si esset causa efficiens immediatè operativa per formam substantialem esset semper actualiter operans : ergo hoc ipso quod non est causa efficiens semper actu operans, quamvis sit semper operativa (quod est tertium præmissum principium) nec est nec esse potest immediate operativa per formam substantialem.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. ideo non potest causa efficiens esse immediatè operativa per formam substantialem, quia nequit substantia

per se primo respicere operationem tanquam suum actum: sed hoc est falsum: ergo & illud. *Probatur minor*, natura sub ratione & conceptu naturæ est substantia: sed sub ratione & conceptu naturæ habet per se primo respicere operati; cùm definiatur à Philosopho per ordinem ad motum & quietem: ergo potest substantia per se primo respicere operationem tanquam suum actum.

Respondeo negando minorem: in hoc enim differt substantia ab accidenti, quod accidens cum sit ens incompletum & diminutum debet per se primo respicere aliquid extraneum seu extranei prædicamenti, scilicet substantiam per quam completur & cui inhæret: è contra vero cum sit substantia secundum se & ex propria ratione sui prædicamenti completum ens, utpote quæ ex propria ratione substantiæ est ens ad se, in se, & quasi sibi, propterea fit quod nequeat per se primo respicere aliquid, quod sit extranei seu alterius prædicamenti, adeoque nec possit per se primo respicere operationem, utpote quæ accidens est & inter prædicamenta accidentium reposita; unde ad probationem distinguo majorem. Natura sub ratione & conceptu naturæ est substantia, ita quod sub tali ratione naturæ importet primum & primarium conceptū substantiæ Nego: ita quod sub tali ratione naturæ sit de conceptu secundario substantiæ Concedo; & concessa minori distinguo similiter consequens: ergo potest substantia per se primo respicere operationem, loquendo de substantia quantum ad secundarium ejus conceptum Concedo: loquendo de substantia quantum ad primarium ejus conceptum Nego. Pro quo notandum est quod quando dicimus, quod non potest substantia seu substantialis forma esse principium immediè operativum, quia non potest substantia per se primò respicere aliquid accidentale, qualis est operatio, non ideo hoc dicimus, quasi non possit substantia nec primario nec secundario per se respicere accidentale quid; cum & intelligibilitas & bonitas in substantia fiat substantiale quid, & tamen per se primo respiciant accidentia, putà intellectum & voluntatem, propterea quod & intelligibilitas & bonitas non sunt de primario conceptu substantiæ, sed solum de secundis & secundariis ejus rationibus; sed ideo tantum illud dicimus, quia non potest substantia ex primario sui conceptu per se respicere aliquid extraneum & accidentale, ad differentiam accidentis quod ex primario sui conceptu respicit substantiam; unde cum principium immediatum debeat ex primo & primario sui conceptu respicere operationem cujus est immediatum principium, ex eo scilicet

Nota.

quod

quod cum totum esse principii immediati sit ad operationem, ab ea per consequens specificatur, subindeque & in conceptu omnium primo importat respectum ad illam, cum conceptus omnium primus sit etiam specificatus & talis specici, consequenter sit, quod ex eo quod substantia non potest ex primario sui conceptu respicere accidens, verè inferatur, quod nec potest substantialis forma esse immediatum principium operationis, quamvis sub conceptu naturæ possit per se primo respicere accidens seu operari; quandoquidem conceptus ille naturæ, cum spectet ad genus causæ efficientis est solum secundarius in substantia, & præsupponit conceptum essentiæ tanquam primarium, utpote qui & spectat ad genus causæ formalis, & respicit esse & per talem conceptum est substantia ens in se, ad se & quasi sibi, cum tamen per conceptum naturæ se habeat quasi extra se & ad aliud, unde & posterior est conceptus naturæ ad conceptum essentiæ.

Instabis, ex præfata responsione potest substantia seu substantialis forma respicere per se operationem ex conceptu sui secundario: sed hoc videtur sufficere ut sit principium ejus immediatum: ergo ex præfata responsione potest adhuc substantia esse principium operandi immediatum. *Probatur Minor*, forma substantialis est principium immediatum operandi per hoc quod *esse* respicit ut terminum primarium, & *operari* ut secundarium, cum in hac suppositione nullum aliud ibi interveniat principium immediatum, ut consideranti patebit: sed hoc ipso quod ipsum respicit *operari* tanquam terminum secundarium, illud solum respicit de conceptu sui secundario: ergo & hoc videtur sufficere ut sit ejus principium immediatum.

Respondeo negando minorem: ut enim supra diximus principium immediatum cum habeat totum suum esse in ordine ad operationem tanquam ad proprium finem, ab ea per consequens specificatur, extrinsecè, & intrinsecè per ordinem ad illã, & sic cum in conceptu etiam primario suam importet & exprimat speciem & specificationem, proinde fit, quod principium immediatum operandi non tantum de conceptu secundario, sed etiam de conceptu primario respicere debeat operationem. Ad probationem vero respondeo, negando suppositum majoris; supponit enim arguens in hac majori propositione, quod forma substantialis respiciat aut respicere possit *esse* ut terminum primarium, & *operari* ut secundarium, quod tamen est omnino falsum & impossibile; cujus ratio, & quidem omnino evidens est, quia quandocumque prin-

cipium aliquod immediatum ad duo ordinatur tanquam ad terminum primarium & ſecundarium, illa omnino reſpicit & reſpicere debet in eodem genere cauſæ, ut per ſe patet, & ex inductione colligitur: Jam ſic eſt, quod ſubſtantialis forma non ſe habet ad eſſe, & ad operari, in eodem genere cauſæ, cum ad actum eſſendi concurrat in genere cauſæ formalis, & ad actum operandi concurrat ſive radicaliter ſive proximè in genere cauſæ efficientis: ergo ſupponit falſum præfata major, ſubindeque nil probat argumentum quantumcumque videatur probare; cum vis ejus ſupponat falſum.

Vrgebis, ideo ergo non poteſt ſubſtantialis forma eſſe principium immediatum operationis: quia nequit ita primò operationem reſpicere, ut ab ea ſpecificaretur: ſed non propterea ita operationem reſpiceret, ut ab ea ſpecificaretur: ergo nec propterea ei denegari debet ratio principii immediati. *Probatur Minor*, ipſa ſubſtantialis forma eſt principium immediatum, ſi non operationis, ſaltem potentiæ operativæ, ſed non propterea à potentia operativa ſpecificatur; cum hæc non minus ſit accidentale quid quam operatio: ergo nec propterea ab operatione ſpecificaretur, quamvis eſſet principium ejus immediatum.

Reſpondeo negando minorem; ad cujus probationem diſtinguo majorem: ſubſtantialis forma eſt principium immediatum ſi non operationis, ſaltem potentiæ operativæ, per modum productivi & operativi ſicut eſſet reſpectu operationis Nego: eſt principium immediatum potentiæ operativæ, per modum emanativi, & quaſi medii deferentis actionem agentis ad ipſam operativam potentiam Concedo: & conceſſa minori Nego conſequentiam: hoc ergo intercedit diſcrimen inter modum quo principiat forma ſubſtantialis immediatè potentiam operativam & modum quo principiaret operationem ſi eſſet principium ejus immediatum, quod reſpectu potentiarum eas non principiat ſubſtantialis forma per veram actionem, nec verum influxum quem exerceat reſpectu illarum, ſed ſolum ad eam ſequuntur tales potentiæ per naturalem emanationem, & ut terminus ſecundarius actionis productivæ ipſius formæ; ex quo ulterius fit quod cum non induat ipſa forma rationem potentiæ operativæ reſpectu hujuſmodi potentiarum ſeu proprietatum, nec habeat conſequenter totum ſuum eſſe ad illas & propter illas, nec etiam ab illis propterea debeat ſpecificari, quamvis illæ ad hanc ſequantur immediatè; at ſi ſemel ſupponatur forma ſubſtantialis principium immediatum operationis, cum tale conſiſtat principium in ratione potentiæ operativæ, & potentia operativa

tivâ specificetur ab actu operationis, utpote cujus totum esse est ad talem ordinari actum, ut per se patet, ideo fit quòd si esset forma substantialis principium operandi immediatum, ita per se primò operationem respiceret, ut ab illa specificaretur & specificanda esset.

Objicies 2. aliquando substantia una aliam producit substantiam; sed ibi potentia productiva esse non potest accidens: ergo est aliquando substantia immediatè productiva & operativa. *Probatur Minor*, si esset accidens productivum substantiæ, vel hoc haberet per se & secundùm se, vel per aliquid derivatum ab ipsa substantia: sed nec per se ut supponitur & conceditur, nec etiam per aliquid à substantia derivatum potest accidens esse productivum substantiæ: ergo in tali casu non potest accidens esse potentia productiva. *Probatur Minor*, quoad secundam partem, de qua sola potest esse dubium: si esset accidens productivum substantiæ per aliquid à substantia derivatum, vel per aliquid substantiale, vel per accidentale quid: sed nec per aliquid substantiale, cùm accidens non sit capax illius, nec etiam per quid accidentale, cum per illud utpote imperfectius substantia, non magis quàm secundum se habeat accidens virtualiter continere substantiam producendam: ergo neque per aliquid à substantia derivatū potest fieri accidens productivum substantiæ.

Respondeo negando minorem: plures namque sunt virtutes instrumentariæ & accidentia quæ separata ab ipsa substantia concurrunt efficienter instrumentaliter ad productionem alterius substantiæ, ut semen decisum ab animali, & ab ipso animali separatum, imo aliquando ipso animali jam realiter non existente concurrit efficienter ad generationem substantialem; & accidentia vini, imo & tali substantiâ vini in se realiter non existente concurrunt efficienter ad conversionem guttæ aquæ in vinum, si illis amisceatur: Jam sic est, quod accidentia illa, verbi gratia vini non magis sunt virtutes operativæ ipsius substantiæ vini, quando ab illa sunt separata, ut accidit post consecrationem, quam quando sunt ipsi substantiæ vini conjunctæ, ut per se patet: ergo non minus utitur, & uti debet ipsa substantia talibus suis accidentibus sibi conjunctis, ut virtutibus proximè operativis, quam illis utitur prout ab ipsa separatis; & quia naturaliter saltem nunquam deficiunt hujusmodi virtutes accidentales ipsi substantiæ, consequenter fit, quod naturaliter saltem non potest nec debet substantia nisi mediantibus illis operari, etiam in productione alterius substantiæ; Unde ad probationem minoris negatæ distinguo minorem sic: sed non potest accidens

fieri productivum ſubſtantiæ etiam per aliquid à ſubſtantia derivatum, quod ſit aliud ab ipſo accidente productivo & derivante Concedo: non poteſt fieri accidens productivum ſubſtantiæ per aliquid à ſubſtantia derivatum, quod ſit ipſummet accidens productivum prout à ſubſtantia derivans, Nego, quod in hoc ſenſu non poſſit accidens fieri productivum ſubſtantiæ per aliquid à ſubſtantia derivatum; licet igitur non poſſit accidens capax fieri in ordine ad ſubſtantiam producendam per aliquid à ſubſtantia derivatum, quod ſit aliud ab ipſo & in ipſo receptum, quia ut bene probat argumentum illud nec eſſe poteſt accidentale quid, nec ſubſtantiale: ipſum tamen accidens in quantum ab ipſa derivatur ſubſtantia tanquam ejus virtus potens eſt producere ſubſtantiam, ex eo ſcilicet quod in quantum tale non producit *ut quod*, ſeu non eſt id *quod* ſubſtantiam producit, ſed id potius *quo* ſubſtantia ſubſtantiam producit, ac proinde quamvis accidens producat, ipſi tamen accidenti, utpote producenti ſolum ut quo, non debet aſſimilari aut proportionari ſubſtantia producta, & ſic quantumvis imperfectius & ignobilius eo quod producit, adhuc tamen poteſt illud producere.

Inſtabis: hoc ipſo quod non plus poteſt accidens ut eſt virtus ſubſtantiæ, quam ſecundum ſe, non poteſt etiam ut eſt derivans à ſubſtantia producere ſubſtantiam: ſed nulla videtur adduci poſſe ratio, ex qua probari poſſit, quod plus poteſt accidens ut eſt virtus ſubſtantiæ quam ſecundum ſe; cum ſub omni ratione ſit accidens ſeu ens in alio: ergo nec poteſt accidens producere ſubſtantiam, etiam ut à ſubſtantia derivans.

Reſpondeo negando minorem; hujus enim habetur ratio, & quidem profundiſſima deducta ex Divo Thoma ubique more ſuo profunde & altiſſimè diſcurrente; habet enim S. Doctor *in quæſt. 25. primæ partis, art. 3.* quod quia unumquodque agens agit ſibi ſimile & agit in quantum eſt in actu, inde fit quod unicuique potentiæ & virtuti activæ correſpondet poſſibile ut proprium objectum ſecundum rationem illius actus, in quo fundatur virtus & potentia activa; adeo ut illud omne cadat tanquam poſſibile ſub potentia & virtute activa, quod præcontinetur in actualitate ſeu entitate ſubſtantiæ, in qua fundatur talis virtus: ex quo colligit ſanctus Doctor, quod quia divina entitas & actualitas in qua ejus fundatur potentia activa, eſt illimitata, ſubindeque & in ſe præcontinens omne ens, ideo etiam ſit, *Nota.* quod ejus activa virtus & potentia ſe extendat ad omne producibile, quod participare poteſt rationem entis: Hæc ibi Divus Thomas

Thomas ex quibus subsumo ego sic ad intentum: atqui activitas accidentis secundum quod est virtus ipsius substantiæ fundatur supra actualitatem & entitatem substantiæ cujus est virtus, ut per se patet, in qua quidem actualitate & entitate præcontinetur alia substantia producenda, ut similiter patet; è contra vero activitas accidentis secundum se spectati fundatur & mensuratur supra & juxta entitatem ipsius accidentis, quæ quidem nec continet nec continere potest substantiam producendam: ergo mirum non est, nec gratis & sine fundamento dictum, quod accidens prout est virtus ipsius substantiæ attingere possit substantiam producendam, cum ex præfato discursu cadat substantia producibilis sub illius objecto; licet accidens secundum se spectatum non nisi ad accidens possit extendere virtutem suam & suam activitatem.

Urgebis: si posset accidens substantiam producere prout est virtus ipsius substantiæ, posset ad summum sub ratione instrumentariæ agentis: sed non potest in hac sententia producere tanquam instrumentarium agens: ergo neque absolutè potest producere, etiam ut est virtus substantiæ. *Major* est evidens; non enim dici potest accidens causa principalis substantiæ, cum semper & sub omni ratione sit ignobilius quid ipsa substantia. *Probatur Minor*, instrumentum non agit nisi medio influxu causæ principalis in ipsam: sed juxta conclusionem expositam non potest substantia talem habere influxum in suas virtutes; alias immediatè influeret & operaretur: ergo nec potest in hac sententia accidens producere substantiam tanquam instrumentariū agens.

Respondeo negando minorem, in sensu modo exponendo. Ad probationem vero distinguo majorem: instrumentum non agit nisi medio influxu principalis causæ in ipsam, si sermo sit de instrumento assumpto, Concedo: si autem sit sermo, ut est in præsenti, de instrumento dimanante & resultante, sive de instrumento, quod supponit pro instrumentaria virtute, Nego. Licet igitur dum assumit aliquis instrumentum ad aliquid operandum, ut dum assumit calamum ad scribendum debeat prius in ipsum influere instrumentum, & illud per veram actionem movere, hoc tamen verum non est nec necessarium, ubi procedit sermo de instrumentaria virtute, sive de instrumento dimanante & resultante ad modum virtutis, quia scilicet tale instrumentum habet & assequitur per resultantiam & emanationem, quod habent & assequuntur alia medio influxu, cum hoc ipso quod resultat tanquam virtus, sit id quo causa principalis operatur, quod est id quod instrumenta assumpta habent & assequuntur medio influxu.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo Divum Thomam aperte favere præfatæ noſtræ concluſioni, quod imprimis colligo ex his quæ habet 1. *part. quæſt. 77. art. 1. ad quartum*, ubi hæc habet : *Ad quartum dicendum, quod hoc ipſum quod forma accidentalis eſt actionis principium habet à forma ſubſtantiali ; & ideo forma ſubſtantialis eſt primum actionis principium, ſed non proximum, & ſecundum hoc Philoſophus dicit , quod id quo intelligimus eſt anima.* Hæc D. Thomas, ex quibus ſic arguere licet.

In tantum eſſe poteſt ſubſtantia ſeu ſubſtantialis forma immediatè operativa, in quantum inter ipſam & actionem ſeu operationem nullum mediat accidentale principium : ſed ex D. Thoma mediat inter ſubſtantiam & operationem accidentale principium; cum ex ipſo ſubſtantialis forma ſit ſolum principium primum ſeu radicale, & forma accidentalis ſit principium proximum: ergo ex D. Thoma non eſt ſubſtantia ſeu ſubſtantialis forma immediate operativa.

Secundò, hoc idem colligo ex his quæ habet *in eadem 1. part. quæſt. 77. art. 1. in corpore* , ubi docet quod *potentia eſt in eodem genere in quo eſt actus, cum dividant potentia & actus omne genus entis*: jam ſic eſt quod forma ſubſtantialis non eſt nec eſſe poteſt in eodem genere, ſubſtantiæ ſcilicet vel accidentis in quo eſt operatio; cum operatio ſit in prædicamento accidentis: ergo ex eodem Divo Thoma non poteſt ſubſtantialis forma eſſe potentia immediatè operativa.

Demum idem colligitur ex toto illo citato articulo, in quo quidem eruditè probans ſanctus Doctor ipſam eſſentiam ſeu ſubſtantiam animæ non ſibi identificare ſuas potentias , & reſpondens efficaciter ad objecta, probat conſequenter & efficaciter & eruditè præfatam noſtram concluſionem ; cum rationes quas ibi affert concludant generaliter pro omni ſubſtantia ſeu ſubſtantiali forma , & pro omni operativa potentia.

QUÆ.

QUÆSTIO III.

Vtrum idem numero effectus possit ab alia & alia efficienti causa procedere, quæ sint ejusdem ordinis & totales.

PRæmittendum primò, Quod exceptis effectibus qui essentialiter exigunt causam secundam, ut sunt effectus vitales, neque enim visio, verbi gratia per quam videt homo potest esse visio vitalis illius, nec potest homo per illam videre, si ab alio efficienter procedat: præmittendum inquam quod his exceptis effectibus eundem numero effectum qui à Deo producitur efficienter cum causa secunda, seu per causam secundam efficientem, potest Deus se solo producere, adeo ut eundem numero calorem, quem Deus simul cùm igne producit, posset se solo & absque igne producere. Ratio hujus est, quia cum omnis virtus causæ secundæ derivata sit & participata a Deo, debet Deus omnem præcontinere virtutem etiam individualem cujuscumque creaturæ, ac proinde eundem quem producit effectum media virtute hac individuali causæ secundæ, hunc eundem potest se solo producere. An verò tunc Deus concurreret ad talem effectum, non ut causa universalis, sed particularis, utrumque quodammodo potest dici; quia quatenus non aliam particularem causam ad talem admittit effectum, potest dici Deus causa particularis illius: quatenus vero eodem concursu Deus se solo talem producit effectum, ac illum produceret simul cum causa particulari creata, (non enim mutatur intrinsecè concursus seu actio Dei per id quod simul admittit concursum causæ creatæ) potest dici, quod tunc concurrit etiam Deus ut causa universalis, quia sub omni ratione etiam communissima entis talem tunc effectum producit. Non ergo procedit quæsitum tituli de Deo nec de causa universali & particulari, dum scilicet inquiritur utrum idem numero effectus; qui ab aliqua causa efficienti totali producitur, possit absque illa produci ab alia causa totali, sed procedit quæsitum de causis particularibus totalibus, quæ sint ejusdem generis & ordinis, adeo ut sensus sit, utrum hic numero ignis qui productus fuit ab igne A, posset idem

Nota.

numero produci ab igne B, & an idem numerò filius, qui ortum habuit ab his numero parentibus potuiſſet idem numero ab aliis oriri.

Præmittendum 1. Pro declaratione principiorum, ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud omnes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura principii, puta quod *modus operandi non poteſt non ſequi modum eſſendi*; Quod *non poteſt virtus non magis coarctari & limitari ut in contracto, quam in abſtracto*; Quod *impoſſibile eſt quod cauſa una ſit cauſa altera*. Ratio primi eſt, quia unumquodque agit in quantum eſt in actu, adeo ut activitas agentis in ejus fundetur actualitate ſeu entitate, cujus ſignum eſt quod ubi actualitas eſt major, ibi etiam eſt major activitas, adeo ut quia Deus eſt infinitæ actualitatis & entitatis, præhabens in entitate ſua omne ens, ſit etiam infinitæ activitatis & poſſit producere omne quod cadit ſub ente: ergo ſicut activitas modum ſequitur entitatis ſive actualitatis cauſæ, ita & modus operandi ſequi debet modum eſſendi. Quantum vero ad ſecundum, puta quod non poteſt virtus non eſſe magis coarctata & limitata ut in contracto, quam in abſtracto ex eo patet evidenter, quod virtus ut in abſtracto ſumpta eſt in potentia & potentialiter omnes & ſingulæ virtutes ſingulorum individuorum, cum de omnibus & ſingulis prædicetur, & prædicatio fiat per verbum eſt, quod dicit & importat identitatem: Jam ſic eſt, quod hæc eadem virtus hoc ipſo quod contrahitur ſit ita hæc numero, ut non ſit alia vel aliæ virtutes, cujus ſignum eſt quod ſumpta in contracto de aliis prædicari non poteſt, ut per ſe patet: ergo non poteſt virtus non eſſe magis coarctata & limitata, ut in contracto, quam in abſtracto. Demum quod impoſſibile ſit, quod cauſa una ſit cauſa altera, quod eſt tertium præmiſſum principium, ex eo patet quod alias admitteretur contradictio, puta quod eſſet individualiter una ut ſupponitur, & non eſſet individualiter una, ſeu individualiter hæc, cum eſſet altera, à qua hæc ſupponitur differre & diſtingui. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione & concluſionis ad eadem principia reductione ſit:

CONCLUSIO: *Impoſſibile eſt, quod idem numero effectus qui ab aliqua cauſa efficienti totali producitur, poſſit ab alia totali cauſa produci ſive ſimul ſive diviſivè.*

Probatur primò. Ex primo præmiſſo principio: *Modus operandi non poteſt non ſequi modum eſſendi*: ergo non poteſt effectus ab una productus cauſa produci ab alia idem numero.

Pro-

Probatur consequentia, si effectus causæ unius posset ab altera idem produci non esset modus operandi proportionatus modo essendi: ergo hoc ipso quod modus operandi sequi debet proportionaliter modum essendi, non potest effectus ab una productus causa idem numero ab alia produci. *Probatur antecedens*: hoc ipso quod non esset causa intrinsecè limitata in operando, sicut est in essendo, nec esset proportionatus modus operandi modo essendi: sed si effectus causæ unius posset ab altera idem produci, non esset tunc causa limitata intrinsecè in operando sicut est in essendo: ergo nec esset modus operandi proportionatus modo essendi. *Major* patet ex terminis: *Probatur Minor*: ex eo limitatur causa intrinsecè in operando ex quo limitatur in essendo: sed in præfato casu non esset causa ex eo limitata in operando, ex quo esset limitata in essendo: ergo nec esset causa limitata in operando sicut est in essendo. *Major* est certissima, cum enim vis operativa radicetur & fundetur super entitatem causæ, consequenter fit quod ad ea tantum possit se extendere per operationem quæ in causæ entitate præcontinentur, ac proinde limitativum causæ in essendo est à priori & intrinsecè limitativum ejusdem causæ in operando seu producendo. *Probatur Minor*, non ex alio limitatur causa intrinsecè in essendo, loquendo intra suam speciem quam ex differentia sua individuali, cum ex ea ita sit hæc & talis entitas, ut non sit altera; sed si causa una posset producere effectum eundem alterius causæ, non esset ex differentia individuali limitata in operando, cum intra lineam operandi seu producendi se extenderet tunc ad differentiam individualem alterius causæ, utpotè quæ idem individualiter posset quod posset altera ut individuata: ergo nec esset tunc causa ex eo limitata in operando ex quo esset limitata in essendo: ergo nec esset tunc causa intrinsecè limitata in operando sicut est in essendo: ergo nec esset tunc modus operandi proportionatus modo essendi: ergo hoc ipso quod modus operandi non potest non sequi proportionaliter modum essendi, [quod est primum præmissum principium] nec potest effectus ab una productus causa idem numero ab alia produci. Notat

Probatur secundò, Ex secundo præmisso principio: *Non potest virtus non esse magis coarctata & limitata ut in contracto, quam in abstracto*: Ergo nec potest virtus causæ unius producere eundem numero effectum alterius *Probatur consequentia*, si produceret causa una eundem numero effectum alterius, æquè illimitata esset virtus illius ac productiva virtus ut abstracta: ergo

hoc

hoc ipſo quod virtus ut in contracto eſt ſemper magis limitata quam in abſtracto, non poteſt virtus cauſæ unius producere eundem numero effectum alterius. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: in eo illimitata dicitur virtus ut in abſtracto, quod eſt in potentia & potentialiter omnes & ſingulæ virtutes: ſed in præfato caſu virtus ut in contracto, ſeu ut illius cauſæ eſſet etiam in potentia & potentialiter omnes & ſingulæ virtutes: ergo æquè illimitata eſſet in tali caſu virtus productiva ut in contracto, quam in abſtracto. *Major* conceditur, & colligitur ex dictis ſupra exponendo hoc ſecundum principium. *Probatur Minor*: quod poteſt id omne, quod poſſunt omnes & ſingulæ virtutes, etiam ut ſingulæ & ſingulares ſunt, non poteſt non eſſe potentialiter omnes & ſingulæ virtutes: ſed in præfato caſu virtus ut in contracto ſeu ut illius cauſæ poſſet id omne quod poſſent omnes & ſingulæ aliarum cauſarum virtutes; cum id etiam præſtare poſſet, quod præſtarent illæ nedum ſub ratione ſpecifica, ſed etiam ſub ratione individuali: ergo in tali caſu virtus ut in contracto eſſet in potentia & potentialiter omnes & ſingulæ virtutes: ergo in tali caſu virtus ut in contracto eſſet æquè illimitata ac in abſtracto: ergo hoc ipſo quod virtus ut in contracto non poteſt non eſſe magis coarctata & limitata quam in abſtracto, [quod eſt ſecundum præmiſſum principium] nec etiam poni poteſt talis caſus, quod ſcilicet effectus unius cauſæ procedat idem numero ab alia cauſa.

Probatur tertiò, Ex tertio præmiſſo principio: *Impoſſibile eſt, quod cauſa una ſit vel fiat cauſa altera*: Ergo & impoſſibile eſt, quod effectus unius cauſæ procedat idem numero ab alia cauſa. *Probatur conſequentia*: effectus non eſt hic numero, niſi in quantum eſt ab hac numero cauſa: ergo hoc ipſo quod hæc numero cauſa fieri non poteſt altera, nec poteſt ejus effectus procedere idem ab alia cauſa. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: effectus, ut ſit hic numero petit hanc numero actionem: ſed actio non eſt hæc numero niſi in quantum eſt hujus numero cauſæ: ergo neque effectus. *Major* eſt certa, cum enim ſit & ſupponatur effectus idem numero & in fieri & in facto eſſe, & prout in fieri actionem importet, evidenter ſequitur quod effectus ut eſt hic numero involvit hanc numero actionem. *Probatur Minor*, quod eſſentialiter loquendo non eſt tam ſui, quam alterius, illud non eſt hoc niſi quia eſt hujus ut patet: ſed actio etiam loquendo eſſentialiter non tam ſui eſt, quam alterius; cum ſit eſſentialiter cauſæ, & eſſentialiter ſe habens *ut quo*, ergo actio non eſt hæc numero, niſi in quantum eſt hujus

numero causæ : ergo neque effectus habet esse hic numero, nisi quia est ab hac numero causa : ergo hoc ipso quod impossibile est quod causa una fiat causa altera [quod est tertium præmissum principium] est hoc ipso impossibile, quod effectus unius causæ procedat idem numero ab alia causa.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, Species ignis verbi gratia virtutem habet productivam omnis & cujuslibet ignis : sed in quolibet ignis individuo salvatur tota species ignis ; ergo & quodlibet ignis individuum virtutem habet producendi quemlibet ignem, subindeque & effectum eundem alterius ignis. *Major* est evidens, cum virtus productiva ortum habeat à forma specifica. *Probatur Minor*, conceptus essentiæ est conceptus speciei : sed in quolibet individuo tota salvatur essentia, cum hæc consistat in indivisibili : ergo & in quolibet individuo salvatur tota species.

Respondeo Distinguendo Majorem : species ignis virtutem habet productivam cujuslibet ignis, sumpta specie ignis ut in abstracto ; sive pro omnibus ignis individuis copulativè sumptis & convenientibus Concedo : sumpta specie ignis ut in contracto, seu ut determinata ad hunc numero ignem, nego majorem ; & sub eadem distinctione minoris Nego consequentiam. Licet igitur species ignis ut in abstracto, sive ut non determinata ad hoc numero individuum, sed potius ut complectens omnia individua ut in ipsa communicatione & convenientia virtutem habeat productivam omnis & cujuslibet ignis in individuo, ex eo scilicet quod in forma specifica abstracta ab omnibus individuis contineatur radicaliter vis operandi communis omnibus individuis, nihilominus ut est præfata species sive forma specifica determinata & limitata per differentiam individualem, non est nec esse potest principium & radix nisi in ordine ad aliquos individualiter determinatos effectus, & quidem ita sibi ut sic individualiter determinatè proprios, ut nec possit aliorum individualiter effectuum esse radicale principium, nec illi quorum est principium possint ab alia individualiter forma prodire ; quod quidem ex eo confirmari potest, quod differentia individualis non solum limitat formam specificam in ratione essentiæ, sed etiam in ratione naturæ & principii operationis, cum ex limitativo in essendo sequatur limitatio in operando, sicut & ex eo quod est ens in essendo illimitatum, ut est Deus, est etiam illimitatum in operando : Jam sic est, quod ex eo quod forma *Nota.*

aliqua

aliqua ſimitatur in ratione eſſentiæ, ita conſtituit hanc numero eſſentiam, ut aliam non poſſit conſtituere; ergo & per id, quod forma aliqua per eandem differentiam individualem limitatur & determinatur etiam in ratione naturæ & principii operationis, limitatur per conſequens & determinatur ad particulares individualiter operationes & effectus, quos videlicet & non alios poſſit elicere & producere; & qui à tali ſolum forma & non ab alia formaliter vel individualiter ab illa diſtincta poſſint elici & produci.

Inſtabis, ſive juguletur animal, ſive ſuffocetur, ſemper idem numero reſultat cadaver; ſed jugulans & ſuffocans ſunt diverſæ cadaveris totales cauſæ: ergo effectus unius numero cauſæ poteſt idem numero produci ab alia.

Reſpondeo negando minorem, non enim principalis cauſa formæ cadavericæ eſt in hoc caſu jugulans, aut ſuffocans, vel aliquod aliud ſimile quod animal occidit; ſed cauſa hujus principalis eſt vel cælum, vel elementum prædominans, quod quidem juxta ſuam diverſitatem diverſum producit cadaver: ac proinde non propterea ſalvatur, quod idem numero cadaver, quod à tali cauſa procedit, ſcilicet à cælo vel à tali elimento prædominante, ab alia cauſa idem produceretur, ſi illa deeſſet; quando quidem alio prædominante elemento, vel alio concurrente cælo aliud etiam cadaver produceretur. Quod ſi quæratur de modo quo concutrunt jugulans & ſuffocans & in quo genere cauſæ ad productionem cadaveris; ad hoc reſpondendum eſt, ea tantum concurrere in genere cauſæ quaſi occaſionalis, de qua quidem non intelligimus loqui, quando aſſerimus quod unus & idem effectus non poteſt à duplici cauſa produci, cum ex variis occaſionibus naſci poſſit idem effectus, ut ipſa reſtatur experientia.

Objicies ſecundò, Sacerdotes in variis locis & variis temporibus conſecrantes ſe habent ut cauſæ totales variæ: ſed tunc idemmet ponunt & cauſant effectum, cum ſit idemmet numero corpus Chriſti, & ſub eadem numericè ratione corporis quod ponitur ſub ſpeciebus: ergo poteſt idem numero effectus à diverſis numero cauſis procedere.

Reſpondent plures ad hoc argumentum, quod cum Sacerdotes ſint tantum cauſæ inſtrumentales converſionis panis in corpus Chriſti, nihil propterea concludit hoc argumentum contra concluſionem, quæ debet ſolum intelligi de cauſa principali, nec extendi debet ad cauſam inſtrumentalem. Sed præterquam Nota. quod ex hac reſponſione ſequitur, eundem numero effectum poſſe

posse à variis causis efficientibus procedere, quæ ex genere suo partiales non sunt, nec subordinatæ; cum causa propria instrumentalis sit verè efficiens, & in genere suo totalis, aliud præterea ex eadem sequitur, ex qua infringitur ratio præcipua & ferè unica, qua utuntur Thomistæ, ut probent, non posse eundem numero effectum à duplici causa totali simul procedere. Ratio enim, ex qua id probant, est, quia essent totales ex suppositione, & non essent totales, cum causa totalis sit, quæ ita totaliter aliquem producit effectum, ut nihil illius relinquat alteri producendum: jam sic est, quod enervatur omnino & infringitur hæc ratio, si semel admittatur posse eundem effectum à duplici instrumentali causa produci, quarum quælibet supponitur totalis in genere instrumentalis causæ; nam si non sequitur, quod quælibet talis causa instrumentalis totaliter instrumentaliter, & non totaliter concurrat, neque etiam ex eo, quod duæ principales causæ eundem numero producant effectum sequi debet, quod quælibet illarum totaliter & non totaliter concurrat: hac igitur omissâ imo & rejectâ responsione.

Respondeo in solutionem argumenti negando minorem, quod scilicet tunc varii illi Sacerdotes in diversis locis sive diversis temporibus consecrantes eundem numero ponant effectum; cujus ratio est, quia tunc effectus ab illis positus non est præcisè corpus Christi Domini, sub præcisa ratione corporis, sed corpus Christi Domini *prout* ex pane factum; cum per conversionem Sacramentalem non absolutè fiat, aut producatur, sed formaliter ut ex pane: sed sic est quod variis Sacerdotibus variis in locis aut variis temporibus consecrantibus variatur numericè & individualiter corpus Christi Domini sub hac formalitate, *prout ex pane factum*; cum in hoc casu ex diverso numericè pane à quolibet tali Sacerdote fiat corpus Christi: ergo illis ut sunt variæ, & totales instrumentaliter causæ non correspondet idem effectus. Casu verò quo ex eodem simul pane consecrarent, ut accidit ea die, qua ordinantur, tunc non concurrerent nec concurrunt, nisi ut causæ instrumentales partiales; quia scilicet eos assumens Deus ad modum unius totalis instrumenti ad talem effectum, eorum cuilibet non virtutem totalem sed virtutem tantum partialem instrumentariam communicat; atque ita cum Sacerdotes illi non possint ex solo caractere absque tali virtute instrumentaria ex motione Dei agentis principalis superadditâ ad hanc conversionem concurrere, consequenter fit, quod in tali casu non nisi ut causæ instrumentales partiales concurrant.

In-

Inſtabis : Ideo ergo Sacerdos illis variis temporibus conſecrantes non cauſant eundem numero effectum, quia diverſificatur ibi corpus Chriſti ſub ratione effectus, per hoc quod ex diverſo fit pane : ſed impoſſibile eſt, quod ita diverſificetur corpus Chriſti ſub ratione effectus poſiti per hoc quod ex diverſo fit pane : ergo adhuc verificatur, eundem numero poni effectum à variis illis Sacerdotibus. *Probatur Minor*, diverſitas termini ex quo materialis ſolum & numerica nuſquam refunditur in terminum ad quem, eſto diverſitas formalis & ſpecifica aliquando refundatur : ſed diverſitas illa panis ex quo fit corpus Chriſti ſe habet ſolum ut diverſitas materialis & numerica termini ex quo : ergo diverſificari non poteſt corpus Chriſti ut terminus ad quem & ut effectus, ex eo quod ex diverſo fit pane.

Reſpondeo Negando Minorem ; ad cujus probationem diſtinguo majorem : diverſitas termini à quo materialis ſolum & numerica nuſquam refunditur in terminum ad quem, quando ponitur & producitur terminus ille ad quem abſolutè Concedo : quando vero non abſolutè ſed formaliſſimè, ut ex tali termino à quo producitur & ponitur, ut de facto contingit in præſenti : Nego, quod tunc diverſitas illa materialis & numerica termini à quo non arguat in termino ad quem diverſitatem materialem & numericam. Hujus autem ſolutionis ratio eſt, quia ubi terminus ad quem ponitur & producitur abſolutè, cum tunc immediatus ejus terminus à quo ſit ipſius non eſſe, ideo fit quod diverſitas alia materialis termini poſitivi, ex quo fit, ſe habeat ad ejus productionem merè materialiter & per accidens, ac proinde quòd non propterea debeat ipſum terminum ad quem diverſificare : è contra verò quia ubi terminus ad quem non ponitur & producitur abſolutè, ſed prout ex tali termino à quo verbi gratia prout ex pane, tunc dici non poteſt, quod talis terminus à quo ſe habeat ſolum materialiter & per accidens ad ejus productionem, ſed formaliſſimè potius ſe habeat, nec etiam mirum eſſe debet, quod diverſitas ejus numerica in terminum ad quem refundatur.

Nota.

Objicies tertio, Fieri poteſt ſaltem divinitus, quod duo penetrentur corpora : atqui in hoc caſu idem oriretur effectus à duabus cauſis totalibus : ergo fieri poteſt divinitus quod idem ſit effectus à duabus totalibus cauſis, *Probatur Minor* : hoc ipſo quod duo penetrantur aut penetrarentur corpora eundem per ſuam quantitatem replerent locum : ergo repletio loci eſſet in hoc caſu effectus eorum quantitatis : ſed repletio illa eſt una ſub-

tantum, cum tamen quantitates sint plures: ergo hoc ipso quod duo penetrarentur corpora unus oriretur effectus à duabus causis.

Respondeo Negando Minorem; ad cujus probationem respondeo primò negando subsumptum: talis namque loci repletio, cum sub ea ratione qua est effectus quantitatis consistat formaliter in ejus ubi, seu ubicatione intrinseca, & talis ubicatio intrinseca sit duplex in hoc casu, cum habeat quodlibet corpus suum ubi intrinsecum, licet sit unicum ubi extrinsecum, sive unicus locus, consequenter fit quod in casu penetrationis duorum corporum ipse effectus quantitatis locatorum, sive ipsa repletio ut est effectus talis quantitatis sit duplex, ac proinde minimè exinde sequitur, eundem oriri effectum à duplici causa. Addo quod, cum ex tali penetratione duæ illæ quantitates coexistant & commensurentur unicæ extensioni loci, fit quod in ordine ad repletionem loci habeant se per modum unius, utpotè quem non replent nisi ex commensuratione, quæ in hoc casu est unica, & ita non salvatur quod à duobus corporibus per modum duorum sed potius per modum unius idem sic repleatur locus.

Instabis: Fieri potest quod duo illa corpora penetrata sint luminosa in æquali gradu intensionis: atqui in hoc casu eundem causarent illuminationis effectum: ergo casu quo duo corpora penetrarentur, oriretur idem effectus à duobus causis. *Probatur Minor*: casu quo utrumque horum corporum esset luminosum ut tria, illuminaretur spatium circumstans solum ut tria; non enim per penetrationem unius cum altero potest eorum quodlibet ultra suam activitatem agere: sed illa spatii illuminatio ut tria ab utroque oriretur corpore: ergo in hoc casu eundem causarent illuminationis effectum.

Respondeo Non quidem ut respondent plures, quod scilicet in tali casu nullum tale corpus suum causabit effectum: id enim videtur intellectu difficile, cum agentia ejusdem speciei non solum non se impediant, sed mutuò se adjuvent, sed dico potius quod tale tunc utrumque corpus produceret perfectiorem & intensiorem illuminationis effectum, quam quodlibet illorum seorsum; atque ita cum perfectior & extensior ille effectus non possit provenire ab utroque ut à causa totali, ut per se patet, propterea fit, quod in præfato casu idem quidem oriretur effectus à duplici illo corpore, sed tanquam à causis partialibus, quod nos non negamus. Unde ut respondeam in forma Nego minorem, si nimirum intelligatur, ut deberet intelligi de causis

totalibus effectus,& non tantum partialibus, Ad probationem vero nego majorem puta quod in hoc caſu utrumque horum corporum licet luminoſum ſit ſolum ut tria, ſit etiam ſolum illuminatutum ut tria Cujus quidem negati ratio eſt,quia quamvis per id quo ſimul penetrantur non propterea augeatur virtus activa cujuslibet,n hilominus quaſi confortatur & adjuvatur à virtute alterius : ſicut virtus cujuslibet duorum portantium lapidem, licet non augeatur per conjunctionem ad virtutem alterius,ita tamen adjuvatur & confortatur, ut poſſint ſimul portare lapidem,quem quilibet eorum ſeorſum portare non poſſet; unde ſicut utrque portantium eſt cauſa ſolum partialis ad talem effectum,ita & utrumque tale corpus luminoſum ad talem perfectorem & intenſiorem illuminationis effectum eſt cauſa dumtaxat partialis ; atque ita ex tali caſu minimè ſequitur , eundem numero effectum à duplici totali cauſa procedere.

Urgebis : Ideo ergo prodiret tunc effectus ille illuminationis ab his corporibus ut cauſis tantum partialibus, quia ad quodlibet eorum compararetur ut effectus intenſior & perfectior : atqui dari poteſt caſus in quo ad ea non comparetur ut effectus intenſior & perfectior,ſed ſolum ut æquè intenſus : ergo & dari poteſt caſus in quo ab his corporibus procedat idem effectus,ut à cauſis totalibus. *Probatur Minor*, ſicut poteſt quod ſubjectum quod illuminaretur eſſet incapax effectus ita intenſi & perfecti, ſive quod eſſet ſolum capax illuminationis ut tria : atqui in hoc caſu ad ea compararetur corpora illuminatio,tanquam effectus, ut ſolùm æquè intenſus : ergo poſſibilis eſt caſus in quo ad ea corpora non comparetur illuminatio ut effectus intenſior ; ſed dumtaxat ut æquè intenſus.

Reſpondeo Diſtinguendo minorem : ſed dari poteſt caſus, in quo illuminatio ad ea non comparetur corpora ut effectus intenſior,ſed ſolum æquè intenſus, iis attemperantibus virtutem ſuam , Concedo : non attemperantibus illis virtutem & activitatem ſuam,Nego minorem & conſequentiam. Concedo igitur,fieri poſſe quod eſſet ſubjectum illuminandum incapax effectus intenſioris,& ſolum capax illuminationis ut tria,attamen hoc ſuppoſito caſu tunc illuminatio illa ut tria oriretur ſolum à quolibet luminoſo ut temperante activitatem ſuam propter incapacitatem ſubjecti ; ſicuti duo portantes lapidem, & quorum quilibet virtutem habet ſufficientem ad illum portandum attemperant virtutem ſuam , & non ſecundum totalitatem illius operantur : unde ut in eodem ſiſtamus exemplo ſicuti duo illi portantes lapidem dum ita attemperant virtutem ſuam non

dicun-

dicuntur tunc causæ actualiter & in actu secundo totales ; sed partiales tantum licet in actu primo totales sint , ex eo scilicet quod de facto non se adæquant in actu secundo : si similiter in præfato casu illuminatio illa ut tria cum ortum haberet ab illis luminosis conjunctis , tout attemperantibus virtutem suam, solum etiam ab illis oriretur à causis in actu secundo & de facto partialibus, & non totalibus.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo, D. Thomam favere præfatæ nostræ conclusioni , quod imprimis colligo ex his quæ habet : *quodlibeto 5 art 8.* & *quodlibet 3. art. 25.* ubi sic loquitur : *cum in generatione hominis sicut aliorum animalium semen patris sit agens , materia verò à matre ministrata sit sicut patiens , ex quo corpus humanum formatur, impossibile est eundem filium nasci, sive sit alius pater sive sit alia mater, sicut nec est idem numero sygillum sive sit ex alia cera , sive aliud corpus sygilli, ex cujusvis resistione cera sygillatur.* Hæc D. Thomas ex quibus argumentor sic.

Ex D. Thoma se habet pater in generatione filii tanquam agens : sed ex eodem variatur numericè filius ad variationem solius patris : ergo ex sola variatione agentis variatur effectus numero, ex eo scilicet quod ad solam variationem agentis variatur actio, qua quidem variata non potest non variari effectus, ut supra ostendimus : atque ita cum efficiens causa intelligenda veniat sub nomine agentis principii, sentit & sentiit S. Doctor, non posse effectum unius causæ efficientis eundem produci ab alia, nec consequenter posse à duplici totali causa divisivè procedere ; cumque specialior sit difficultas de causis ut simul causantibus & concurrentibus, quam ut causantibus divisivè , ex eo scilicet quod rationes omnes implicantiæ in causatione divisiva concludunt, ut consideranti patebit, contra causationem simultaneam, non tamen è contra ; hæc enim contradictio , quod essent simul totales & non totales si simul causarent , non concludit, ut patet, contra easdem ut solum divisivè causantes , sequitur de primo ad ultimum sentisse à fortiori S. Doctorem,

non posse eundem effectum à duplici totali causa simultaneè causantibus simul produc.

QUÆSTIO IV.

Vtrum efficiens cauſa, ſeu agens petat eſſe ſimul cum paſſo, an verò detur actio in diſtans.

PRæmittendum Pro declaratione principiorum ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud omnes recepti ſima, ſubindeque & vim habitura principii, puta quod *non poteſt efficiens cauſa operari quando non eſt*; Quod *creatum agens non agit nec agere poteſt naturaliter actione creativa*; quod *operari ſequitur eſſe*. Ratio primi eſt quia efficiens cauſa operando communicat eſſe; ac proinde cum communicare non poſſit eſſe quod non habet, non niſi eſſe communicare poteſt quod habet, & ſic præſupponi debet in eſſe, ut operetur. Ratio verò ſecundæ propoſitionis eſt, quia, ut eruditè notat Divus Thomas, cum ſecundum ordinem agentium ſit ordo actionum, actio quæ de ſe eſt omnium prima non poteſt naturaliter ſaltem convenire, niſi ei quod eſt primum agens: jam ſic eſt quod creativa actio eſt de ſe actio omnium prima; cum omnis alia actio utpote ſubjectum præſupponens, aliam etiam præſupponere debeat actionem factivam ſubjecti, quod minimè requiritur ad actionem creativam, utpotè quæ ſubjectum non præſupponit, ſed agit ex nihilo: ergo creatum agens non agit nec agere poteſt naturaliter actione creativa; denique quod operari ſequatur ad eſſe, quod eſt tertium præmiſſum principium, ex eo patet quod operari præexiſtit in operante præcontinentiam illius quod operatur, & in tali præcontinentia fundatur; unde cum illud non præcontineat operans niſi in ſuo eſſe ſeu entitate & actualitate, conſequenter fit quod ſuper ipſum eſſe operantis fundetur & radicetur operatio, ſubindeque & quod ad tale ſequatur eſſe. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione & concluſionis ad eadem principia reductione fit:

Nota.

CONCLUSIO: *Non poteſt agens operari ubi non eſt, ſeu agere in diſtans, ſed eſſe debet ſimul cum paſſo aut ſimultate ſuppoſiti, aut ſaltem ſimultate virtutis, diffundendo ſcilicet virtutem & actionem ſuam prius in propinquum quam in diſtans.*

Pro-

Probatur 1. Ex primo præmisso principio : *non potest efficiens causa operari quando non est* : ergo nec potest efficiens causa operari ubi non est, nec per suppositum nec per virtutem. *Probatur consequentia* : ideo non potest aliquid operari quando non est, quia perinde se haberet in operando ac si simpliciter non esset : sed etiam quod operatur ubi non est, perinde se habet in operando ac si simpliciter non esset : ergo hoc ipso quod non potest aliquid operari quando non est, nec potest hoc ipso operari ubi non est. *Major* conceditur *Probatur Minor* : quod se habet in operando ac si esset nullibi, perinde se habet ac si simpliciter non esset : sed quod operatur ubi non est, perinde se habet in operando ac si nullibi esset : ergo quod operatur ubi non est perinde se habet in operando, ac si simpliciter non esset *Major* est evidens ; repugnat enim quod aliquid sit & quod nullibi sit, sicut & quod aliquid sit & pro nullo tempore sit ; & hoc quia ly *hic* & *nunc* sunt conditiones duæ designantes esse à parte rei sive in singularibus. *Probatur Minor*, quod non petit ad alicubi operandum esse determinatè alicubi, illud perinde se habet in operando, ac si nullibi esset, ut ex terminis patet : atqui quod operatur ubi non est non petit esse alicubi determinatè ad ibi operandum, ut similiter patet & conceditur : ergo quod operatur ubi non est perinde se habet in operando, ac si nullibi esset : ergo quod operatur ubi non est perinde se habet in operando ac si simpliciter non esset : ergo quod operatur ubi non est perinde se habet in operando, ac si operaretur quando non esset : ergo hoc ipso quod non potest efficiens causa operari quando non est [quod est primum præmissum principium) nec potest hoc ipso operari ubi non est, sive operari in distans.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio : *non agit creatum agens nec agere potest naturaliter actione creativa* : ergo nec operari potest ubi non est. *Probatur consequentia*, quod operatur ubi non est ; potest indifferenter agere vel eductivè vel creativè : ergo hoc ipso quod non potest creatum agens naturaliter agere actione creativa, nec potest operari ubi non est. *Probatur antecedens*, quod non petit ex modo operandi subjectum in quo operetur, potest indifferenter agere vel eductivè vel creativè : sed quod operatur ubi non est non petit ex modo operandi subjectum in quo operetur : ergo & potest illud indifferenter agere & reductivè & creativè. *Major* conceditur & per se patet *Probatur Minor*, modus ille operandi non petit subjectum, qui æquè verificatur in nihilo, ac in subjecto : sed ly *operari ubi non est* æquè verificatur in nihilo ac in subjecto, ut per se

patet; cum operans in nihilo non minus operetur ubi non eſt, quam qui non eſt in ſubjecto in quo operatur: ergo quod operatur ubi non eſt non potuit ex modo operandi ſubjectum in quo operetur: ergo quod operatur ubi non eſt poteſt indifferenter agere vel edictivè vel creativè: ergo hoc ipſo quod non poteſt creatum agens naturaliter agere actione creativa (quod eſt ſecundum præmiſſum principium) nec poteſt hoc ipſo operari ubi non eſt.

Probatur 3. Ex tertio præmiſſo principio: *operari ſequitur eſſe*: ergo non poteſt operans operari ubi non eſt. *Probatur conſequentia*: ſi poſſet aliquid operari ubi non eſt, tunc ejus operari non ſequeretur ipſius eſſe: ergo hoc ipſo quod ad eſſe ſequitur operari, non poteſt operans operari ubi non eſt. *Probatur antecedens*: ubi modus operandi non ſequitur modum eſſendi, ibi nec operari ſequitur eſſe: ſed ſi aliquid operaretur ubi non eſt, tunc modus operandi non ſequeretur modum eſſendi: ergo neque tunc operari ſequeretur eſſe. *Major* conceditur & per ſe patet. *Probatur Minor*, quod ad omnem diſtantiam extenditur ſecundum operari, minimè verò ſecundum eſſe, ad non habet operandi modum ſequentem modum eſſendi: ſed ſi aliquid operaretur ubi non eſt, illud extenderetur ſecundum operari ad omnem diſtantiam, minime verò ſecundum eſſe: ergo tunc modus operandi non ſequeretur modum eſſendi. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, quoad primam partem, de qua ſolum poteſt controverti: quod æque potens eſt ad operandum in magis, quam in minus diſtans illud extenditur ſecundum operari ad omnem diſtantiam, ut patet: ſed ſi aliquid operaretur ubi non eſt, æquè potens eſſet ad operandum in magis quam in minus diſtans; cum tale quid non diffunderet tunc virtutem ſuam per medium five ex uno ſubjecto in aliud, ſubindeque nec eſſet tunc virtus magis remiſſa & debilitata erga magis diſtans, quam erga id quod minus diſtaret: ergo ſi aliquid operaretur ubi non eſt, illud extenderetur ſecundum operari ad omnem diſtantiam: ergo ſi aliquid operaretur ubi non eſt tunc modus operandi non ſequeretur modum eſſendi: ergo ſi aliquid operaretur ubi non eſt, tunc ejus operari non ſequeretur ipſius eſſe: ergo hoc ipſo quod operari ſequitur eſſe (quod eſt tertium præmiſſum principium) non poteſt hoc ipſo operans operari ubi non eſt, ſed eſſe debet immediatum paſſo, vel immediatione ſuppoſiti ut eſt ignis reſpectu ligni quod urit, vel immediatione virtutis, ut eſt ignis reſpectu manus quam calefacit.

Sol-

Objicies 1. multæ sunt actiones quæ perficiuntur in distans, ut contingit inter magnetica. Qua etiam ratione Testudo marina piscatoris brachium stupefacit. Ita serpens Americana, quam obiecto eam magnitudinem appellant *trabem*, præterreuntem cervum attrahit, dum postea integrum illum deglutiat, solo capite & cornibus relictis. Sic vetulæ quædam aut tactu aut visu pueros & animalia fascinant: sed in his & similibus actionibus nec ageas est præsens passo immediatione supposit, ut testatur experientia, nec intelligibile est qua ratione sit præsens immediatione virtutis: ergo non est necesse quod sit efficiens causa simul cum passo, sed potest operari ubi non est.

Respondeo negando minorem, tales namque & similes actiones perficiuntur ut plurimum beneficio qualitatis *occultæ & specificæ*, profluere namque à magnete v.g. qualitatem aliquam occultam exeo constat, quod ferrum magneti affinatum similem attrahendi ferri virtutem concipiat, quod quidem aliunde contingere nequit, quam à qualitate magnetis relicta in ferro. Quantum vero ad illud quod refertur de quibusdam vetulis quæ visu pueros aut animalia fascinant, dico hoc ita fieri mediis aliquibus spiritibus noxiis & maleficis. Ut enim certis hominibus humores beneficiem afflatu suavissimi odoris à à natura sunt insiti, quod de Alexandro magno narrat Plutarchus; sic reperiuntur nonnulli, qui ex pravo corporis habitu vim maleficam & noxios spiritus instar jaculi cujusdam veneno illiti vel ipsis oculis evibrant. Quod fascinigenus inesse vetulis solet ob majorem humorum corruptionem, quam ut plurimum contrahunt, vel ex defectu caloris naturalis, vel ex menstruo sanguine. Quod autem per oculos transmitti possint noxiæ illæ qualitates aut spiritus qui alios perimant, probatur ex mulieribus, quæ tempore menstruorum speculis inficiunt maculis quibusdam veluti sanguineis, quod quidem non sic intelligendum est, quasi per ipsam actionem videndi hoc fiat, utpote quæ immanens est, sed quia per oculos intuitum evibrantur noxiæ illæ expirationes, concurrente imaginatione, spiritus ad oculos evocando.

Instabis: Quando occurrit aliquid explicandum, ideo est explicandum, quia ignotum & occultum: ergò explicari non potest nec debet per quid ignotius: sed qualitates illæ occultæ sunt aliquid ignotius, quam sint actiones ad quas explicandas affinguntur ex illo termino occulti constat; ergo pro iis explican-

dis haberi non debet recurſus ad præfatas qualitates occultas.

Reſpondeo diſtinguendo ſubſumptum: ſed qualitates illæ occultæ ſunt aliquid ignotius, loquendo ſenſibiliter & reſpectivè ad ſenſus Concedo: loquendo ſimpliciter & reſpectu intellectus Nego; pro quo notandum eſt, quod præfatæ qualitates occultæ, non ideo appellantur *occultæ* quaſi ſimpliciter occultæ ſint, ſed quia non ſunt de qualitatibus ſenſibilibus, ſive quia præter calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem quæ vocantur *manifeſtæ* qualitates, quia ſenſibus percipiuntur, aliæ ſunt inſenſibiles, quæ ideo vocantur occultæ, nec deprehenduntur niſi per effectus ab ipſis perfectos. Item vocantur *ſpecificæ*, quia certæ ſpeciei corporis naturalis addictæ ſunt. Tales ſunt apud medicos *cathartica*, id eſt purgantes, unde & medicamenta cathartica. Item *ſmectica*, ſeu abſterſivæ; item *cauſtica*, quæ nimirum vim habent adultivam. Item *narcotica*, quibus ſtupor ac torpor inducitur. Item aliæ dicuntur virtutes ſeu qualitates *diuretica*, & ad movendam urinam idoneæ, aliæ *deleteria* ſeu mortiferæ, quia calorem nativum extinguunt, &c. certè ſi hæc fierent tantum manifeſtis qualitatibus, ſeu per exceſſum primarum qualitatum, cur aqua pura, cur piper, vinum ſublimatum, ſeu aqua vitæ, cur ſpiritus ſulphurei inter deleteria non numerarentur? cum intus accepta generent ſæpe aut calorem aut frigus majoris intenſionis.

Objicies 2. hoc ipſo quod dari non poteſt actio in diſtans, debet hoc ipſo agens prius agere in propinquum quàm in remotum: ſed contrarium oſtendit experientia; ignis enim calefacit aquam exiſtentem in lebete, quin fundum lebetis calefaciat, quod ex eò patet quod aqua in lebete fervente, fundum tamen lebetis eſt tepidum. Sic ſimiliter oleum exiſtens in vaſe papyraceo ſupra ignè appoſito fervet, quin papyrus comburatur, ita ut poſſint ſic in illo ova frigi: ergo dari poteſt actio in diſtans.

Reſpondeo negando minorem: ideo enim natura vacuum abhorret, ut ſcilicet corpora ſublunaria, quæ à cæleſtibus dependent eorum influxus poſſint recipere, & quos recipere non poſſent ſi inter illa & corpora cæleſtia eſſet vacuum: jam ſic eſt, quod ſi agens agendo indiſtans non prius acturum eſſet in propinquum, poſſent cæleſtia corpora hoc non obſtante vacuo influere & agere in hæc inferiora: ergo falſum eſt quod agens poſſit ſimpliciter loquendo agere in diſtans, non prius agendo in propinquum. Unde ad experientias quæ afferuntur in contrarium, nego, quod contrarium probent præfatæ experientiæ, cum ad ſenſum pateat, prius ignem incipere calefacere fundum

lebe-

lebetis, quam aquam; licet calefactis postea profundioribus partibus aquæ, illisque proinde ascendentibus, partes aquæ superiores & frigidiores, ac proinde & graviores descendant ad fundum lebetis, illiusque calorem ab igne sibi immediato acceptum sua frigiditate temperent. Item similiter dicendum est ad aliud exemplum, puta quod calefactis profundioribus partibus olei existentibus in vase papyraceo, illæ propterea ascendunt, & descendunt frigidiores, quæ sua frigiditate & humiditate resistentes calori ab igne in papyrum, illum temperant faciuntque quod papyrus aliquantulum incombusta permaneat, licet tandem, si juxta ignem perseveret, combusatur.

Instabis ipsa testatur experientia, quod ignis inflammat stupam vel sulphur distans, quin agat in aerem sibi proximum aut illum inflammet: sed hoc est agere in distans non prius agendo in propinquum: ergo verum quod prius.

Respondeo negando majorem; licet enim propter majorem dispositionem stupæ aut sulphuris & minorem resistentiam, quam sit ea quæ est in aëre, qui scilicet propter suam humiditatem magis igni resistit, licet inquam hac de causa majorem effectum causet ignis in stupa & sulphure distante quam in aere sibi proximo, aliquem tamen causat in illo; imo & multum probabile est aliquas tunc vel minutissimas partes aeris inperceptibiliter inflammari, & mediis illis propter majorem dispositionem stupæ aut sulphuris hæc comburi & inflammari.

Notabis plures alias experientias objici posse contra conclusionem, sed ex his quæ ad propositas dixmus, facile ad illas potest occurri, advertendo tamen, quod licet ut agens agat in distans, oporteat quod prius agat in propinquum, multoties tamen propter dispositionem & capacitatem passi effectum non causat ejusdem rationis in proximo ac in remoto passo. Sol enim v.g. licet ut mineralia producat in visceribus terræ oporteat, quod prius agat in corpora intermedia, propter diversam tamen dispositionem eorum, diversorum in illis ac in visceribus terræ causat effectum.

Quanam fuerit mens D. *Thomæ circa agitatam difficultatem.*

Respondeo, favere omnino S. Doctorem præfatæ nostræ conclusioni, quod quidem imprimis colligo ex rationibus, quas

affert in probando Deum eſſe præſentem rebus omnibus & in omnibus exiſtentem 1.p.q.8.art 1. ſic enim ibi diſcurrit *ibi res eſt ubi operatur: ſed Deus operatur in omnibus: ergo* Item *agens eſt conjunctum immediatè cum effectu, ut ait Ariſtoteles: ſed Deus cauſat & conſervat eſſe in omnibus tanquam proprium effectum, quia eſt ipſum eſſe: ergo eſt Deus intime in omnibus, cum ipſe ſit omnibus intimum* Hæc ibi D Thomas, qui infra *quæſt. 18. art. 4. ad 1.* idem inſinuat dum ait: *in ipſo vivimus movemur & ſumus; quia & etiam noſtrum vivere & noſtrum eſſe, & noſtrum moveri cauſatur à Deo.* Cum enim ibi colligat exiſtentiam Dei in rebus ex ipſius operatione, ſentit haud dubie, agens debere eſſe conjunctum paſſo, ut jam ſupra dixerat.

QUÆSTIO V.

Vtrum de ratione cauſæ inſtrumentalis phyſicæ ſit aliquid in ſe recipere à cauſa principali ad hoc ut agat.

Præmittendum 1. tres diſtingui poſſe ſententias circa difficultatem propoſitam, prima eſt eorum, qui docent, ſuppleti poſſe à Deo per auxilium extrinſecum vel per formam ſeu virtutem extrinſecam, ſive ut loquuntur alii per ſolam aſſiſtentiam Dei ut omnipotentis, ſuppleri, inquam, poſſe virtutem intrinſecè receptam aut recipiendam in cauſa inſtrumentali, & ita falſum eſſe quod propria & formalis ratio cauſæ inſtrumentalis, ut diſtinguitur à principali conſiſtat in eo quod agat ut mota à principali agente ab eo ſcilicet accipiendo virtutem & rationem operandi, cum ex ſola aſſiſtentia extrinſeca ſeu formæ & virtutis extrinſecè poſſit ſufficienter conſtitui potens ad inſtrumentaliter operandum; hæc ſententia communis eſt apud recentiores & modernos Societatis.

Secunda vero ſententia quam etiam amplectuntur plures ex patribus Societatis negat ſimiliter, quod ſit de ratione inſtrumentalis cauſæ quod ita accipiat virtutem & rationem operandi à principali agente; & hoc quia, inquiunt, ineſt & inſtrumento & cuilibet creaturæ virtus quædam obedientialis ad-

vo-

va, ratione cujus sine alia superaddita activitate vel virtute possit illa exire effectus ad quem concurrit causa principalis activa.

Tertia denique sententia communis est apud Thomistas, qui volunt esse de ratione causæ instrumentalis physicæ, quæ scilicet propriè operativa est, quod agat ut mota a principali agente motione aliqua virtuosa in ipsa instrumentali causa recipienda, unde & excludunt potentiam illam obedientialem activam tanquam virtutem ipsi instrumento innatam, & negant sufficere virtutem solum extrinsecus assistentem. Ut enim, inquiunt, calefaciat aqua, prius ipsa recipit calorem, & per calorem extrinsecum nunquam vna fuit causa aliqua calefaciens. Quod si ad alia attendamus instrumenta, serra, calamus, ensis per impulsum aliquem communicatum à causa principali concurrunt ad suas actiones per modum instrumenti; & projecta violenter, ut lapis & sagitta impulsum quendam intrinsecum recipiunt a projiciente, quo impulsu durante durat motus in projectis, & desinente, hic deficit. Ingrediendo autem ordinem supernaturalem, observat Deus hanc providentiam in causis instrumentalibus quas assumit. Miracula enim non fiunt à creaturis nisi ut instrumentis, & ad talem concursum instrumentalem supernaturalem datur specificalis qualitas supernaturalis intrinseca, quæ vocatur gratia gratis data, & est una ex gratiis gratis datis, quas numerat Apostolus *1 ad Corinth.* 12. & vocatur operatio virtutum, de qua agit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 178 *art.* 1. Item ad consecrandum Corpus Christi Domini, & caudandam gratiam in pœnitente assignat divina providentia characterem sacerdotalem, de quo agit D. Th. 3. *p quæst.* 63. & est qualitas intrinseca pertinens ad speciem potentiæ; ut docet ibi Divus Thomas *in artic.* 2. ergo jam ex inductione habetur, instrumenta physicè operativa sive in supernaturali ordine sive naturali non agere nisi ut mota & elevata per virtutem aliquam sibi intrinsecam & à principali agente derivatam.

Præmittendum 2. pro declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci decet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque & vim habitura principii, puta quod *nulla creatura potest instrumentaliter physicè infinitam producere operationem*; quod *potentia obedientialis est congenita & quasi transcendentaliter imbibita in rei natura*; quod *de ratione instrumenti est, respicere effectum ipso perfectiorem.* Ratio primæ propositionis est, quia à causa instrumentali physica hoc ipso quod tali verè & realiter profluit operatio

ad

ad differentiam inſtrumentorum moralium, quæ cum ſint talia, quod ad eorum poſitionem & præſentiam abſque ullo ex parte eorum influxu agens aliquid operatur, ab his propterea non profluit realiter operatio: jam ſi eſt, quod operatio infinita profluere non poteſt realiter & phyſice ab aliquo finito, etiam in genere cauſæ & operativi, ut ſupponitur inſtrumentum: ergo nulla poteſt creatura inſtrumentaliter phyſice infinitam elicere operationem.

Quid ſit obedientialis potentia.

Quantum vero ad ſecundam propoſitionem, pura quod potentia obedientialis eſt congenita & quaſi tranſcendentaliter imbibita in rei natura, ſive in re cujus eſt potentia, colligitur ex placito communi Theologorum, qui exponendo & examinando quid ſit potentia obedientialis, dicunt communiter potentiam obedientialem eſſe poſitivum quid, in ò ipſammet entitatem creaturæ poſitivè reſpicientem Deum authorem etiam ſupernaturalem, ut facere potentem in illa & de illa quidquid non implicat contradictionem; ex quo inferunt potentiam illam obedientialem ita conſiſtentem in aliquo poſitivo non diſtingui pluſquam ratione ab ipſa entitate naturali cujuſque rei creatæ, nec non & eſſe prædicatum eſſentiale, & quaſi tranſcendens reſpectu cujuſcumque naturæ & entitatis creatæ. Quælibet namque creata entitas hoc ipſo quod talis reſpicit Deum ut authorem ſuum & ut primam cauſam, & ſubjicitur ei ut faciat de illa & in illa quidquid non implicat contradictionem, & quidquid non implicat in illa fieri. Cumque Deus poſſit ſic creaturis uti, & eas immutare, non ſolùm ut author naturæ ſed etiam ut author ſupernaturalis. id eſt, non ſolum quando operatur ſecundum leges naturæ, ſed etiam quando operatur ſupra & ultra leges naturæ, quas ipſe condidit, & in quibus ipſe poteſt diſpenſare, quia eis ipſe non eſt ſubjectus, conſequenſeſt, quod in creatura reperiatur tranſcendentaliter & eſſentialiter imbibita ſubjectio ad ſupremum iſtud dominium Dei naturale & ſupernaturale, & ad hanc infinitam activitatem Dei naturalem & ſupernaturalem, id eſt, potentem operari juxta leges naturæ, & ſupra leges naturæ; ac proinde & quod in ea ſit congenita & quaſi tranſcendentaliter imbibita præfata potentia obedientialis.

Demùm quod de ratione inſtrumenti ſit reſpicere effectum ipſo perfectiorem, quod eſt tertium præmiſſum principium, ex eo evidenter patet, quod inſtrumentaliter aliquid producere eſt deſervire & miniſtrare alteri ad illud præducendum, ſubindeque & eſt altero indigere ut illud etiam inſtrumentaliter producat

ducat; sed sic est quod si non attingeret effectum perfectiorem, non posset altero indigere ut talem effectum produceret; cum hoc ipso quod non attingeret effectum perfectiorem se, nec etiam attingeret ultra suam virtutem, atque ita id solum attingeret, quod posset sua virtus: ergo de ratione instrumenti est attingere effectum perfectiorem se. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit.

CONCLUSIO: *Nec per formam seu virtutem extrinsecè assistentem constitui potest instrumentum physicum in ratione talis; neque etiam per potentiam obedientialem activam; sed solum per virtutem seu virtuosam motionem principalis causæ in ipso intrinsecè receptam.*

Probatur prima pars conclusionis ex primo præmisso principio: *non potest creatura elicere instrumentaliter physice infinitam operationem*: ergo nec potest constitui in ratione instrumenti physici per assistentiam formæ seu virtutis extrinsecæ, seu per omnipotentiam Dei ut solum extrinsecè assistentem. *Probatur consequentia*, illud quod potens sit per omnipotentiam Dei ut extrinsecè assistentem, non potest non esse operativum operatione infinitâ: ergo hoc ipso quod non potest creatura elicere instrumentaliter physicè infinitam operationem, nec constitui potest in ratione potentis instrumentaliter per omnipotentiam Dei ut extrinsecè assistentem. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, quod sit & constituitur infinitè potens, non potest non esse operativum operatione infinitâ: sed quod potens sit per omnipotentiam Dei ut extrinsecè assistentem, id constituitur infinitè potens: ergo quod potens sit per omnipotentiam Dei ut extrinsecè assistentem, non potest non esse operativum operatione infinitâ. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, quod constituitur potens per infinitam formam ut infinitam, seu ut non limitatam, non potest non constitui infinitè potens: sed quod potens sit per Dei omnipotentiam ut extrinsecè assistentem, id constituitur potens per infinitam formam ut infinitam, seu ut non limitatam: ergo quod potens sit per Dei omnipotentiam ut extrinsecè assistentem, id constituitur infinitè potens. *Major* per se patet, & ab adversariis conceditur, ex eo, inquiunt, quod quamvis omnipotentia assistens infinita sit, limitatur tamen quantum ad hoc quod est constituere instrumentum potens ex capacitate finita ipsius instrumenti. *Probatur minor*, non ex alio limitari potest omnipo-

potentia Dei, quam ex finitate seu finita capacitate creaturæ, cui coassistit: sed hoc ipso quod illam constituit potentem ut extrinsecè coassistens, limitari non potest ex ejus finitate: ergo hoc ipso quod illam potentem constituit ut extrinsecè coassistens, eam constituit potentem ut infinita seu ut non limitata, *Major* conceditur, *Probatur Minor*, creatura est tantum finita intrinsecè, ut docetur ab omnibus, cum capax sit infinitatis extrinsecæ & objectivæ: ergo in tantum aliquid limitari potest ex ejus finitate, inquantum annumeratur inter ejus intrinseca: sed quod omnipotentia Dei eam potentem constituit ut extrinsecè coassistens, non propterea annumeratur inter ejus intrinseca, ut ex terminis patet: ergo hoc ipso, quod illam potentem constituit ut extrinsecè coassistens, limitari non potest ex ejus finitate: ergo hoc ipso quod illam potentem constituit ut extrinsecè coassistens, constituit potentem ut infinita, seu ut non limitata: ergo quod potens sit per Dei omnipotentiam ut extrinsecè assistentem, constituitur potens per infinitam formam ut infinitam seu ut non limitatam: ergo quod potens sit per Dei omnipotentiam ut extrinsecè assistentem, id constituitur infinitè potens: ergo quod potens sit per Dei omnipotentiam ut extrinsecè assistentem, illud operativum est operatione infinita: ergo hoc ipso quod non potest creatura elicere instrumentaliter physicè infinitam operationem (quod est primum præmissum principium) nec constitui potest instrumentaliter potens per formam extrinsecam, seu per omnipotentiam Dei ut extrinsecè assistentem.

Probatur secunda pars conclusionis ex secundo præmisso principio: *potentia obedientialis est congenita naturæ rei, cujus est potentia*: ergo non potest instrumentum constitui instrumentaliter potens per potentiam obedientialem activam. *Probatur consequentia*. hoc ipso quod potentia obedientialis est congenita instrumento, impossibile est quod sit activa: ergo hoc ipso quod est congenita, non potest ut activa constituere instrumentaliter potens. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, activa instrumenti potentia debet esse perfectior natura instrumenti; sed hoc ipso quod est ei congenita, impossibile est quod sit perfectior: ergo hoc ipso quod est ei congenita talis potentia impossibile est, quod sit activa. *Minor* est evidens; cum enim quod est rei congenitum computetur inter ejus prædicata intrinseca, consequenter fit quod si perfectius esset re, cui congenitum est, quod idem esset seipso perfectius,

ctius, quod implicat. *Probatur major*, ubi actio seu influxus potentiæ perfectior est, ibi & perfectior est activa potentia; sed influxus activæ potentiæ instrumenti perfectior est ipsa instrumenti natura: ergo & ejus activa instrumentalis potentia debet similiter esse perfectior. *Maior* est evidens; cum enim influxus sit à potentia, subindeque & totam vim suam & totum quod habet à potentia teneat, implicat per consequens quod esse possit perfectior sua potentia. *Probatur Minor*, quod est perfectius eo, cum quo aliud adæquatur, non potest non esse perfectius & illo alio: sed influxus activæ instrumenti potentiæ est perfectior eo, cum quo in perfectione adæquatur natura instrumenti: ergo influxus activæ potentiæ instrumenti perfectior est ipsa instrumenti natura. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*, natura instrumenti adæquatur in perfectione cum influxu quem habet in proprium effectum, quem scilicet attingit principaliter & non instrumentaliter; ut per se patet; sed influxus activæ instrumenti potentiæ non potest non esse perfectior illo altero influxu; cum hic sit influxus in effectum perfectiorem, ut conceditur, alter vero in minus perfectum: ergo influxus activæ instrumenti potentiæ est perfectior eo cum quo adæquatur natura instrumenti in perfectione: ergo influxus activæ instrumenti potentiæ debet esse perfectior ipsa instrumenti natura: ergo & ipsa activa instrumenti potentia debet esse perfectior natura instrumenti: ergo activa instrumenti sive instrumentaliter agentis potentia nequit esse congenita naturæ instrumenti: ergo hoc ipso quod potentia obedientialis congenita est naturæ instrumenti (quod est secundum præmissum principium) impossibile est quod sit activa, nec consequenter quod constituatur instrumentum per potentiam obedientialem activam.

Probatur tertia pars conclusionis ex tertio præmisso principio: *est de ratione instrumenti respicere effectum perfectiorem se*: ergo & de ratione instrumenti est, quod virtutem recipiat seu motionem à principali causa. *Probatur consequentia*, secluso virtute illa seu motione à principali causa derivata, non potest instrumentum attingere effectum perfectiorem, ergo hoc ipso quod de ratione instrumenti est, quod attingat effectum perfectiorem, hujus etiam est præfatam recipere virtutem seu motionem. *Probatur antecedens*, non potest instrumentum effectum attingere perfectiorem, & non mutari intrinsece: sed secluso virtute illa à principali causa in

ipsum

ipſum derivata, non mutaretur intrinſecè: ergo ſeclusâ tali virtute ſeu motione non poſſet effectum attingere perfectiorem. *Minor* eſt evidens; cum enim mutari intrinſecè ſit aliter in ſe & in intrinſecis ſe habere quam antea, & hoc fieri non poſſit niſi media aliujus receptione, ut conſideranti patebit, conſequens eſt, quod ſi nihil à cauſa principali in ipſum derivaretur inſtrumentum, non haberet unde mutaretur intrinſecè. *Probatur major*, quod eſt ad aliquid impotens ſecundum ſe, non poteſt ſine mutatione ſui intrinſeca illud attingere; ſed inſtrumentum eſt ex ſe & ſecundùm ſe impotens in ordine ad effectus perfectiores: ergo non poteſt inſtrumentum effectum attingere perfectiorem, quin mutetur intrinſecè. *Major* eſt evidens, cum tunc ad tale quid attingendum ex non intrinſecè potente, tranſire debeat ad ea intrinſecè potens, in quo quidem tranſitu involvitur intrinſeca mutatio. *Probatur minor*, ad id omne eſt aliquid impotens ſecundum ſe, quod in eo ſecundùm ſe ſumpto non continetur: ſed effectus hoc ipſo quod perfectiores ſunt non præcontinentur in inſtrumento ſecundum ſe ſumpto: ut per ſe patet: ergo inſtrumentum eſt ex ſe & ſecundum ſe impotens in ordine ad effectus perfectiores: ergo non poteſt inſtrumentum effectum attingere perfectiorem, & non mutari intrinſecè: ergo non poteſt inſtrumentum effectum attingere perfectiorem ſeclusâ motione in ipſum à cauſa principali derivata: ergo hoc ipſo quod eſt de ratione inſtrumenti effectum attingere perfectiorem ſe (quod eſt tertium præmiſſum principium) eſt etiam hoc ipſo de ratione inſtrumenti conſtitui in eſſe talis per virtutem acceptam à cauſa principali & in ipſo inſtrumento receptam.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. quod omni non competit inſtrumento; eſſe non poteſt ratio ipſius conſtitutiva, ſed quod agat inſtrumentum per virtutem in ipſum à cauſa principali derivatam, non omni competit inſtrumento: ergo nec debet inſtrumentum per illud conſtitui in ratione talis. *Probatur minor*, ſacramenta producunt gratiam inſtrumentaliter phyſicè; ut docent communiter Thomiſtæ: ſed non eſt aſſignabilis virtus in ipſis ad hunc finem recepta: ergo quod agat inſtrumentum per virtutem in ipſum à cauſa principali derivatam non omni competit inſtrumento. *Probatur minor*, non alia eſt aſſignabilis virtus ad productionem gratiæ quàm ſpiritualis; cum talis aſſignetur & ſuppo-

ponatur dari ad proportionandum in ordine ad effectum spiritualem: sed non potest in sacramentis recipi spiritualis virtus, alias in subjecto corporeo reciperetur accidens spirituale; ergo non est assignabilis virtus in sacramentis recepta in ordine ad producendam gratiam.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti; ad tertium vero nego similiter minorem, vel claritatis gratia distinguo sic: sed non potest in sacramentis seu in subjecto corporeo recipi spiritualis virtus, si non sit talis virtus ad subordinandum subjectum corporeum ipsi spiritui agenti, Transeat; si autem sit virtus subordinans ipsi spiritui, ut actualiter agenti, ut de facto est ea, de qua est sermo in præsenti, Nego minorem & consequentiam. Vel, quod in idem redit, distinguo eandem minorem sic: sed non potest spiritualis virtus recipi in subjecto corporeo, sumpto absolutè, ut corporeum est, Concedo; non potest spiritualis virtus recipi in subjecto corporeo sumpto non absolutè, sed ut obedienti & subjicibili spiritui agenti, Nego, quod sub hac ratione non possit, imo & quod non debeat spiritualis virtus recipi in subjecto corporeo; cujus solutionis ratio est, quia naturaliter corpus subjicitur spiritui, nec ex eo quod est entitas materialis impeditur propterea, ne sit etiam obediens spiritui tanquam inferius superioti in ordine ad aliquos effectus spirituales, ut ad movendum & excitandum intellectum per sensus; nec non & in ordine ad effectus supernaturales spirituales, quando spiritus cui obedit & subjicitur supponit pro ipso Deo authore supernaturali: jam sic est quod non potest corpus esse ita obediens spiritui in ordine ad effectus spirituales, nisi in quantum impressionem recipit ac motum ipsius spiritus ut actualiter agentis: non ergo repugnat, recipi in subjecto corporeo spiritualem virtutem, ubi scilicet sermo est de virtute subordinativa ipsius subjecti corporei ipsi spiritui actualiter agenti, sive ubi procedit sermo de subjecto corporeo non absolutè sumpto, sed ut connotat spiritum ut actualiter agentem, & ipso ad actum suum instrumentaliter utentem, sicut de facto procedit sermo in præsenti. Neque hoc est contra naturam spiritualis accidentis, in quantum spirituale est; licet enim repugnet spiritui recipi in corpore & illud informare modo extenso & divisibili, seu per commensurationem ad partes corporis, non tamen quod in subjecto recipiatur modò inextenso & indivisibili, seu ut totum in toto corpore & totum in qualibet corporis parte, ut de facto patet in anima.

Nota.

Inſtabis: non magis repugnat, recipi accidens corporeum in ſubjecto ſpirituali, puta albedinem in angelo, quam accidens ſpirituale in ſubjecto corporeo: ſed omnino repugnat, quod accidens corporeum recipiatur in ſubjecto ſpirituali, ut per ſe patet: ergo & repugnat ſimiliter, quod accidens ſpirituale in ſubjecto recipiatur corporeo.

Reſpondeo negando paritatem majoris; cujus diſparitatis ratio eſt, quia omne quod recipitur accidens, vel recipitur præcisè ut actuet ſubjectum ſuum, vel ut afficiendo illud alteri ſubordinet tanquam agenti principali, & eo inſtrumentaliter utenti ad actum ſuum: ſed ſic eſt quod ex utroque capite repugnat recipi accidens corporeum in ſubjecto ſpirituali; adeo ut & repugnat ipſum recipi in ſubjecto ſpirituali ad modum præcisè actuantis; cum quodlibet actuans hoc ipſo quod tale debeat eſſe actualius ſuo ſubjecto, & nulla forma corporea poſſit eſſe actualior ſubjecto ſpirituali, utpote ſecundum ſuam actualitatem & perfectionem in ſpiritu eminentialiter præcontenta; & repugnet ſimiliter recipi accidens corporeum in ſubjecto ſpirituali, tanquam ſubordinativum illius agenti alteri; cum accidens corporeum ſubordinare non poſſit niſi agenti corporeo, & iſti ſubordinari nequeat ſubjectum ſpirituale: ergo cum ex omni capite repugnet receptio accidentis corporei in ſubjecto ſpirituali; nec repugnet receptio accidentis ſpiritualis in ſubjecto corporeo, ſaltem ex ſecundo capite; conſequens eſt quod major ſit repugnantia inter accidens corporeum & ſubjectum ſpirituale in ordine ad receptionem, quàm inter accidens ſpirituale & ſubjectum corporeum.

Objicies 2. hoc ipſo & per hoc quod virtutem recipit inſtrumentum à principali cauſa, elevatur: ſed agere ut elevatum non eſt de ratione omnis & cujuslibet inſtrumenti: ergo nec de ejus ratione eſt, quod agat per virtutem in ipſum derivatam à principali cauſa. *Probatur minor*, agere ut elevatum non eſt niſi comparativè ad effectus perfectiores: ſed comparari ad effectus perfectiores non eſt de ratione omnis & cujuſvis inſtrumenti: ergo non agere ut elevatum. *Probatur minor*, poteſt quis uti gladio ad aliud ſimile fabricandum: ſed gladius in hoc caſu non comparatur ad effectum perfectiorem: ergo ad effectus comparari perfectiores non eſt de ratione omnis & cujuslibet inſtrumenti.

Reſpondeo negando minorem; ſi nimirum ly *elevatum* non ſumatur in ſtrictiori ſignificatione: ſi namque principalis cauſa,

eo

eo quod agat per virtutem quæ adæquet effectum, non indiget propterea elevari, cum causa instrumentalis è contra ex se virtutem non habeat qua effectum adæquet, & adæquando ex se producat, consequenter fit, quod ad hoc indigeat elevatione non quidem a qua elevetur extra ordinem naturalem, nisi in casu quo producendus est supernaturalis effectus, sed elevatione qua extra statum nativæ impotentiæ extrahatur, & potens fiat ad attingendum quod ex se non valebat attingere. Unde ad probationem nego similiter minorem, cujus falsitas patet ex ratione jam exposita. Ad tertium autem concessa majori distinguo minorem sic: sed gladius fabricans non comparatur in hoc casu ad effectum perfectiorem, qui perfectior sit gladio fabricante in esse entis Concedo: non comparatur ad effectum perfectiorem in esse effectus Nego minorem, & consequentiam. Cujus solutionis ratio est, quia fabricatus gladius licet in esse entis nihil habeat, quod non reperiatur simile in gladio fabricante secundum se sumpto, nihilominus importat in ratione effectus tum motum in suo scilicet fieri passivè sumpto, tum motionem & applicationem in suo fieri sumpto activè, qui quidem motus & quæ motio in gladio fabricante secundum se sumpto non reperiuntur; atque ita intra lineam efficientiæ excedit fabricatus gladius perfectionem & virtutem gladii fabricantis, quamvis intra lineam entis ei proportionatus sit.

Instabis: ideo ergo requiritur derivari virtutem à principali causa in instrumentum, ut intra lineam efficientiæ proportionari possit cum effectu instrumentaliter producendo: sed hac supposita virtute non propterea proportionaretur cum effectu: ergo frustra requiritur præfata virtus *Probatur Minor*, causa, quæ virtutem habet proportionatam cum effectu, est causa principalis: sed quantumvis supponatur derivari præfata virtus, non propterea fit instrumentum principalis causa: ergo nec propterea cum effectu proportionaretur.

Respondeo negando minorem, si nimirum intelligatur, ut intelligi debet, de proportione habenda cum effectu *ut instrumentaliter* producendo. Ad probationem vero distinguo majorem sic; causa quæ virtutem habet proportionatam cum effectu, est causa principalis, si talem habeat virtutem ex se, seu ut naturaliter congenitam & innatam Concedo majorem, si autem virtutem illam quam habet proportionatã cum effectu,

habeat non ex ſe ſed ex impreſſione alterius ut actualiter agentis Nego, quod propterea ſit aut fiat principalis cauſa, ex eo quod talem habeat virtutem proportionatam, quandoquidem hoc ipſo quod non habet virtutem illam proportionatam niſi ex impreſſione alterius ut actualiter agentis, eam conſequenter non habet niſi adminiſtrandum & deſerviendum alteri, & in quantum illud alterum, ex cujus impreſſione illam habet, co utitur ad actum ſuum, ſive ad productionem ſui effectus; ac proinde non propterea extrahitur extra rationem miniſterialis ſive inſtrumentalis cauſæ: Jam ſic eſt, quod non aliter hanc habet virtutem inſtrumentum, de quo in præſenti loquimur, ut ex dictis ſufficienter colligitur: non ergo fruſtra requiritur prædicta virtus, ad hoc ut inſtrumentum proportionari poſſit cum effectu, ut ſolum inſtrumentaliter producendo.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo, Divum Thomam apertè favere præfatæ noſtræ concluſioni; quod in primis colligo ex his quæ habet *tertia parte, quæſtione 62. art. 4.* ubi ſic loquitur: *Inſtrumentum non operatur niſi in quantum motum à principali agente, quod per ſe operatur; & ideo virtus principalis agentis habet permanens & completum eſſe in natura: virtus autem inſtrumentalis habet eſſe tranſiens ex uno in aliud, & incompletum, ſicut & motus eſt actus imperfectus ab agente in patiens.* Hæc Divus Thomas, ex quibus argumentor ſic.

Dicit ſanctus Doctor, quod inſtrumentum non operatur, niſi in quantum motum à principali agente, quod per ſe operatur: ergo prætendit ſanctus Doctor quod inſtrumentum non per ſe operetur, quia agit ut motum à principali agente; ſed non operari inſtrumentum per ſe, quia agit ut motum, eſt hoc ipſo agere, ſed agere ex virtute alterius, in ipſum per conſequens derivata: ergo ex Divo Thoma non agit inſtrumentum in quantum tale, niſi ex alterius virtute, prout in ipſum derivata, quod eſt quod aſſerit noſtra concluſio.

Secundo ex præfatis verbis ſancti Doctoris; virtus inſtrumentalis agentis ad differentiam agentis principalis habet quidem eſſe in inſtrumento, ſed tranſiens ex uno in aliud: atqui præfata virtus non poteſt non eſſe recepta, hoc ipſo quod habet eſſe in inſtrumento; & hoc ipſo quod habet eſſe tranſiens

fieri ab uno ad aliud non potest non esse derivata ex impressione sive actione principalis agentis, non autem ipsi instrumento congenita & coeva, ut per se patet: ergo ex Divo Thoma virtus qua constituitur instrumentum in ratione instrumentalis agentis, non potest esse virtus solum extrinsecè assistens; cum habeat esse receptum in instrumento nec supponere potest pro virtute ipsi congenita instrumento, nec consequenter pro potentia obedientiali activa, cum habeat esse transiens ab uno ad aliud; sed supponere debet pro virtute ex ipso principali agente in ipsum derivata & ex impressione virtutis principalis exercitæ in ipso relicta, ad ministerialiter producendum eundem effectum.

Dices, docet D. Thomas *in 4 sentent. distinct. 8. quæst 2. art. 3. ad quartum, quod sicut creatura inest potentia obedientialis, ut in ea fiat quidquid creator disposuerit, ita etiam ut ea media fiat quod est ratio instrumenti:* Ergo sicut quævis creatura per potentiam obedientalem passivam potest absque additione alicujus intrinseci & solam subordinationem ad Deum concurrere ad quodlibet recipiendum supernaturale, cujus scilicet receptio non implicat contradictionem; ita & per potentiam obedientialem activam, quam in prædictis verbis videtur admittere Divus Thomas, & cum prædicta subordinatione ad Deum absque virtute aliqua intrinseca ei superaddita, videtur, creaturam posse ad quoslibet concurrere effectus supernaturales, qui non implicant contradictionem: & cum in eo asserat Divus Thomas consistere rationem instrumenti, videtur per consequens ex eodem nullam in instrumento ad illius effectum superadditam virtutem desiderari, ex motione agentis principalis ei communicatam.

Respondeo, quod cum asserit Divus Thomas in præfato testimonio, quod in creatura est potentia obedientialis, ut media ea fiat quod Deus voluerit, non propterea intendit talem potentiam obedientiæ esse ad hujusmodi effectus aliqualiter activam, sed solum quod est potentia passiva ad recipiendum in ordine ad illos virtutem activam, ad differentiam ejusdem potentiæ, ut est potentia passiva ad recipiendum aliquid non activum. Unde cum subdit sanctus Doctor, quod ea obedientialis potentia, ut media creatura fiat quod voluerit Deus est ratio instrumenti, loquitur solum de ratione remota instrumentali, secundum quam est capax, ut assumatur à Deo, ut instrumentum ad aliquem effectum, non vero de ratione proxima & completa instrumenti: hoc enim non habet, ut supra probavi-

mus niſi ex virtute operativa & ex motione agentis principalis ei communicata, & ratione cujus ex intrinſece impotente ſecundum ſe fit ex alio, ſive ex illa intrinſecè potens.

QUÆSTIUNCULA.

Vtrum omne inſtrumentum Phyſicum habere debeat virtute propria actionem aliquam diſpoſitivè ſe habentem ad effectum principalis agentis.

Reſpondeo primo, quod omne inſtrumentum phyſicum naturale, ut conditinguitur ab inſtrumento ad ſupernaturalem effectum, ad hoc ut concurrat ad effectum principalis agentis habere debet ex propria virtute actionem quandam præviam, per quam diſpoſitivè operetur ad ipſum effectum principalis agentis, quatenus ſcilicet per talem actionem redditur capax, ut ad illum virtute inſtrumentaria concurrat. Ratio autem hujus eſt, quia ſi talem præviam actionem non eſſent naturalia inſtrumenta habitura, non eſſet unum magis quam aliud capax recipiendi virtutem inſtrumentariam à principali agente ad illius determinatum effectum: ac proinde poſſet ad illum quodlibet indifferenter aſſumi naturale inſtrumentum; poſſetque verbi gratia ad ſcribendum æqualiter aſſumi Globus ſphæricus, ac calamus, atque ad ſcindendum æqualiter aſſumi butirum ac ferrum.

Reſpondeo 2. pro majori præfatæ doctrinæ declaratione, & objectorum ſolutione, quod actio illa prævia, quam virtute propria habere debet inſtrumentum phyſicum naturale ad effectum principalis agentis, non propterea debet eſſe realiter entitativè diſtincta ab actione ipſius principalis agentis, ſed ſufficit quòd ſit formaliter ab illa diſtincta, & quaſi prius intelligatur ſecundum aliquam formalitatem procedere virtute propria ab inſtrumento, quam quod ſecundum aliam formalitatem ab ipſo virtute inſtrumentaria & ab agente principali procedat, & ita prima formalitas hujuſmodi actionis quaſi præintelligatur diſpoſitivè ad effectum principalis agentis; hoc autem

autem ita esse explicatur simul & probatur sic. Nam cum Serra verbi gratia ut instrumentum artificis concurrit ad artificiosam scissionem, non datur ibi duplex realiter entitativè distincta scissio, cum nec ibi duplex detur terminus realiter entitativè distinctus correspondens, sed unica dumtaxat entitativè actio, ut est scissio, correspondet Serræ secundum illius virtutem propriam, quia in serra ad scindendum intelligimus virtutem propriam & connaturalem, & quasi præintelligimus scis[illegible] solutè, seu contractum durum & acutum Serræ circa [illegible] ad insam scissionem ut artificiosam in qua exercetur virtus [illegible] principalis agentis. Ex quo fit quod ad scindendum artificiosè, potius ratione talis virtutis propriæ & connaturalis Serræ & contractus duri & acuti quem ex se habet Serra, assumatur illa ut instrumentum connaturale scissionis artificiosæ, quam alia quælibet res, verbi gratia butirum, habet autem hæc doctrina fundamentum maximum in Divo Thoma, in his quæ docet 3. *part. quæst. 26. art. 1. ad secundum* ubi hæc habet: *Instrumentum habet duas actiones, unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis: aliam autem habet actionem propriam qua competit sibi secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione activitatis facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis; non autem perficit instrumentalem actionem nisi exercendo actionem propriam: scindendo enim facit lectum.* Hæc Divus Thomas, ubi manifestè indicat, non entitativè diversam, sed eandem secundum diversam formalitatem actionem exercere instrumentum virtute propria & virtute principalis agentis

Respondeo tertio, quod etiam instrumentum à Deo assumptibile ad supernaturales effectus, debet virtute propria habere aliquid prævium ad tales supernaturales effectus; id tamen non debet esse actio aliqua propria determinata ad aliquem illorum effectuum. Ratio primæ partis est, quia tale instrumentum sic est à Deo assumptibile ad supernaturales effectus, quod ad aliquos assumi non possit, puta ad creationis effectum: atqui si nihil omnino haberet prævium & quasi dispositivè se habens ad præfatos supernaturales effectus ad quos assumitur, non magis esset assumptibile ad illos, quam ad alios, puta quam ad creationem, ut patet, cum nihil haberet prævium, quo ita redderetur assumptibile, nec consequenter, quo magis redderetur assumptibile: ergo etiam ad supernaturales effectus debet instrumentum aliquid ex se habere prævium, & quasi dispositivè se habens, ad hoc ut sit ad illos assumptibile. Quod autem tale

quid non ſit aliqua actio propria determinata ad aliquem illorum effectuum, ex eo ſimiliter patet, quod ad hujuſmodi ſupernaturales effectus non magis unum quam alterum eſt a Deo aſſumptibile inſtrumentum, ſed potius eorum quodlibet poteſt æqualiter aſſumi: ergo talia inſtrumenta non habent virtute propria aliquid prævium determinatum magis ad unum, quam ad alium ſupernaturalem effectum, ſed ſi quid prævium habeant virtute propria, illud eſt ita commune & indifferens æqualiter medio illo ad quaslibet aſſumi poſſint ad ſupernaturales effectus; unde ad evacuandam omnem ex parte [illegible]

Reſpondeo quarto & ultimò, quod prævium requiſitum ad, quod inſtrumenta ad ſupernaturales effectus aſſumpta habere debent virtute propria, eſt ſolum proportio illorum *entis ad ens* cum ſubjecto talium ſupernaturalium effectuum; cujus quidem ratio afferri poteſt triplex. Primò, quia tale quid prævium debet eſſe commune & indifferens ad omnes effectus ſupernaturales, non autem ad aliquem illorum aliqualiter determinatum, ut ſupra diximus; cum ad quemlibet ſupernaturalem effectum poſſit aliqualiter aſſumi quodlibet inſtrumentum: jam ſic eſt, quod nihil eſt præter præfatam proportionem entis ad ens, quod ſit ita commune & indifferens ad quoslibet ſupernaturales effectus, ut conſideranti patebit: ergo tale quid prævium non aliud eſt quam præfata proportio. Secunda vero hujus ratio eſt, quia licet aliquod inſtrumentum aliquam aliam majorem habeat proportionem cum aliquo ſupernaturali effectu virtute propria, quam illa quæ eſt entis ad ens; cum tamen major illa proportio non ſufficiat, ut poſſit eſſe naturale illius inſtrumentum, ut de facto Deus ad talem effectum illud aſſumat; inde fit quod omnino materialiter & per accidens ſe habeat talis major proportio cum effectu, & ſolum pertineat ad aliquam ipſius aſſumptibilitatis congruentiam: ſicut congruentius aſſumitur aqua baptiſmalis ad regenerationem & lavacrum animæ, quatenus poteſt virtute propria attingere lotionem corporis; ergo per ſe ſolum ad ſupernaturalem effectum conducit proportio entis ad ens, quam ex ſe habet aſſumptum inſtrumentum, cum ſubjecto effectus ſupernaturalis principalis agentis. Tertia denique hujus ratio eſt, quia per hoc ſolum ſalvatur intentum Divi Thomæ, quod ſcilicet creatura aſſumi non poſſit ut inſtrumentum creationis; quia cum actio cujuſcumque agentis creati etiam virtute divina operantis, ac proinde & actio inſtrumentaria inſtrumenti, ſi ſit productio alicujus effectus extra ipſum agens, debeat eſſe actio formaliter tranſiens, & infe-

Nota.

inferens in aliquo passo mutationem, & hanc non inferat creatio, quia scilicet non supponit aliquod subjectum, optimè Divus Thomas ex defectu proportionis entis ad ens cum subjecto creationis, quia nullum tale est, intulit, nullam creaturam posse assumi ut instrumentum creationis; quia scilicet ei deficit illud communissimum prævium ad talem effectum, proportio videlicet entis ad ens, quam cum subjecto cujuslibet supernaturalis debet habere virtute propria quodlibet instrumentum, ius productionem instrumentariè attingendam assu-

Quares, quid sit idea, seu exemplar, & ad quod genus causæ pertineat.

Respondeo Ideam ex Divo Thoma *quæst. 3. de veritate, art. 1. Esse formam, quam aliquis imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem*; Quæ definitio coincidit cum alia, qua communiter definitur idea seu exemplar *id ad quod respiciens artifex operatur*, circa quas definitiones notandum est, quod cum forma possit accipi & pro forma qua aliquid constituitur, & prout media illa agens naturale operatur; ac denique pro forma prout imitabili ad aliquid faciendum, ideo ly forma in præfatis definitionibus, tenet locum generis, & sequentes particulæ locum tenent differentiæ; per id enim quod dicitur, ideam esse formam *quam aliquis imitatur*, distinguitur idea à forma intrinseca, quæ producitur ad imitationem formæ idealis, & quam nullus imitatur; per id autem quod additur *ex intentione agentis determinantis sibi finem*, distinguitur idea à forma, qua quis naturaliter vel fortuitò operatur. Ex quibus colligitur, quod idea nec est ipsum objectum ut ad extra existens, quia ut sic agens illud non imitatur; nec etiam est ipse conceptus artificis præcisè, ut est illi ratio cognoscendi, sed est idea ipse conceptus artificis formaliter ut continet objectum, ad quod respiciens artifex, illudque imitando operatur.

Certum autem est, quod idea verè & propriè habet rationem causæ physicæ: cum enim artifex physicè agat per intellectum & voluntatem, quæ non sunt ad unum determinata, oportet, quod ad sic operandum intellectualiter determinetur: sed non determinatur per actum, cum illa sit indifferens ad plures, imò & ad oppositas formas: ergo ad formam determinatam artificialem determinatur artifex per ideam in illius mente existentem: Jam sic est, quod id quod determinat agens ad aliquam physicam operationem, verè habet rationem causæ physicæ: ergo & est idea causa physica; unde ad resolutionem

alterius partis quæſiti, ad quod ſcilicet genus cauſæ reduci debeat, dico ideam ſeu exemplar præcipue pertinere ad genus cauſæ formalis. Quod quidem colligitur primo ex Ariſtotele 5. *Metaphyſ. textu* 2. definiente cauſam formalem, *quod ſit ſpecies, ſeu exemplar*, quod explicans Divus Thomas ibidem *lect.* 2. ait: *Alio modo dicitur cauſa ſpecies & exemplar, & hæc cauſa eſt formalis quæ quidem dupliciter comparatur ad rem; uno modo ſicut forma intrinſeca rei, & hæc dicitur ſpecies, alio modo ſicut extrinſeca à re, ad cujus tamen ſimilitudinem res fieri dicitur, & ſecundum hoc exemplar rei dicitur forma.* Ratio autem hujus eſt, quia quod dat ſpeciem alicui, in genere cauſæ formalis concurrit; & ideo forma intrinſece aliquid conſtituens, quia illi tribuit ſpeciem, ad illud etiam in genere cauſæ formalis intrinſecæ concurrit: ſed ſic eſt quod idea extrinſece tribuit ſpeciem ideato; cum ad inſtar illius, & ad ejus ſimilitudinem producatur tale: ergo præcipue & magis proprie concurrit idea ad opus artis in genere cauſæ formalis, quam in alterius genere cauſæ.

QUÆSTIO VI.

Vtrum bonitas realis finis an potius ejus apprehenſio ſit ratio formalis, ſub qua finalizat.

PRæmittendum primò, Ex Ariſtotele *in lib. 2 Phyſicorum, cap. 3. text* 31. quod finis *eſt id cujus gratia aliquid fit*; finis enim movet & allicit voluntatem ad electionem & executionem mediorum, ut patet in ſanitate, quæ quia proponitur tanquam finis, ideo & infirmum movet ad potionem amaram & alia media ad ipſius ſanitatis conſecutionem adhibenda: eſſe autem finem vere & proprie cauſam realem, præter quam quod id probat authoritas Ariſtotelis, & Interpretum illum inter cauſas reales enumerantium, ex eo præterea patet, quod quilibet realis effectus, & maxime in his, quæ proprie agunt propter finem, ab ipſo fine realiter dependet, cum ideo de facto aliquid realiter operetur, ut finem conſequatur intentum: ſed ſic eſt quod realis cauſa eſt ea, mediante qua realis habetur effectus: ergo debet finis inter reales cauſas enumerari. Neque obſtat, quod com-

mmuniter finis dicatur causa metaphorica, ac proinde non
catur esse propriè causa, cum id cui solum metaphoricè ali-
d convenit, non videatur illud ei propriè convenire. Non
uam id obstat, quia finis dicitur causa metaphorica, non quia
priè non sit causa, imo & realis causa, sed quia non causat ut
tens realiter sicut efficiens, sed existens tantum in appre-
sione, ex eo scilicet, quod quantumvis realem etiam & non
m in apprehensione possit aliquando finis habere existen-
n cum finalizat, ea tamen non requiritur ad finalizandum,
sufficit quod pro tunc existat in apprehensione; unde non
tur finis absolutè metaphorica causa, sed ad contrapositio-
n dumtaxat causæ efficientis, quæ quidem majorem, ut cau-
exigit existentiam, & perfectiorem, magisque physicum ha-
influxum; ex his autem ortum habet difficultas in titulo
posita, an scilicet in fine ratio formalis sub qua habet finali-
fit ejus apprehensio, in qua solum, ut dictum fuit suam ha-
finis existentiam, dum finalizat, adeo ut se habeat appre-
sio ad boniratem & existentiam finis tanquam ratio *sub qua*,
ationem *quæ* sive tanquam lux ad colorem; an verò ut com-
nior fert sententia ipsa apprehensio finis sit solum conditio
vendi & finalizandi, & quidem indispensabiliter requisita,
ote quæ non solum est conditio per modum applicationis,
etiam per modum existentiæ ad finalizandum requisitæ; ipsa
bonitas finis sit ratio formalis, sub qua movet & finalizat.
Præmittendum 2. Pro declaratione principiorum, ad quæ
clusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud om-
receptissima, subindeque & vim habitura principii, pura
d *ea est ratio formalis sub qua, quæ determinat rationem quæ*
alem potentiam, vel habitum; quod *nihil est volitum, quin*
cognitum; quod *variata in aliquo ratione formali sub qua*,
potest non variari essentialiter actus, qui est ad illud. Ratio
ni est, quia ipsa ratio quæ ab una attingitur potentia, sive ab
habitu, est & esse potest ratio quæ ab alia etiam attingitur
entia & ab alio habitu; color enim v. g. qui est ratio *quæ* percit
t à visu, percipitur etiam ab intellectu, simul & voluntate, ut
sa patet; facta autem additione rationis *sub qua*, taliter de-
minatur ratio *quæ* ad unam potentiam vel habitum, ut sub
ē ratione non possit ab alia attingi, ut similiter patet in eodē
mplo de colore, qui quidē quāvis ut color est, attingi possit &
ntellectu & à visu, sub ratione tamen visibilis. *Sub qua* attin-
t à visu, ita determinatur ad visum, ut non possit sub tali rati-
attingi ab intellectu; & sub ratione veri sive intelligibilis.

sub

ſub qua percipitur ab intellectu, ita ad intellectum determinatur, ut non poſſit ſub tali ratione attingi à viſu vel ab altera potentia: ergo ea eſt ratio formalis *ſub qua*, quæ determinat rationem *quæ* ad talem potentiam vel habitum.

Quantum verò ad ſecundum, puta quod nihil eſt volitum quin præcognitum, ex eo patet quod voluntas eſt eſſentialiter potentia cæca, ſequens ex ſui natura ductum rationis: ergo ad id ſolum fertur voluntas, quod eſt à ratione ſeu intellectu ipſi propoſitum: jam ſic eſt quod hoc ipſo quod eſt ab intellectu propoſitum, eſt cognitum; cum hoc ipſo illud attingat intellectus, & non attingat niſi cognoſcendo & intelligendo: ergo nihil poteſt eſſe volitum, quin ſit hoc ipſo præcognitum; denique quod variata in aliquo ratione formali ſub qua, varietur & eſſentialiter actus, qui eſt ad illud, quod eſt tertium præmiſſum principium, ex eo colligitur, quod reſpectu unius potentiæ vel habitus una tantum eſſe poteſt ratio formalis ſub qua, ſicut & unum tantum formale objectum, & unum ſpecificativum: ergo variatio in ratione formali ſub qua variationem arguit in habitu ſive in potentia: ſed ad variationem potentiæ vel habitus variatur eſſentialiter actus ut per ſe patet; ergo variata ratione formali ſub qua in aliquo, non poteſt non variari eſſentialiter actus, qui eſt ad illud. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione & concluſionis ad eadem principia reductione fit:

CONCLUSIO: *Formalis ratio ſub qua finis finalizati eſt ipſa realis ejus bonitas reduplicativè ut talis, non autem ipſa apprehenſio bonitatis.*

Probatur 1. Ex primo præmiſſo principio: *Ea eſt ratio formalis ſub qua, quæ determinat rationem quæ ad talem potentiam vel habitum*: ergo formalis ratio ſub qua finis finalizat eſt ipſa realis ejus bonitas, ut talis, non autem ipſa apprehenſio bonitatis. *Probatur conſequentia*, quod determinat rationem *quæ* ipſius finis ad ipſam voluntatem non aliud eſt quam ratio reduplicata boni: ergo hoc ipſo quod ea eſt ratio formalis ſub qua, quæ ita determinat rationem quæ, non eſt alia formalis ratio ſub qua ipſius finis, quam ejus bonitas ſumpta formaliter & reduplicativè. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*, ratio *quæ* ipſius finis non eſt alia quam ejus bonitas ſpecificativè ſumpta: ſed quod bonitatem determinat ſpecificativè ſumptam ad voluntatem non eſt alia quam reduplicatio ejuſdem bonitatis, ſive eadem bonitas accepta reduplicativè: ergo quod determinat rationem *quæ* ipſius finis ad ipſam voluntatem, non

aliud

d est, quam ratio reduplicata boni. *Major* conceditur, ipsa
n bonitas finis ita specificativè sumpta, & est id quod attin-
r à voluntate respectu cujus finalizat, & quod etiam attin-
ab aliis potentiis, puta ab intellectu; in quo quidem con-
id quod dicimus rationem *qua*, ut colligitur ex præmissis.
atur Minor, sumpta bonitas finis specificativè, à variis at-
itur potentiis, puta & ab intellectu & à voluntate, non au-
sumpta sub reduplicatione boni: ergo per hoc & hoc ipso,
d reduplicative sumitur præfata bonitas, ad unam limitatur
terminatur potentiam: sed non ad aliam pertinere potest
itas reduplicativè ut talis, quam ad voluntatem, ut concedi-
& per se patet: ergo quod bonitatem determinat specifica-
sumptam ad voluntatem non est aliud quam bonitatis re-
icatio; sive eadem bonitas ut reduplicativè sumpta: ergo
d determinat rationem *qua* ipsius finis ad ipsam voluntatem
est aliud quam ratio reduplicata boni: ergo hoc ipso quod
t ratio formalis sub qua, quæ determinat rationem quæ ad
n potentiam vel habitum [quod est primum præmissum
cipium] est hoc ipso bonitas finis, sumpta scilicet reduplica-
formalis ratio sub qua habet finalizare.

robatur 2. Ex secundo præmisso principio: *Nihil est voli-
quin præcognitum*: Ergo formalis ratio sub qua habet fi-
nalizare, non est ipsa apprehensio bonitatis, sed ipsa potius
ehensa bonitas sumpta sub ratione bonitatis. *Probatur
equentia*, formalis ratio sub qua habet finis finalizare, non
st aliis à fine convenire: sed hoc ipso quod nihil est voli-
quin præcognitum, habet ipsa ratio seu formalitas appre-
i aliis convenire à fine: ergo hoc ipso quod nihil est voli-
quin præcognitum, non potest ratio apprehensi esse for-
s ratio sub qua habet bonitas finis finalizare. *Major* est
ssima, & ex ipsis patet terminis. *Probatur Minor*, non potest
cogniti seu apprehensi non convenire omni volito, hoc
quod nihil est volitum quin præcognitum; sed dantur alia
e quæ sunt volita; cum esse volitum conveniat etiam me-
ergo hoc ipso quod nihil est volitum, quin præcognitum
t ipsa ratio cogniti seu apprehensi aliis convenire à fine: et-
im formalis ratio sub qua habet finis finalizare non possit
onvenire à fine, nec potest ratio apprehensi seu cogniti esse
formalis ratio, hoc ipso quod nihil est volitum quin præ-
itum, quod est secundum præmissum principium.

obatur 3. Ex tertio præmisso principio: *Variata in aliquo ra-
formali sub qua, non potest non variari essentialiter actus,*

qui

ſub qua percipitur ab intellectu, ita ad intellectum determinatur, ut non poſſit ſub tali ratione attingi à viſu vel ab altera potentia: ergo ea eſt ratio formalis *ſub qua*, quæ determinat rationem *quæ* ad talem potentiam vel habitum.

Quantum verò ad ſecundum, puta quod nihil eſt volitum quin præcognitum, ex eo patet quod voluntas eſt eſſentialiter potentia cæca, ſequens ex ſui natura ductum rationis: ergo ad id ſolum fertur voluntas, quod eſt à ratione ſeu intellectu ipſi propoſitum: jam ſic eſt quod hoc ipſo quod eſt ab intellectu propoſitum, eſt cognitum; cum hoc ipſo illud attingat intellectus, & non attingat niſi cognoſcendo & intelligendo: ergo nihil poteſt eſſe volitum, quin ſit hoc ipſo præcognitum; denique quod variata in aliquo ratione formali ſub qua, variatur & eſſentialiter actus, qui eſt ad illud, quod eſt tertium præmiſſum principium. ex eo colligitur, quod reſpectu unius potentiæ vel habitus una tantum eſſe poteſt ratio formalis ſub qua, ſicut & unum tantum formale objectum, & unum ſpecificativum: ergo variatio in ratione formali ſub qua variationem arguit in habitu ſive in potentia: ſed ad variationem potentiæ vel habitus variatur eſſentialiter actus ut per ſe patet; ergo variata ratione formali ſub qua in aliquo, non poteſt non variari eſſentialiter actus, qui eſt ad illud. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſtionis reſolutione & concluſionis ad eadem principia reductione fit:

CONCLUSIO: *Formalis ratio ſub qua finis finalizati eſt ipſa realis ejus bonitas reduplicativè ut talis, non autem ipſa apprehenſio bonitatis.*

Probatur 1. Ex primo præmiſſo principio: *Ea eſt ratio formalis ſub qua, quæ determinat rationem quæ ad talem potentiam vel habitum*: ergo formalis ratio ſub qua finis finalizat eſt ipſa realis ejus bonitas, ut talis, non autem ipſa apprehenſio bonitatis. *Probatur conſequentia*, quod determinat rationem *quæ* ipſius finis ad ipſam voluntatem non aliud eſt quam ratio reduplicata boni: ergo hoc ipſo quod ea eſt ratio formalis ſub qua, quæ ita determinat rationem quæ, non eſt alia formalis ratio ſub qua ipſius finis, quam ejus bonitas ſumpta formaliter & reduplicativè. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*, ratio *quæ* ipſius finis non eſt alia quam ejus bonitas ſpecificativè ſumpta: ſed quod bonitatem determinat ſpecificativè ſumptam ad voluntatem non eſt alia quam reduplicatio ejuſdem bonitatis, ſive eadem bonitas accepta reduplicativè: ergo quod determinat rationem *quæ* ipſius finis ad ipſam voluntatem, non

aliud

aliud est, quam ratio reduplicata boni. *Major* conceditur, ipsa enim bonitas finis ita specificativè sumpta, & est id quod attingitur à voluntate respectu cujus finalizat, & quod etiam attingitur ab aliis potentiis, puta ab intellectu; in quo quidem consistit id quod dicimus rationem *quæ*, ut colligitur ex præmissis. *Probatur Minor*. sumpta bonitas finis specificativè, à variis attingitur potentiis, puta & ab intellectu & à voluntate, non autem sumpta sub reduplicatione boni: ergo per hoc & hoc ipso, quod reduplicative sumitur præfata bonitas, ad unam limitatur & determinatur potentiam: sed non ad aliam pertinere potest bonitas reduplicativè ut talis, quam ad voluntatem, ut conceditur, & per se patet: ergo quod bonitatem determinat specificativè sumptam ad voluntatem non est aliud quam bonitatis reduplicatio; sive eadem bonitas ut reduplicativè sumpta: ergo quod determinat rationem *quæ* ipsius finis ad ipsam voluntatem non est aliud quam ratio reduplicata boni: ergo hoc ipso quod ea est ratio formalis sub qua, quæ determinat rationem quæ ad talem potentiam vel habitum [quod est primum præmissum principium] est hoc ipso bonitas finis, sumpta scilicet reduplicativè formalis ratio sub qua habet finalizare.

Probatur 2. Ex secundo præmisso principio: *Nihil est volitum quin præcognitum*: Ergo formalis ratio sub qua habet finis finalizare, non est ipsa apprehensio bonitatis, sed ipsa potius apprehensa bonitas sumpta sub ratione bonitatis. *Probatur consequentia*. formalis ratio sub qua habet finis finalizare, non potest aliis à fine convenire: sed hoc ipso quod nihil est volitum quin præcognitum, habet ipsa ratio seu formalitas apprehensi aliis convenire à fine: ergo hoc ipso quod nihil est volitum quin præcognitum, non potest ratio apprehensi esse formalis ratio sub qua habet bonitas finis finalizare. *Major* est certissima, & ex ipsis patet terminis. *Probatur Minor*, non potest ratio cogniti seu apprehensi non convenire omni volito, hoc ipso quod nihil est volitum quin præcognitum; sed dantur alia à fine quæ sunt volita; cum esse volitum conveniat etiam mediis: ergo hoc ipso quod nihil est volitum, quin præcognitum habet ipsa ratio cogniti seu apprehensi aliis convenire à fine: ergo cum formalis ratio sub qua habet finis finalizare non possit aliis convenire à fine, nec potest ratio apprehensi seu cogniti esse talis formalis ratio, hoc ipso quod nihil est volitum quin præcognitum, quod est secundum præmissum principium.

Probatur 3. Ex tertio præmisso principio: *Variata in aliquo ratione formali sub qua, non potest non variari essentialiter actus*,

qui

qui eſt ad illud: Ergo non poteſt ratio apprehenſi eſſe in bonitate finis formalis ratio ſub qua habet finalizare. *Probatur conſequentia*, variata in fine etiam ſpecificè & eſſentialiter ratione apprehenſi, non propterea variatur eſſentialiter actus qui eſt ad finem: ergo hoc ipſo quod variata ratione formali ſub qua, variati debet eſſentialiter actus, non poteſt ipſa ratio apprehenſi eſſe in bonitate finis formalis ratio finalizandi. *Conſequentiæ* eſt evidens. *Probatur antecedens* idem eſt eſſentialiter actus, qui ad Deum tanquam in finem terminatur & in via & in patria: ſed non eſt eadem eſſentialiter ratio apprehenſi: ergo variata in fine eſſentialiter ratione apprehenſi, non propterea variatur eſſentialiter actus, qui eſt ad finem. *Major* eſt ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 13. dicente, quod charitas, quæ quidem eſt ad Deum ut finem ultimum, nunquam excidit, neque evacuabitur: quod utique non eſſet ſi eadem eſſentialiter quæ eſt in via non maneret in patria, ſed alius ſpecificè diſtinctus ſuccederet amor. *Probatur Minor*, apprehenſio, eſſentialiter obſcura non poteſt eſſe eadem cum ea quæ eſt eſſentialiter clara: ſed apprehenſio, ſcilicet ſupernaturalis, de qua eſt ſermo, qua apprehenditur Deus in via, eſt eſſentialiter obſcura, cum ſit ex fide quæ eſt habitus eſſentialiter obſcurus, & propterea excidens & evacuandus in patria; apprehenſio vero qua idem apprehenditur Deus in patria eſt eſſentialiter clara, cum ſit ex lumine gloriæ, quo eum videbimus ſicuti eſt, & facie ad faciem, ut dicit Scriptura: Ergo non eſt eadem eſſentialiter ratio apprehenſi reſpectu finis ultimi in via & in patria: ergo variatur eſſentialiter in fine ratio apprehenſi, abſque eo quod varietur eſſentialiter actus qui eſt ad finem: ergo hoc ipſo quod variata eſſentialiter ratione formali ſub qua, non poteſt non variari eſſentialiter actus [quod eſt tertium præmiſſum principium] non poteſt ratio apprehenſi eſſe in bonitate finis formalis ratio finalizandi.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Illud eſt in fine ratio formalis ſub qua, ad cujus variationem formaliter variatur in eſſe finis: ſed ad ſolam variationem apprehenſionis, formaliter variatur in ratione finis: ergo ratio apprehenſi eſt in fine formalis ratio, ſub qua habet finalizare. *Probatur Minor*, hoc ipſo quod variantur formaliter actus qui ſunt ad finem, variatur & finis formaliter: ſed ad ſolam variationem apprehenſionis variantur formaliter actus, qui ſunt ad finem: ergo ad ſolam variationem apprehenſionis formaliter varia-

variatur in ratione finis. *Probatur Minor*, idemmet finis apprehensus ut præsens gaudium causat, & apprehensus ut absens, causat desiderium, qui quidem actus sunt distincti formaliter; sed ibi non variatur nisi apprehensio, cum idemmet supponatur bonum: ergo ad solam variationem apprehensionis variantur formaliter actus qui sunt ad finem.

Respondeo Negando Minorem primi & secundi argumenti, quarum falsitas patet ex tertia probatione conclusionis. Ad tertium autem nego similiter minorem; quamvis enim in apprehensione boni absentis vel præsentis, ad quem sequitur desiderii actus vel gaudii, idemmet supponatur bonum transcendentale, est tamen ibi aliud & aliud bonum formale. Pro quo notandum est, bonum esse duplex; alterum transcendentale, formale alterum: transcendentale bonum illud est, cui nihil deest ad complementum suæ naturæ: qua ratione dicitur Genesis 1. *Vidisse Deum cuncta quæ fecerat, & esse valde bona*; Et de hac etiam bonitate dicimus cibum esse bonum, sive dulcis sit, sive insipidus; quia nihil ei deest ad rationem cibi. Bonum autem formale est id quod est conveniens alicui naturæ: qua ratione calor dicitur bonus igni, frigiditas aquæ, & locus deorsum gravi: Jam sic est, quod quando idem apprehenditur bonum modo præsens, modo absens; ibi intervenit alia & alia convenientia respectu naturæ appetentis, cum certum sit aliter esse conveniens finis possessionem, quam eundem ut absentem, ut ipsa testatur experientia: ergo licet ex apprehensione absentis boni vel præsentis causentur actus gaudii & desiderii, & consequenter varientur formaliter actus qui sunt ad finem, non propterea hoc evenit ex sola variatione in ratione apprehensi, sed ratio potius immediata hujus variationis in actibus, est variatio boni formalis, quæ ibi intervenit, quamvis diversa apprehensio quatenus diversum applicat objectum sit quasi prima radix diversitatis talium actuum.

Instabis: Bonum transcendentale, hoc ipso quod tale, habet esse conveniens: sed ex diversa apprehensione præsentis boni vel absentis, non propterea variatur bonum transcendentale, ut conceditur, cum idem supponatur in esse entis: ergo nec propterea variatur ibi bonum conveniens, adeoque sola ibi variatur apprehensio seu propositio objecti. *Probatur Major*, bonum quod est objectum voluntatis non potest non esse conveniens: sed bonum transcendentale, est hoc ipso quod tale objectum voluntatis: ergo bonum transcendentale hoc ipso quod tale habet esse conveniens. *Major* per se patet. *Probatur Minor*,

Minor, bonum tranſcendentale eſt id haud dubiè, quod ſequitur ut attributum entis ; ſed bonum quod ſequitur ut attributum entis eſt hoc ipſo quod tale objectum voluntatis ; cum hoc ipſo quod tale ſequatur ad attributum veri, & bonum non ſequatur ad attributum veri, niſi quia eſt objectum voluntatis, quæ ſequitur ad intellectum, cujus ly *verum* eſt objectum : ergo bonum tranſcendentale eſt hoc ipſo quod tale objectum voluntatis.

Reſpondeo Negando Majorem ; cujus ratio eſt, quia ex bonitate convenienti ſive formali oritur amabilitas ; ſecus autem ex tranſcendentali ; nam ex eo quod aliquid eſt conveniens alicui naturæ, provenit quòd ſit appetibile ab illa ſive appetitu innato, ſive elicito : unde licet cibus inſipidus, & locus ſurſum, & calor ſint bona tranſcendentalia, neque cibus inſipidus appetitur à ſenſu guſtus, neque locus ſurſum à lapide, neque calor ab aqua : quia ſcilicet appetibilitas non oritur ex quacumque bonitate, ſed tantùm ex bonitate formali & conveniente, atque adeo non bonum tranſcendentale ut tale, ſeu non quodcumque bonum eſt appetibile, ſed tantum illud quod fuerit conveniens naturæ appetentis, juxta illud Ariſtotelis *8. Eth. cap. 5. Amabile quidem bonum, unicuique autem proprium.* Non ergo bonum tranſcendentale ut tale habet eſſe & conveniens bonum, cum ex hoc ſequatur appetibilitas, non ex illo.

Unde ad probationem Nego minorem : Ad tertium autem nego majorem, bonum enim quod ibi dicitur tranſcendentale, non habet conſtituere unum ſpeciale attributum entis, nec conſequenter ſequi ad attributum veri, ſed potius divagatur per rationem eſſentialem entis, & per omnia attributa, & per intelligibilitatem & bonitatem ; cujus ratio eſt quia bonum illud tranſcendentale dicitur, cui nihil deeſt ad complementum ſuæ naturæ, ut dictum fuit ſupra : Jam ſic eſt, quod in ipſa ratione entis ut antecedente ſua attributa, nec non & in quovis ejus attributo poſſumus intelligere entitatem ſeu rationem integram & completam, ut per ſe patet : Ergo bonum quod ibi dicitur tranſcendentale non habet conſtituere unum ſpeciale attributum entis, nec conſequenter ſequi ad attributum veri, ſed potius divagatur per rationem eſſentialem entis, & per omnia attributa entis, ſeu & per intelligibilitatem & bonitatem ; & ita inquantum tranſcendentale non eſt objectum voluntatis, nec conſequenter conveniens in quantum tale.

Objicies 2. Illud eſt in fine formalis ratio finalizandi, ex quo præcisè habet movere voluntatem : ſed ex ſola apprehenſione boni-

bonitatis habet finis voluntatem movere: ergo sola apprehensio bonitatis est in fine formalis ratio finaliter movendi. *Probatur Minor*, non minus aliquando voluntatem movet bonitas ficta, quam bonitas vera & realis, sed bonitati fictæ & reali nihil est commune præter ipsam bonitatis apprehensionem: ergo ex sola apprehensione bonitatis habet finis movere voluntatem.

Respondeo Negando Minorem: ex eo enim habet finis voluntatem movere, cujus gratia movetur voluntas, seu aliquid facit ad ipsum consequendum finem: jam sic est, quod non ei qui infirmus media nec potionem sumit, nec alia adhibet ad consequendam sanitatem gratia apprehensionis sanitatis, sed gratia potius bonitatis realis ipsius sanitatis cum non appetat infirmus sanitatem, imo potius ut illam appetat, supponatur jam apprehensa: falsum ergo est, quod ex ipsa apprehensione bonitatis habeat finis voluntatem movere, unde ad probationem minoris negatæ nego similiter minorem, puta quod bonitati fictæ & reali nihil sit commune, ex quo habeant voluntatem movere, præter ipsam apprehensionem bonitatis. Conveniunt enim bonitas ficta & vera seu realis, in eo quod in utraque est bonitas supposita, quamvis uni supponatur falsò, & alteri verè; & licet suppositio illa bonitatis in bonitate ficta pendeat ex apprehensione; nihilominus quod deinde voluntatem moveat, hoc non habet formaliter ex apprehensione, sed ex ipsamet bonitate supposita; cujus ratio est, quia ex eo habet bonitas ficta movere voluntatem, ex quo non consecuto frustratur voluntas, seu actio voluntatis; cum non nisi ad consecutionem moveat: sed sic est, *Notâ* quod non potest frustrari voluntas circa apprehensionem bonitatis, cum hæc de necessitate supponatur ad actionem voluntatis: Non ergo ipsa apprehensio bonitatis est id quo formaliter movet bonitas ficta voluntatem, sed ipsa potius realis bonitas ibi supposita ac voluntati proposita, licet non nisi falsò supponatur & proponatur.

Instabis, Formalis ratio ex qua habet bonitas ficta movere voluntatem est ipsa existentia bonitatis: sed non alia est existentia bonitatis in bonitate ficta, quam ejus apprehensio: ergo nec alio habet bonitas ficta movere voluntatem, quam ipsa apprehensione bonitatis.

Respondeo Negando absolutè majorem: non enim existentia bonitatis est vel esse potest in fine formalis ratio finaliter movendi, sed est ad summum sicut & in causa efficienti, & in aliis causis conditio indispensabiliter requisita; & ideo cum apprehensio sit ipsa existentia finis in esse objectivo, & ad hoc tan-

tum munus requiratur, nec poteſt ipſa eſſe formalis ratio, ſub qua habet bonitas, ſive vera ſive ficta finalizare. Jam vero quod ipſa exiſtentia bonitatis non ſit nec eſſe poſſit formalis ratio ſub qua habet finis finalizare, præter quam quod hoc generaliter concluditur in omnibus cauſis, de quibus aſſeritur communiter quod exiſtentia eſt conditio tantum indiſpenſabiliter requiſita ad ſuas exercendas cauſalitates, poteſt hoc ſpecialiter probari in cauſa finali ex eo ſcilicet, quod formalis ratio ſub qua habet finis finalizare pertinere debet ad ipſam lineam appetibilitatis, tum quia talis formalis ratio *ſub qua* eſt determinativa bonitatis finis ad eſſe objectum voluntatis, quæ eſt appetitiva potentia; tum quia determinando & contrahendo ipſam bonitatem finis quæ eſt intra lineam appetibilis, relinquit illam intra eandem lineam appetibilis; alias non contraheret, ſed potius extraheret & extenderet ad aliam lineam: jam ſic eſt, quod ipſa exiſtentia bonitatis finis, præcisè ut exiſtentia eſt, & præſertim objectiva, qualis eſt ejus apprehenſio, non pertinet ad lineam appetibilitatis & appetibilis, ſed potius ad lineam manifeſtativi & cognoſcibilis: ipſa namque exiſtentia objectiva ſeu apprehenſio bonitatis habet ſolummodo illam manifeſtare: ergo falſum eſt, quod formalis ratio ſub qua habet bonitas finis finalizare ſit ipſa exiſtentia bonitatis; atque ita quamvis ipſa apprehenſio ſit ejus exiſtentia objectiva, non propterea ſequitur quod eſſe debeat formalis ratio ſub qua habet finis finalizare, ſed ad ſummum quod ſit conditio requiſita per modum applicantis ipſum objectum ſeu bonitatem finis ad ipſam voluntatem: & conditio *indiſpenſabiliter* requiſita per modum exiſtentiæ objectivæ ipſius finis. Ex quibus ſequitur, quod cum dicitur, finem movere ſecundum quod apprehenſum, aut ſecundum quod eſt in apprehenſione, vera quidem eſt propoſitio, ſi ly *ſecundum* denotet ſolum conditionem movendi & finalizandi; eſt autem omnino falſa, ſi ly ſecundum denotet rationem formalem ſub qua movet & finalizat.

Nota.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo, Favere S. Doctorem præfatæ noſtræ concluſioni; quod in primis colligo ex his, quæ docet *q. 25. de verit. art. 1. ad 6.* ubi dicit, *Sumi diſtinctionem virium appetentium ex diverſitate apprehenſionis per accidens, per ſe autem ex diverſitat. apprehenſorum* Hæc ibi S. Doctor, ex quibus argumentor ſic: ſola ratio formalis objecti eſt ratio per ſe diſtinguens vires ſeu potentias

tias & facultates: ergo quod se habet per accidens ad distinctionem vitium seu potentiarum non potest cadere sub ratione formalis objecti: sed ex D. Thoma loco citato diversitas apprehensionis se habet solum per accidens ad distinctionem virium seu potentiarum appetentium, voluntatis scilicet & appetitus sensitivi: ergo ex D. Thoma non potest apprehensio esse de ratione formali objecti hujusmodi potentiarum, nec consequenter esse in fine formalis ratio finalizandi.

Secundò, hoc idem colligo ex his quæ docet D. Thomas *q. 22. de verit. art. 2.* ubi ait: *Sicut influere causa effectivi est agere, ita influere causa finalis est appeti & desiderari.* Hæc D. Thomas ex quibus sic licet arguere; ex D. Thoma influere causæ finalis est appeti & desiderari: ergo illa est formalis ratio finalizandi, quod est ipsi fini ratio sub qua habet appeti & desiderari: ergo illa est formalis ratio finalizandi, quod contrahit & determinat finem ad esse objectum appetitus seu voluntatis: sed determinatur finis ad esse objectum voluntatis, potius quam intellectus ex ratione reduplicata boni, non autem ex ratione reduplicata apprehensi, ut per se patet: ergo ex D. Thoma ipsa ratio reduplicata boni est in fine formalis ratio sub qua habet finalizare.

Dices: Videtur D. Thomas oppositum docere ubi supra *1. p. q. 80. art. 2. ad primum*, ubi hæc habet: *Appetibili non accidit esse apprehensum per sensum, vel intellectum; sed per se ei convenit; nam appetibile non movet appetitum, nisi in quantum est apprehensum. Unde differentiæ apprehensi, sunt differentiæ appetibilis; ideoque potentiæ distinguuntur secundum differentiam apprehensorum, sicut secundum propria objecta.* Hæc ibi D. Thomas, ubi cum asserat, quod appetibili non accidat esse apprehensum, sed ei per se conveniat, manifestè indicat apprehensionem non esse solum conditionem, sed rationem formalem appetibilis, ut appetatur; cum sola formalis ratio per se conveniat, conditio verò quasi per accidens. Cumque subdat, differentiam apprehensi esse differentiam appetibilis, & quod potentiæ appetitivæ distinguuntur secundum differentiam apprehensorum, idem videtur confirmare: non enim nisi per id quod se habet ut ratio formalis in objecto aliquæ distinguuntur potentiæ.

Respondeo, Ibi solum intendere D. Thomam quod apprehensio sit conditio per se & indispensabiliter requisita, ut appetibile terminet appetitum, & illum causaliter distinguat; quatenus scil. diversa apprehensio sensus vel intellectus diversam applicat rationem objecti, licet formaliter non à tali apprehensione applicante, sed à diverso applicato seu apprehenso distinguatur.

Quod autem hæc ſit mens D. Thomæ, præterquam quod habetur ex verbis ſupra citatis *ex quæſt 25. de veritate*, colligi etiam poteſt ex ipſis verbis ab arguente ibi relatis: ibi namque non dicit D. Thomas, quod differentiæ apprehenſionis, ſed quod differentiæ apprehenſi ſunt differentiæ appetibilis, ut indicaret, quod per diverſam apprehenſionem ſenſus vel intellectus diverſum apprehenditur objectum & voluntati proponitur, ex quo immediatè oritur præfata diſtinctio. Nam & docet idem S. Doctor *q. 25. de verit. art. 1. ad 6. Senſus qui non eſt niſi particularium, non apprehendit bonitatem abſolutam ſed hoc bonum. Intellectus verò, qui eſt univerſalium, apprehendit bonitatem abſolutam, ex quo diverſificatur appetitus inferior à ſuperiori.* Ecce qualiter D. Thomas, licet radicaliter & cauſaliter ex diverſitate potentiæ apprehenſivæ & illius apprehenſionis deſumat differentiam potentiæ appetitivæ, illam tamen ex diverſo apprehenſo formaliter deſumit.

QUÆSTIUNCULA.

Vtrum bruta agant formaliter propter finem.

Reſpondeo negativè; cujus ratio eſt, quia agere formaliter propter finem eſt media aſſumere & ex eo qui gratiâ finis; cum finis ex propria definitione & conſequenter formaliter ſit id, cujus gratia aliquid fit: ſed impoſſibile eſt, quod bruta media aſſumant & ex eo quantur gratia finis: Ergo & impoſſibile eſt, quod agant bruta propter finem formaliter ut finis eſt. *Probatur Minor*, media aſſumere *gratia* finis, eſt illa aſſumere *intuitu* ipſius finis: ſed impoſſibile eſt, quod bruta media aſſumant intuitu ipſius finis: ergo nec quod illa aſſumant gratia finis. *Probatur Minor*, media aſſumere intuitu finis, eſt illa aſſumere ratione proportionis quam habent ad finem: ſed impoſſibile eſt, quod bruta media aſſumant ratione proportionis ſive habitudinis, quam habent ad finem: ergo & impoſſibile eſt, quod bruta media aſſumant intuitu finis. *Probatur Minor*, non poſſunt media aſſumi ratione habitudinis ſeu proportionis quam habent ad finem, quin talis cognoſcatur proportio & habitudo: ſed impoſſibile eſt quod talis proportio ſeu habitudo cadat ſub ſenſu, ſeu ſenſitiva cognitione brutorum: ergo & im-

impossibile est, quod bruta media assumant ratione proportionis quam habent ad finem. *Probatur Minor*, multipliciter.

Primò, quidem ex D Augustino *libro octuaginta trium quæstionum quæst. 3 scire quo quidquam referendum sit, non datur rationis expertibus*: sed cognoscere proportionem seu habitudinem mediorum ad finem, est scire quo quidquam referendum sit: ergo ex D. Augustino non cadit proportio & habitudo illa sub sensu, seu sensitiva cognitione brutorum.

Secundò, quod est de difficilioribus quæ investigantur ab intellectu, illud haud dubiè adire non potest sub sensu: sed proportio, habitudo & relatio sunt de difficilioribus quæ ab intellectu investigantur, cum inter omnes entitates sint omnium minutissimæ entitates: ergo non potest proportio sive habitudo medii ad finem cadere sub sensu seu sensitiva cognitione.

Tertiò, omnis sensitiva cognitio objectum habet determinatum & limitatum, cum sit actio potentiæ affixæ organo corporeo, certo & determinato: ergo terminari non potest sensitiva cognitio ad plura omninò diversa, sive quæ tantum differunt, quantum duo entia differre possunt: sed si attingeret sensitiva cognitio proportionem & habitudinem medii ad finem, attingeret duo aliqua omninò diversa, sive quæ tantum differunt, quantum duo differre possunt; cum in hoc casu attingeret & medium, & habitudinem seu proportionem medii; quæ quidem duo differunt, quantum duo aliqua differre possunt; ex eo scilicet quod habitudo seu proportio sit in prædicamento relationis, & medium secundum se supponatur in prædicamento absolutorum: ergo impossibile est quod proportio seu habitudo medii ad finem cadat sub sensu seu sensitiva cognitione brutorum.

Dices: Ideo ergo non possunt bruta agere formaliter propter finem, quia proportionem non cognoscunt mediorum ad finem, & finis ad media: sed in pluribus saltem casibus non intelligibile est, quod talis non cognoscatur proportio: ergo & non intelligibile est, quod bruta non agant formaliter propter finem. *Probatur Minor*, non possunt eligi proportionata media, relictis improportionatis, quin hoc ipso cognoscatur proportio; sed plures dantur casus in quibus relictis improportionatis mediis, eliguntur à brutis proportionata media: ut accidit, dum canis alligato objicitur caro, & ipse appetit dirumpere vincula; item dum colligit hirundo festucas ad construendum nidum; vel dum in æstate formicæ colligunt grana, reconduntque se in

ſuis cavernis, ad vitam tranſigendam in hyeme : ergo in his falſitatem caſibus inintelligibile eſt , quod non cognoſcatur à brutis præfata mediorum proportio.

Reſpondeo Negando Minorem, cujus falſitas patet evidenter ex dictis in reſponſione ad quæſitum ; ad probationem vero diſtinguo majorem : non poſſunt eligi proportionata media, relictis improportionatis quin hoc ipſo cognoſcatur proportio, ab ipſis brutis talia aſſumentibus media nego majorem : quin hoc ipſo cognoſcatur proportio ab ipſo Deo ex cujus, & ſub cujus directione agunt Concedo majorem ; & in eodem ſenſu minorem concedendo Nego conſequentiam. Pro quo notandum eſt, quod quia Deus naturam condidit animantium irrationalium cum potentiis tantum materialibus & affixis organo corporeo, certo & determinato, ſubindeque & ut cognoſcitivam cognitione determinata ad unum certum determinatum, & ſenſibile objectum, conſequenter fit, quod cum naturam illam ſicut & quamvis aliam condiderit ad ſuos fines, ubi non ſufficit cognitio illa ſenſitiva ad aſſumenda proportionata media in ordine ad aſſecutionem finis, quaſi teneatur Deus ſupplere defectum cognitionis, dirigendo ſcilicet ad illud aſſumendum medium, quod in occurrente caſu aſſumi debet ; & quia non ſufficit cognitio ſenſitiva ad præfata aſſumenda proportionata media, relinquendo improportionata ; cum ad hoc opus ſit, cognoſci habitudinem & proportionem mediorum, quæ quidem à cognitione potentiæ ſenſitivæ & affixæ organo corporeo certo & determinato attingi non poteſt, ut diximus ſupra in reſolutione quæſiti, ideo fit, quod dum cani alligato objicitur caro, & appetit ipſe dirumpere vincula, non propterea hoc fiat, quaſi cognoſcat canis proportionem, quam habet diruptio vinculorum in ordine ad apprehendendam carnem ; ſed quia movetur à Deo auctore naturæ talem cognoſcente proportionem ; & ita de hirundine colligente feſtucas ad conſtruendum nidum, vel de formica colligente in æſtate grana.

Inſtabis : Non aliter colligimus, cognoſcere hominem proportionem mediorum ad finem, niſi quia ipſe de facto talia aſſumit media : ſed ipſa animantia irrationalia, talia de facto aſſumunt media : ergo & ipſa cognoſcere debent proportionem mediorum ad finem.

Reſpondeo Negando abſolute majorem, de qua ſcilicet datur & verificatur caſus oppoſitus. Nam dum quis inter homines agit ad imperium alterius, frequenter accidit, quod aliquid faciat & præſtet quod omino proportionatum eſt & efficaciter con-

conducit ad finem ab imperante præintentum; & tamen quia illud non præstat nisi ex imperio alterius, frequenter accidit quod non cognoscat ipse proportionem, quam quidem habere potest illud, quod facit ad finem intentum. Non ergo ex eo præcisè colligimus hominem cognoscere proportionem mediorum ad finem, quia ipse de facto assumit proportionata media; sed quia & potentiam habet intellectivam nulli affixam organo corporeo, quæ propterea potest apprehendere omne ens, subindeque & rem quæ dicitur medium, & ipsam rationem medii, sive & medium & medii proportionem; & præterea quia homo ex proprio agendi modo agit cum indifferentia nec agit cum determinatione ad unum, adeo ut ex duobus propositis objectis, sive ex æquo sive inæqualiter delectabilibus possit ad libitum quodlibet illorum eligere, ex quo consequenter fit, quod seipsum moveat in agendo, & ita quod possit se movere in media, ratione finis. Cum igitur nullum ex his duobus competat brutis, ut per se patet, consequenter fit quod dum bruta moventur in media vel in finem non propterea cognoscere debeant nec possint proportionem vel finis ad media aut mediorum ad finem; cum nec possint cognoscere omne ens, seu tam insensibile, quam sensibile, ut requireretur, cum præfata proportio seu habitudo sit insensibilis, nec se moveant in media vel in finem sed quodam naturali impulsu & naturali necessitate, sive omni secluſa indifferentia ad talia moveantur.

Quæres quænam sit causalitas finis.

Respondeo primò, causalitatem finis non esse ipsummet actum, quo voluntas appetit finem, sed quandam motionem, excitationem & inclinationem voluntatis à fine, ut voluntas ipsum appetat finem. Ratio autem hujus est, quia omnis cujusliber causalitas mediat & mediare debet inter ipsam causam ut in actu primo completè constitutam ad causandum, & illius effectum; ideo namque actio dicitur causalitas causæ efficientis, quia supponit illam in actu primo constitutam ad causandum, & præcedens illius effectum mediat inter utrumque; jam sic est quod talis excitatio & motio voluntatis à fine mediat inter ipsum finem in actu primo constitutum ad causandum, & illius effectum: primo namque supponit finem in actu primo constitutum, quia scilicet finalis causa constituitur in actu primo ad causandum per suam bonitatem, & applicatur & completur per apprehensionem, quæ quidem duo supponuntur ad talem motionem & excitationem voluntatis à fine; cum ideo

finis voluntatem moveat, quia habet bonitatem applicatam & propoſitam per apprehenſionem intellectus. Item & præcedit præfata motio, ſeu excitatio effectum ipſius finis; cum primus effectus finalis cauſæ ſit actus voluntatis, quo voluntas ipſum appetit finem, & tunc talis motio & excitatio præcedat, quatenus ſcilicet ideo appetit voluntas finem, quia ad illum appetendum eſt ab ipſo fine mota, excitata & inclinata: ergo hujuſmodi motio & excitatio voluntatis à fine debet eſſe id, in quo conſiſtit finis cauſalitas.

Reſpondeo ſecundò, pro majori hujus declaratione, quod talis motio & excitatio finis, quo ad ſui amorem movet excitat voluntatem, & in qua diximus, cauſalitatem finis conſiſtere, nihil reale etiam intentionale imprimit voluntati; ſed ſolum per quandam ſimpathiam cum ipſa illam ſic movet & excitat. Ratio autem primæ partis eſt, quia tale quid reale quantumvis intentionale, ſi ſemel ſupponatur productum in voluntate, debet habere cauſam aliquam ſui efficientem; non enim dari poteſt effectus realis ſine cauſa efficienti; ſed ſic eſt quod non poteſt finis eſſe efficiens cauſa illius realis, tum quia cauſalitas finis non eſt cauſalitas efficiens, tum etiam quia poteſt finis non realiter phyſicè, ſed realiter ſolum in apprehenſione exiſtens ſuam exercere cauſalitatem finalem: ergo finalis cauſa per talem motionem & excitationem nihil propterea reale, etiam intentionale imprimit voluntati. Unde dicendum eſt, quod ſolum voluntatem movet & excitat per quandam cum voluntate ſimpathiam; cujus ratio eſt, quia propter ſimpathiam, quam habet voluntas cum bonitate ſibi convenienti, eo ipſo quod aliqua bonitas ſibi conveniens ab intellectu ei proponatur, ſi alias voluntas propter inclinationem ad aliud objectum non ſit ad iſtud indiſpoſita aut indurata, inclinatur, movetur & excitatur, ut iſtud appetat, & in amorem & appetitum elicitum illius prorumpat.

Quod ſi dicas, quod in voluntate ſolum illius actus elicitus circa aliquod objectum habet rationem inclinationis ad illud; ac proinde quod antecedenter ad actum elicitum, quo voluntas appetit finem, nulla intelligitur inclinatio, aut propenſio ipſius voluntatis ad illum. Ad hoc reſpondetur negando præfatum antecedens, nam voluntatem prius, quaſi per modum cujuſdam ponderis & inclinationis naturalis intelligimus inclinatam ad finem, & poſtea per actum elicitum appetitus ipſius finis ad ipſum finem libere & virtualiter inclinare. Unde cum ait D. Thomas *queſt. 22. de veritate art. 2.* quod ſicut influere cauſæ

sæ efficientis est agere, ita & influere causæ finalis est appeti & desiderari, loquitur ibi S. Doctor non de actu elicito voluntatis, quo ab illa appetitur & desideratur finis: sed de priori & præfata voluntatis inclinatione & propensione ad finem, per simpathiam habita, qua etiam quasi quodam appetitu innato finis appetitur & desideratur.

Dices quod nullatenus potest dari causalitas alicujus causæ, absque eo quod detur effectus illius; licet enim causa in actu primo dari possit absque suo effectu, non tamen ut in actu secundo causans: sed sic est, quod dari potest præfata motio & excitatio voluntatis a fine, absque eo quod detur effectus aliquis, aliquis videlicet actus voluntatis; cum adhuc tali supposita motione & excitatione voluntatis a fine, voluntas maneat libera ad elicientiam & non elicientiam sui actus ad finem: ergo in tali motione voluntatis à fine prævia ad omnem actum ipsius voluntatis consistere nequit finis causalitas.

Respondeo primò, negando minorem: effectus namque primus & immediatus talis motionis & excitationis finis, in qua ejus causalitas finalis consistit, in hoc est, quod fit voluntas ipsa inclinata, mota & excitata per modum naturalis cujusdam propensionis ad elicientiam actus appetitus elicitu circa finem: & is primus effectus nunquam est a causalitate finis separatus, nec non & quantum est ex se infert etiam in voluntate alium quasi mediatum effectum, scilicet appetitum elicitum ipsius voluntatis circa finem; licet quia voluntas sic prius mota & excitata a fine, adhuc manet libera ad talem actum appetitus eliciti, possit in illum non prorumpere, etiam ut prius mota & excitata. Secundo autem respondeti potest, negando similiter minorem, propterea quod quandocumque adest præfata motio & excitatio voluntatis à fine, in qua ejus causalitas consistit, toties voluntas aliquem actum appetitus elicit, efficacem scilicet vel inefficacem habet circa finem, ut ipsa testatur experientia: quod si accideret nullum talem elici actum, hoc tunc ideo esset, quia revera finis quantumvis ex se in actu primo potens voluntatem movere & excitare, de facto tamen propter ipsius voluntatis indispositionem & duritiem, aut illius ad aliud objectum contrariam inclinationem, nullatenus illam moveret & excitaret finis; & ita nunquam salvatur causalitas finis, absque eo quod de facto inferat aliquem actum circa illum à voluntate elicitum, efficacem scilicet vel inefficacem.

COROLLARIUM

De caſu, fortuna, & fato.

Notabis primò, fortunam, ex Ariſtotele, eſſe cauſam efficientem per accidens, in his quæ ſecundum propoſitum fiunt, raroque contingunt. Primò quidem reducitur fortuna ad cauſam efficientem, eo quod ſcilicet non inveniatur niſi in his, quæ ex intentione operantur, & operari ex intentione ſoli competat efficienti cauſæ. Secundò dicitur fortuna cauſa per accidens, ad differentiam ſcilicet cauſæ per ſe, quæ quidem verificari nequit de fortuna, ut ex terminis patet. Quia tamen multiplex eſt cauſa per accidens: non propterea omnis illa eſt fortuna, ſed illa ſolum, quæ præter intentionem operantis aliquem attingit effectum: ut cum fodiens terram ex intentione ſepeliendi defunctum, aliquem invenit theſaurum, additur autem tertia particula, quod ſcilicet fortuna in his reperitur, quæ rarò contingunt: nam in his quæ frequenter accidunt, etiamſi præter intentionem agentis contingant, propriò non eſt fortuna; dicitur tandem fortuna reperiri ſolum in his, quæ ſecundum propoſitum operantur; in aliis namque effectus per accidens & præter intentionem agentis ſecutus, à fortuna non eſt, ſed à caſu; unde definitio caſus eadem eſt ac definitio fortunæ, hac ultima dempta particulâ.

Notabis ſecundò, poſſe quidem reſpectu agentium particularium reperiri caſum & fortunam, non vero reſpectu Dei, effectus namque fortuitus contingit ex concurſu duarum cauſarum præter intentionem illarum, ut patet in exemplo, quod affert Divus Thomas 1. *p. quæſt.* 116. *art.* 1. de domino mittente duos ſervos ad eundem locum, & quidem utrumque ſeorſum, cum intentione, ut tali loco mutuò ſibi occurrerent; tunc enim occurſus illorum erit quidem reſpectu illorum fortuitus, & præter illorum intentionem, non tamen erit fortuitus reſpectu Domini illos in talem locum dirigentis, cum non ſit præter intentionem illius, utpote qui ut ſibi occurrerent, illos in talem locum miſit & deſtinavit. Cum igitur reſpectu cauſarum inferiorum poſſit aliquid hoc modo contingere præter illam intentionem, nihil tamen poſſit eſſe præter intentionem Dei, qui omnia præ-

prævidet & determinat, ideo respectu causatum inferiorum, potest esse fortuna, & effectus fortuitus, non tamen respectu Dei. Et hoc modo concedere fortunam, nullum est inconveniens; solumque inconvenit illam concedere, ut aliqui Gentiles existimantes fortunam esse aliquam primam causam effectuum per accidens; qui non reducebantur ad Deum.

Notabis tertiò, fatum esse ipsam infallibilem dispositionem causarum creatarum derivatam à divina providentia ad executionem effectuum. In quo opponitur duplici extremo errori, alteri aliquorum existimantium, fatum esse seriem & ordinem naturalium causarum, quæ inevitabili necessitate effectus operatur; alteri aliorum, ut Ciceronis *in libris de natura deorum & de divinatione*, qui ut necessitatem fati adversus Stoicos negaret in aliam incidit amentiam, ut diceret Deum non esse præscium omnium futurorum; dicebat enim, quod si præscita sunt à Deo omnia futura, eo consequenter ordine necessario evenient, quo futura esse præcita sunt; ac proinde non esset in nostra potestate evitare mala quæ facimus, aut facere quæ omittimus bona: & ita inquit D. Augustinus, ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos & divinæ providentiæ injuriosos; fatum igitur eo modo quo Gentiles stabilitebant negamus, & cum Aristotele & D. Thoma 3, *contra gentes cap.* 92. fatum concedimus, prout est ordo causarum naturalium prævisus & prædefinitus seu præordinatus à Deo; cumque Deus quantumvis causas secundas prædefiniat & determinet, quia tamen earum operationem, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum libertatis vel necessitatis definit & determinat, ex tali Dei ordinatione non tollitur libertas causæ secundæ, consequenter fit, quod quamvis fatum sit infallibilis ordinatio causarum naturalium à Deo & ut tale à nobis admittatur, non propterea omnibus causis secundis necessitatem infert, sed quamlibet illarum juxta ejus naturam Deus infallibili suo fato seu prædefinitione determinat & ordinat.

LIBER

LIBER III

Physicæ universalis, ubi de proprietatibus entis seu corporis mobilis in communi.

PRÆTER intrinseca seu essentialia principia, tum præter extrinseca, suas habet proprietates diversas ens seu corpus mobile & naturale; adeoque cum de principiis ejus intrinsecis, materia scilicet & forma actum fuerit in primo libro; & in secundo de principiis ejusdem extrinsecis, quæ sunt efficiens causa & finalis, in hoc consequenter acturi sumus de eius proprietatibus, inter quas considerari solet imprimis motus, tum finitudo, continuitas seu quantitas, locus connaturalis, & tempus sive duratio. Sit igitur

QUÆSTIO I.

Vtrum motus realiter distinguatur à termino ad quem.

PRæmittendum 1. pro declaratione naturæ & quidditatis motus, optime definiri motum, quod sit *actus entis in potentia, prout in potentia*, pro quo est advertendum ex D. Thom. a 3. *physic. lect. 2.* quod antequam aliquid moveatur est in potentia ad actum perfectum, qui est terminus motus, & ad imperfectum qui est ipse motus: sic aqua antequam incipiat calefieri, est in potentia ad esse calidam: cum autem calefit, reducitur in actum imperfectum, qui est motus calefactionis, sed respectu sui termini adhuc remanet in potentia: Ex quo colligitur quod mobile possit esse in triplici statu, videlicet omnino in potentia, & tunc non movetur; vel in actu perfecto & sub termino ad quem, & tunc jam cessat ratio essendi in potentia,

ria, sicut & motus, & succedit mutatum esse, vel denique ut est in actu imperfecto & ut est in via & acquisitione ad actum perfectum, & in tali actu imperfecto consistit illius motus. Unde cum in definitione motus dicitur, quod est actus entis in potentia, actus ibi sumitur quasi indifferenter ad actum perfectum & imperfectum, & ponitur loco generis; & quasi per differentiam constitutivam motus determinatur per alteram definitionis particulam; scilicet *prout in potentia*: per hanc enim particulam distinguitur motus ab omni alio actu, qui quamvis sit actus entis præexistentis in potentia ad illum, non tamen relinquit illud in potentia formaliter ad alterum perfectorem actum, qualiter illud relinquit motus, quatenus est tendentia & via ad terminum ad quem per modum acquisitionis illius, & per modum ipsius fieri, & fluxus ad illum: de hoc ergo motu inquiri solet an realiter distinguatur à termino ad quem; & quia motus ille est *fieri* sui termini, ideo & de illo procedit quæsitum & prout comprehendit motum strictè dictum, qui est motus successivus, & prout etiam comprehendit quamvis mutationem instantaneam v. g. generationem substantialem, utpote quæ est etiam *fieri* sui termini, & ut talis actus entis in potentia prout in potentia; cum prius natura intelligatur in subjecto mobili, quàm forma genita, subindeque & illud in eo priori actuans, relinquat & actu & ut in potentia ad ulteriorem actum, sive ad actum perfectum.

Præmittendum 2. pro declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque vim habitura principii, puta quod *inter ea non est identitas, quorum unum multiplicatur, manente altero immultiplicato*: quod *motus se habet ad terminum ad quem, sicut id quo fit ad id quod fit*: quod *quæ sunt diversa inter se, non possunt identificari cum uno tertio*. Ratio autem primi est quia identitas idem significat & idem sonat quod eadem entitas: sed implicat in terminis quod eadem entitas multiplicata sit, & maneat immultiplicata: ergo & implicat, quod sit inter ea identitas, quorum unum multiplicatur, manente altero immultiplicato. Quantum verò ad secundum, puta quod motus se habet ad terminum ad quem sicut id *quo* fit ad id *quod* fit, ratio hujus est, quia motus se habet ad terminum ad quem sicut fluxus, tendentia, acquisitio & positio illius; ergo & ad illum se habet tanquam ipsius *fieri*; unde cum fieri se habeat ad terminum sicut id *quo* fit, & terminus se habeat ad suum fieri ut id *quod* fit, consequens est, quod ita & tali-

& taliter se habeat motus ad terminum ; denique quod ea quæ sunt inter se diversa , non possint identificari cum uno tertio , quod est tertium præmissum principium ex eo patet principio per se noto , puta quod quæ sunt eadem uni tertio sunt etiam eadem inter se. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis , jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione fit :

CONCLVSIO : *non potest motus esse identificatus cum termino ad quem , sed debet ab eo realiter modaliter distingui.*

Probatur 1. ex primo præmisso principio : *non potest inter ea esse identitas , quorum multiplicatur unum , manente altero immultiplicato :* ergo nec potest motus esse identificatus cum suo termino. *Probatur consequentia*, multiplicatur motus immultiplicato manente termino ad quem : ergo hoc ipso quod non potest inter ea esse identitas, quorum multiplicatur unum manente altero immultiplicato , nec potest motus esse identificatus cum suo termino. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, motus se habet ad terminum ad quem sicut passivum fieri ad rem quæ fit : sed multiplicatur entitativè, passivum fieri , manente re quæ fit unâ & immultiplicata : ergo & multiplicatur motus , immultiplicato manente termino ad quem. *Major* conceditur , & per se patet : ipsum enim passivum fieri est via , & fluxus ad terminum ad quem , ac ejus acquisitio , proindeque & est motus ad illum. *Probatur Minor*, dum homo verbi gratia fit , pendet in suo fieri & ab alio homine & à cœlo & à Deo : sed non pendet uno & eodem passivo fieri , seu una & eadem passivâ dependentiâ : ergo multiplicatur passivum fieri manente re quæ fit una & immultiplicata. *Major* conceditur. *Probatur minor :* passiva dependentia hominis geniti ab alio homine est solum quantum ad fieri, non autem ad conservari , ut per se patet, subindeque & desinit homine genito : sed passiva ejusdem dependentia à causis universalibus , puta à cœlo & à Deo non est solum quantum ad fieri , sed etiam quantum ad conservari , adeoque & continuatur : ergo non pendet homo genitus uno & eodem passivo fieri , seu una & eadem passiva dependentia ab homine generante à cœlo & à Deo : ergo multiplicatur passivum fieri , manente re quæ fit una & immultiplicata : ergo multiplicatur motus immultiplicato manente termino ad quem : ergo hoc ipso quod inter ea esse nequit identitas, quorum multiplicatur unum , manente altero immultiplicato

(quod

(quod est primum præmissum principium) nec potest motus esse indentificatus cum termino ad quem.

Probatur 2. ex secundo præmisso principio: *motus se habet ad terminum ad quem sicut id quo fit ad id quod fit*: ergo non potest motus non distingui realiter modaliter à termino ad quem. *Probatur consequentia*, non potest id *quod* fit sibi identificare illud *quo* fit: ergo hoc ipso quod se habet motus ad terminum sicut id *quo* fit ad id *quod* fit, non potest non distingui à termino ad quem saltem realiter modaliter. *Probatur antecedens*, eadem est ratio identitatis vel distinctionis inter id *quod* fit, & id *quo* fit, ac inter id *quod* facit, & id quo facit: sed id quod facit non potest in creatis sibi identificare illud quo facit: ergo neque illud quod fit potest sibi identificare illud quo fit. *Major* conceditur & patet ex terminis. *Probatur minor*, in nulla creata linea potest actus primus, seu id quod est in actu primo sibi identificare actum secundum: sed id *quod* facit comparatur in linea operandi ad id *quo* facit, tanquam actus primus seu eas in actu primo ad actum secundum: ergo id quod facit non potest in creatis sibi identificare illud quo facit. *Minor* conceditur & per se patet, cum per id *quo* facit, exerceatur res in linea operandi, & reducatur ad actum secundum, seu ad actualitatem ultimam illius lineæ. *Probatur major*, in nulla creata linea potest actus primus esse à se in actu secundo: sed si identificaret sibi suum actum secundum, esset à se in actu secundo: ergo in nulla creata linea potest actus primus sibi identificare actum secundum. *Major* conceditur ab omnibus, & per se patet: esse namque ab alio transcendit omnia quæ sunt in creatura, sicut esse à se transcendit omnia quæ sunt in Deo. *Probatur minor*, omne quod est, & non est tale per causam est à se tale: sed quod sibi identificat actum secundum, est in actu secundo, ut supponitur, & non est in eo per causam: ergo quod sibi identificat suum actum secundum, non potest non esse à se in actu secundo. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*, quod non est tale per causam formalem, seu quod non pendet à causâ formali ut tale sit, illud à nulla habet causa quod sit tale; cum tale quid non habeat tunc materialem causam, utpote quæ correlativa est ad formalem, nec etiam habeat efficientem causam aut finalem, utpote quæ, cum extrinsecæ sint non possunt rem intrinsecè constituere talem, nisi mediante causâ formali, quæ dat esse intrinsecum & specificum: sed quod sibi identificat suum actum secundum non habet tunc formalem causam, per quam

Nota.

Nota.

quam constituatur in actu secundo ; aliàs cum formalis causa non alia esset quàm actus secundus, esset tunc idem causa formalis sui ipsius : ergo quod sibi identificat actum secundum est in actu secundo, nec tamen est in eo per causam : ergo ubi actus primus sibi identificat actum secundum, est ibi in actu secundo : ergo non potest actus primus identificare sibi in creatis actum secundum : ergo non potest id quod facit sibi identificare in creatis id quo facit : ergo nec potest id quod fit sibi identificare id quo fit : ergo hoc ipso quod motus se habet ad terminum ad quem ut id quod fit ad id quo fit (quod est secundum præmissum principium) nec potest motus identificari cum termino ad quem.

Probatur 3. ex tertio præmisso principio : *Quæ sunt inter se diversa, non possunt esse identificata cum uno tertio* : ergo non potest motus esse identificatus cum termino ad quem. *Probatur consequentia*, si identificaretur motus cum termino ad quem, duo inter se diversi motus identificarentur cum uno & eodem termino : ergo hoc ipso quod duo inter se diversa non possunt esse identificata cum uno tertio, nec potest hoc ipso motus esse identificatus cum termino ad quem. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, generatio hominis, & ejusdem reproductio per resurrectionem sunt duo inter se diversi motus : sed si esset motus identificatus cum termino ad quem, duo præfati motus identificarentur cum uno & eodem termino : ergo & cum uno & eodem termino identificarentur duo inter se diversi motus. *Major* per se patet. *Probatur minor*, idem entitativè est homo genitus, & per resurrectionem post mortem reproductus : ergo motus illi generationis & reproductionis terminantur ad unum & eundem entitativè terminum : sed si esset motus identificatus cum termino ad quem, tunc duo illi motus identificarentur cum termino, ad quem terminarentur : ergo si esset motus identificatus cum termino ad quem, tunc duo illi motus identificarentur cum uno & eodem termino : ergo si esset motus identificatus cum termino ad quem, duo inter se diversi motus identificarentur cum uno & eodem termino : ergo si esset motus identificatus cum termino ad quem, duo inter se diversa identificarentur cum uno tertio : ergo hoc ipso quod duo inter se diversa non possunt identificari cum uno tertio (quod est tertium præmissum principium) nec potest esse motus identificatus cum termino ad quem.

Sol-

Solvuntur objectiones.

Objicies primo, id quo procedit effectus est motus ad ipsum: sed effectus seipso & propria entitate procedit: ergo & in seipso & in propria entitate importat motum, subindeque & illum sibi identificat.

Respondeo distinguendo minorem: sed effectus seipso & sua propria entitate procedit, loquendo *ut quod* ita ut ipsa effectus entitas sit id *quod* procedit Concedo: loquendo *ut quo*, ita quod & sit ipsa effectus entitas & id quod procedit, & quo procedit Nego minorem & consequentiam; etenim res se habet in fieri, sicut in esse, & in esse sicut in fieri: jam sic est quod ipsa effectus entitas & natura, quamvis sit id *quod* est, non est nec sibi identificat id *quo* est; ex eo scilicet quod in omni ente per participationem præter id quod participat esse, quod quidem est illud *quod* est, reperitur & repetiti debet id quod participatur, seu ipsum esse participatum, quod est id *quo* participans est: ergo quamvis ipsa effectus entitas sit de facto id quod procedit, adhuc tamen admitti debet superadditum fieri, quod tanquam modus superadditus sit id, quo effectus procedit.

Instabis: si esset præfatum fieri sive præfatus motus modale quid præter entitatem ipsius effectus, esset etiam effectus aliquid sine suo fieri, cum esset aliquid præter illud: sed implicat in terminis, quod sit effectus aliquid sine suo fieri, cum per ipsum fieri ponatur extra causas, subindeque & solum per illud fiat quid: ergo & implicat quod ipsum fieri sit modale quid præter entitatem effectus.

Respondeo negando majorem: Aliud enim est esse entitatem effectus aliquid præter suum fieri, & aliud est esse aliquid sine suo fieri: quod quidem patet & exemplo & ratione: exemplum est in dependentia quam habet omnis & quævis creatura à Deo. Certum enim est quod quævis creatura est aliquid præter illam dependentiam, cum ad illam comparetur tanquam habens ad habitum; & nihilominus ipsa creatura non est aliquid sine tali dependentia, cum media tali dependentia ponatur in rerum natura & participet esse, non ergo verum est, quod illud omne quod est aliquid præter aliud, sit etiam aliquid sine illo; Cujus ratio est, quia hoc ipso quod aliquid comparatur ad aliud ut id quod est ad id quo est, ut id quod fit ad id quo fit, ut id quod dependet ad id quo dependet, est hoc ipso

quid præter illud, ut ex terminis patet: sed hoc ipso quod se habet ut id quod est ad id quo est, &c. esse non potest aliquid sine illo, ut similiter patet ex terminis: ergo ex eo quod effectus est aliquid præter suum fieri, non propterea esse debet aliquid sine suo fieri.

Urgebis, si ipsum fieri esset aliquid præter id quod fit, dum fieret calor verbi gratia in aqua, duplex ibi interveniret mutatio, altera scilicet qua reciperet ipsum fieri, & altera qua reciperet calorem qui fit: sed absurdum est dicere, quod in calefactione aquæ duplex in ea interveniat mutatio; cum non mutetur nisi quia calefit, & unica sit ibi calefactio: ergo non est ipsum fieri aliquid præter entitatem termini qui fit.

Respondeo negando sequelam majoris. Licet enim dum aqua calefit (& idem dico de quolibet alio mobili) duplicem recipiat realitatem, motus videlicet & termini; quia tamen entitas motus est tantum vialis, ac modalis, subindeque & talis, quæ non tam sui est quam alterius, scilicet termini ad quem est, ideo fit quod unica totali mutatione aqua per receptionem motus & caloris mutatur; atque ita non ibi propterea intervenit duplex motus sive duplex mutatio, sed unicus tantum motus cum suo termino, adeo ut per motum incipiat mutari aqua, & perficiatur ejus mutatio receptione termini. Quia enim terminum non potest recipere nisi medio motu, ideo ut mutetur per termini receptionem, oportet quod vialiter etiam & imperfectè mutetur receptione motus, ita tamen quod ex uno & altero una tantum adintegretur mutatio ut dictum est.

Urgebis ultimo, ex Aristotele *in lib. 3. Physicorum textu 4* non est aliud motus præter res ad quas est: sed non potest hoc dictum conciliari cum conclusione, nec cum doctrina supra in solutionibus exposita: ergo non est præfata conclusio & doctrina juxta mentem Philosophi.

Respondeo, negando minorem: potest enim præfatum testimonium dupliciter exponi, & juxta quamlibet expositionem cum conclusione nostra & doctrina supra exposita conciliari. Primò namque exponi potest dicendo, quod in hoc testimonio solum intendit Philosophus, non esse motum aliquam entitatem perfectam & completam præter res ad quas est motus, sed solum entitatem quandam imperfectam, modalem & vialem; hujus autem expositionis fundamentum est, quia hoc ipso quod motus est tantum modus se habens essentialiter *ut quo*, hoc ipso non tam sui est quam alterius sive rei ad quam est; ac proinde cum ea quæ ita se habent, ut non tam sint sui quam alterius

terius, non ponant in numero cum illo propriè loquendo, aut saltem non soleant numerari, quasi ponentia in numero cum illo: ideo fit quod loquens de motu Aristoteles dicat non esse aliquid præter rem ad quam est, quamvis sit modalis & vialis entitas præter illam. Vel secundo intelligi potest hoc testimonium, quod solum intendat Aristotelès, motum non esse aliquid præter rem ad quam est, quod ad diversam pertineat speciem aut diversum prædicamentum; quia scilicet cum motus sit imperfecta entitas & vialis ad terminum, ad speciem per consequens & prædicamentum sui termini reduci debet.

Quenam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo, Divum Thomam omnino favere præfatæ nostræ conclusioni, quod imprimis colligo *ex 3. Physicorum, lect. 4.* ubi hæc habet: *Quantum ad id quod est in rerum natura de motu* [id est quantum ad entitatem] *motus ponitur per reductionem in illo genere quod terminat motum, sicut imperfectum reducitur ad perfectum; sed quantum ad id quod ratio comprehendit circa motum, scilicet esse medium quoddam inter duos terminos, sic jam implicatur ratio causæ & effectus; nam reduci aliquid de potentia in actum non est nisi ab aliqua causa agente. Et secundum hæc motus pertinet ad prædicamentum actionis & passionis.* Hæc Divus Thomas, ex quibus argumentor sic

Motus quantum ad id quod est in rerum natura, sive quantum ad entitatem reducitur ad genus sui termini ex D. Thoma sicut imperfectum ad perfectum: ergo ex D. Thoma motus est imperfecta entitas etiam ut est in rerum natura, & terminus illius entitas perfecta: sed imperfectum in eo statu & sub ea ratione qua imperfectum est distinguitur a perfecto: ergo motus distinguitur ex D. Thoma à termino, nedum secundum considerationem intellectus, sed etiam in rerum natura ut imperfectum à perfecto: sed in rerum natura non distinguitur aliquid ab alio, ut imperfecta entitas, nisi vel quia pars est illius, vel quia est illius modus: ergo cum non sit motus pars sui termini, distingui debet ex D. Thoma tanquam modalis entitas, à re cujus est modus.

Secundò, hoc idem colligo ex his quæ habet Divus Thomas *1. part. quæst. 45. art. 2. ad primum*, ubi inquit: *Quod actio & passio conveniunt in substantia motus, & differunt solum secundum diversas habitudines.* Ex quibus sic arguere licet.

Actio ex D. Thoma est idem entitativè cum motu; sed actio est realiter modaliter distincta à re ex eodem sancto Doctore: ergo & motus. *Probatur Minor*, modus operandi sequitur modum essendi: ergo ubi modus essendi est talis, quod in re distinguitur modaliter id *quo* res est ab eo *quod* est, debet & modus operandi esse talis, quod in eo distinguatur modaliter id *quo* res agit, aut *quo* res fit, [quod quidem non aliud est quam actio] ab eo quod agit aut *quod* fit: atqui perpetuus est Divus Thomas in docendo, quod in modo in essendi creato distinguitur à parte rei in re id quo res est, seu ipsum esse sive existere ab eo *quod* est, seu quod existentiam habet, ut ostendimus *in 1. lib. Metaphys. in quæst. de ente essentia & existentia*. Ergo & sentit D. Thomas quod actio quæ est id quo res agit, & quo res fit, realiter modaliter distingui debeat ab eo, quod agit aut quod fit.

QUÆSTIUNCULA.

Quid requiratur ad unitatem numericam motus.

Respondeo, ad unitatem numericam motus requiri imprimis unitatem numericam mobilis, tũ unitatem temporis; tum etiam unitatem & specificam & numericam termini ad quem ac tandem unitatem agentis totalis, non tamen in esse entis: primo quidem requiritur ad ejus unitatem numericam unitas numerica subjecti mobilis, quod ex eo patet, quia accidentia licet in distinctis numero subjectis possint esse contigua, non tamen continua, ut patet in quantitate, quæ in diversis numero subjectis reperitur: ergo nec motus in diversis numero subjectis potest esse continuus: jam sic est quod ad ejus unitatem numericam requiritur continuitas seu continuatio, cum sit ens successivum: ergo ad unitatem numericam motus requiritur unitas numerica subjecti mobilis.

Quod autem requiratur & unitas temporis, ex hoc colligitur quod motus ut sit numero unus & idem, nulla debet quiete interrumpi; cum interruptio tollat continuationem, in qua consistit unitas successivi entis: ergo ut sit motus numero unus, nulla debet esse pars temporis seu durationis illius, cui pars motus

non

non correspondeat: sed in hoc consistit unitas temporis, quod scilicet nulla sit pars illius, cui non correspondeat pars motus: ergo & requiritur unitas temporis ad unitatem numericam motus. Item requiritur & unitas tum specifica tum numerica termini ad quem: specifica quidem; hæc enim ut dicemus requiritur ad unitatem specificam motus: atqui unitas specifica motus requiritur ad unitatem ejusdem numericam, quæ scilicet in continuatione consistit; propterea quod cum continua sint, quorum ultima sunt unum, & ultima eorum quæ sunt diversæ speciei non possint esse unum, consequenter fit, quod quæ distinctæ sunt specici non possint continuari: ergo ad unitatem numericam motus requiritur unitas specifica termini ad quem: sed præterea requiritur & numerica unitas ejusdem termini, ejus ratio est, quia motus, hoc ipso quod est idem numero, in eodem recipitur subjecto, in quo ejus recipi debet terminus: cum idem sit subjectum mobile respectu utriusque: id fit est quod si idem numero motus terminaretur ad duos terminos numerice distinctos, non possent termini in eodem recipi subjecto in quo recipitur motus; cum termini illi essent tunc accidentia solo distincta numero, utpote qui supponi debent in eadem specie & unitatem habere specificam, ut supra diximus; & duo accidentia solo distincta numero esse non possint in eodem numero subjecto: ergo debet idem numero motus terminum habere eundem, nedum specificè sed etiam numericè.

Denique ad unitatem numericam motus requiritur unitas agentis totalis, non tamen in esse entis. Cum enim motus identificetur cum actione, ideo licet non formaliter sub ratione motus, sed sub ratione actionis respiciat agens, materialiter tamen quidquid requiritur ad unitatem actionis numericam, requiritur & ad unitatem numericam motus ratione præfatæ identitatis: sed sic est quod ad unitatem numericam actionis non requiritur unitas omnimoda agentium etiam in esse entis, cum plura in esse entis possint partialiter concurrere ad eandem numero actionem, sicut cum plures partialiter movent navim; requiritur tamen unitas agentis totalis, cum idem numero effectus non possit à pluribus causis totalibus provenire: ergo ad unitatem numericam motus requiritur & unitas agentis seu motoris totalis.

Dices 1. quod cum canis vel aliud vivens de turri decidens moritur in medio descensus, non est idem numero mobile, utpote quod in principio informatur forma viventis, & postea forma cadaveris: sed hoc non obstante adhuc totus

illius motus à tutti usque ad terram est idem numero; cum talis motus sit omninò continuus, siquidem nullâ interrumpitur aut discontinuatur quiete: ergo ad unitatem numericam motus non requiritur unitas numerica mobilis.

Respondeo negando minorem : talis namque motus discontinuatur per quietem negativam; quia in illo instanti, in quo est verum dicere, nunc non est forma viventis, & immediatè anteà erat; & in quo verum est dicere, nunc est forma cadaveris & immediatè anteà non erat, jam quiescit negativè vivens, ex eo scilicet quod cum aliquid non est, negativè quiescit, quatenus tunc moveri non potest quod est negativè quiescere: sic similiter quiescit negativè cadaver; quia cum nullius rei motus possit incipere per primum sui esse, eo quod scilicet importat essentialiter prius & posterius, ideò & in primo instanti, in quo incipit esse cadaver, quiescit similiter negativè, quatenus in illo non potest moveri.

Nota.

Instabis: ideò motus cujuslibet unius corporis est continuus, quia in quolibet illius instanti verificatur, quod immediatè ante illud movebatur tale corpus, & immediatè post illud movebitur: sed in illo instanti in quo primùm est verum dicere, quod non est vivens, sed est cadaver, verificatur, quod immediatè ante illud fuerit motus viventis, & immediatè post illud erit motus cadaveris: ergo talis utriusque mobilis motus est continuus

Respondeo negando majorem : non enim ad continuitatem motus sufficit, quod immediatè ad aliquod instans præcesserit, & sequatur motus, sed præterea requiritur, quod illi instanti correspondeat mutatum esse mobilis; quia partes motus non continuantur nisi permutata esse: jam sic est quod illi instanti, quod est primum non esse viventis, & primum esse cadaveris, nullius talis mobilis correspondet mutatum esse, non quidem viventis, quia quod non est, non habet mutatum esse; nec etiam cadaveris, quia quod nondum incepit moveri non habet mutatum esse: ergo talis utriusque corporis motus non propterea est continuus. Nec valet dicere quod in illo instanti terminatur motus viventis; ergo & huic correspondet instanti mutatum esse illius viventis, cum omnis motus terminetur per mutatum esse mobilis. Non inquam, id valet, quia licet motus, qui permanente mobili terminatur, debeat terminari per mutatum esse ipsius mobilis, non tamen motus qui terminatur per non esse ipsius mobilis: talis enim motus solum definit per accidens ad desitionem mobilis, & ita non terminatur per mutatum esse, sed negativè per non esse mobilis: neque habet per

quod

quod cum aliis partibus motus continuetur ; quia continuativum motus debet esse mutatum esse ejusdem mobilis, quod per priorem & subsequentem partem motus moveatur.

Urgebis: si canis ille è turri decidens portet torquem, ad motum ipsius canis movetur & torquis, & movetur motu continuo usque ad terram: sed non esset motus ille torquis continuus, nisi etiam continuus esset motus canis & cadaveris usque ad terram: ergo continuus est prædictus ille motus, quantumvis mobile seu canis non sit idem numero. *Probatur Minor*, quod movetur per accidens ad motum alterius non potest moveri continuè, nisi motus mobilis per se, ad cujus motum movetur sit omnino continuus: sicut enim continuatio motus mobilis per se facit mobile per accidens continuè moveri, ita & quælibet discontinuatio motus aut quies mobilis per se facit & facere debet quod discontinuetur motus illius, quod movetur per accidens: sed prædictus torquis movetur ad motum canis tanquam mobile per accidens ad motum mobilis per se: ergo non esset motus ille torquis continuus ; nisi etiam continuus esset motus canis & cadaveris usque ad terram.

Respondeo negando minorem ; ad cujus probationem nego majorem, sumptam scilicet ut concludentem generaliter & universaliter, licet enim quies privativa illius quod dicitur mobile per se, cum per aliquam moram temporis illius cessat motus, inferat necessario discontinuationem motus mobilis quod ad motum talis mobilis per se movetur per accidens; quies tamen negativa mobilis per se, seu quæ solùm contingit per non existentiam mobilis, adeo ut in mediatè succedat aliud mobile per se, ut in casu de cane adducto, non necessario infert discontinuationem motus corporis, quod ad motum talium mobilium movetur per accidens, sed potius si illud idem corpus idem numero perseveret in motibus talium mobilium, motus per accidens illius erit continuus, ex eo scilicet quod manet idem mobile per accidens, cui competit *mutatum esse* in illo instanti in quo est verum dicere, quòd primum mobile per se jam non est, & secundum tunc est & immediatè ante non erat.

Dices 2. quod si ad unitatem numericam motus requireretur unitas temporis, tunc motus individuaretur per tempus : sed non potest individuari per tempus; cum tempus respectu motuum inferiorum sit quid extrinsecum, & à motu potius primi mobilis ipsum individuetur tempus : ergo ad unitatem numericam

mericam motus non requiritur unitas numerica temporis.

Respondeo negando majorem: ad hoc enim ut ad unitatem numericam motus requiratur unitas numerica temporis, sufficit quod ab unitate numerica temporis tanquam a signo colligatur unitas motus, atque ita cum hoc verificetur absque eo quod debeat propterea motus individuari a tempore, ideo & falsa & neganda est præfata illa major. Quod autem ab unitate numerica temporis colligatur tanquam a signo unitas numerica motus, ex eo patet, quod tempus dicitur unum numero respectu alicujus motus, hoc ipso quod in tempore quo durat motus non est assignabilis aliqua temporis pars, cui non correspondeat pars aliqua motus, nec est signabile aliquod instans temporis, cui non correspondeat aliquod *mutatum esse* mobilis, quod per talem motum movetur: jam sic est quod ex eo tanquam ex signo colligitur unitas numerica motus, cum ex eo colligatur ejus continuitas & exclusio interruptionis: ergo ab unitate numerica temporis colligitur tanquam ex signo unitas numerica motus.

Dices 3. quod si ad unitatem numericam motus requireretur unitas specifica termini, cum pila v. g. motu violento sursum ascendit versus tectum, & per repercussionem descendit, non esset motus ille ascensus & descensus idem numero, cum non sit idem specifice terminus: sed falsum est quod non sit motus ille unus & idem numero, cum de facto continuetur, & nulla interrumpatur quiete: ergo ad unitatem numericam motus non exigitur unitas specifica termini.

Respondeo negando minorem; in hoc enim & similibus casibus non est idem numero motus, nec continuus, sed interrumpitur per aliquam licet brevissimam & imperceptibilem quietem; & licet sensus videatur oppositum dictare, in hoc tamen sicut & in pluribus aliis corrigendus est sensus per rationem, dictat enim ratio [quod ut docet Aristoteles in quinto physicorum] ea quæ sunt diversæ speciei continuari non possunt, propterea quod continua sunt, quorum ultima sunt unum; & ultima eorum quæ sunt diversæ speciei non possunt esse unum, sed necessario debent esse plura, cum hoc ipso quod ultima sunt pertineant reductivè ad ea quorum sunt ultima, & ea de facto supponantur plura & diversa, utpote diversæ speciei.

Co-

COROLLARIUM.

In quo varia de motu expenduntur & resolvuntur.

QVæres 1. à quo desumatur unitas formalis motus.

Respondeo, Unitatem & diversitatem formalem motus formaliter desumi & tanquam à ratione formali ab unitate vel diversitate formali illius termini ad quem, in ratione termini formaliter accepti. Unde cum unitas formalis cujushbet rei sit genetica vel specifica, ideo omnes illi motus unitatem habent genericam, & unius sunt generis, qui ad terminum ejusdem prædicamenti seu prædicamentalis generis terminantur; illi vero unitatem habent specificam & ejusdem sunt speciei, quorum termini formaliter ut termini sunt unius & ejusdem speciei: colligitur autem hæc resolutio ex Aristotele *in lib. 5. physicorum textu 31.* ubi docet omnes dealbationes esse ejusdem speciei atomæ, quia omnes albedines quæ sunt termini ad quos terminantur, sunt omnes ejusdem atomæ speciei: omnes autem disciplinationes esse ejusdem speciei subalternæ, quia disciplina est species subalterna in varias species atomas divisibilis. Hæc ibi Aristoteles; idemque pluribus in locis docet D. Thomas; & ratio hujus est, quia & motus à suo termino ad quem suam accipit denominationem; motus enim v.g. terminatus ad albedinem denominatur albefactio, & ad calorem terminatus denominatur calefactio; item & quilibet motus in particulari definitur in ordine ad suum terminum ad quem: atqui unumquodque speciem desumit ab eo per ordinem ad quod definitur, & ab eo accipit motus speciem, à quo & determinationem: unumquodque enim ab eo à quo habet esse specificum, denominatur: ergo ab ipso termino ad quem unitatem formalem accipit motus, sive unitatem habet motus genericam, hoc ipso quod termini, ad quos terminantur, unius sunt generis, & unitatem specificam, hoc ipso quod terminantur ad terminos unius speciei. Dixi autem supra, accipere motum unitatem suam formalem à termino formaliter accepto in esse termini: sicut enim scientiæ & potentiæ non specificantur à suis objectis in esse entis, sed formaliter in esse objecti; adeo ut contingat scientiam

aut potentiâ ejusdem atomæ speciei ad objecta specificè in esse entis distincta terminati, & è contrà idem objectum in esse entis diversas speciè terminare scientias; ita & motus non à suo termino ad quem in esse entis, sed formaliter in esse termini suam accipit unitatem vel diversitatem formalem. Unde ad eundem entitativè terminum potest dari diversus formaliter motus; & ita motus quo remittitur calor ut sex ad calorem ut quatuor, & motus quo intenditur calor ut duo ad calorem etiam ut quatuor, sunt duo distinct formaliter motus, eo quod scilicet terminus ad quem formaliter in esse termini diversus est, & solum materialiter & in esse entis est idem.

Quæres 2. à quo desumatur contrarietas motuum.

Respondeo, contrarietatem motuum desumi formaliter & per se ex contrarietate terminorum ad quos; licet aliquando desumatur causaliter ex contrarietate terminorum à quibus. Ratio autem hujus est, quia unumquodque quod contrariatur alteri, ei contrariatur ratione suæ naturæ & speciei: ergo ab eodem principio accipit unumquodque suam contrarietatem cum alio, à quo accipit esse talis naturæ & speciei, ratione cujus & secundum quam alteri opponitur & contrariatur: atqui quod sit motus talis naturæ & speciei, hoc accipit formaliter & per se à suo termino ad quem, ut supra ostendimus: ergo & ex eodem termino ad quem, seu ex contrarietate terminorum ad quos desumunt motus formaliter & per se suam contrarietatem. Dixi autem quod etiam aliquando causaliter desumitur præfata contrarietas ex terminis à quibus prædictorum motuum, ut patet in exemplo de motu ab albo in fuscum & à nigro in fuscum, qui quidem motus sunt contrarii, quia idemmet fuscum ut comparatur nigro, accipitur ut album, & ut comparatur albo accipitur ut nigrum: ac proinde idemmet fuscum quod est terminus ad quem, sumptus formaliter ut terminat motum ab albo, est contrarius sibi ipsi ut formaliter terminat motum a nigro; & sic duo illi motus ab albo ad fuscum, & à nigro ad fuscum sunt inter se contrarii formaliter ex contrarietate terminorum ad quos & causaliter & radicaliter ex contrarietate terminorum à quibus.

Quæres 3. utrum motus quilibet contrarietur quieti.

Respondeo, motum quemlibet contrariari quieti, non quidem illi, quæ est sub termino ad quem, sed ei, quæ est sub termino à quo, ut motus calefactionis contrariatur & opponitur quieti quam habet mobile sub termino à quo & ut est frigidum: non autem quieti, quæ est terminus motus calefactionis, & ut mobile habet sub termino ad quem esse calefactum. Ratio

pri-

primæ partis est, quia ea quæ inter se contrariantur & opponuntur, si propriè sumatur contrarietas, non possunt se habere ad modum acquisitionis & acquisiti; cum contraria se destruant magis quam inferant, & acquisitum ponatur per acquisitionem, & acquisitio in acquisito perficiatur: sed motus se habet ad quietem quæ est sub termino ad quem tanquam acquisitio illius; nihil enim aliud est aliquid calefieri, quam acquirere calefactum esse: ergo dici non debet, contrariari motum quieti, quæ est sub termino ad quem; bene quidem quieti, quæ est sub termino à quo, ex eo scilicet quod motus omnis ad id tendit, ut quietem quam habet mobile sub termino à quo expellat & destruat.

Quæres 4. Utrum omne quod movetur debeat ab alio moveri.

Respondeo Quod universaliter omne quod movetur, oportet quod ab alio moveatur. Rationem autem, quam hujus afferunt Aristoteles & D. Thomas est, quia omne, quod movetur motû aliquo, necesse est, quod in quantum hujusmodi sit in potentia ad terminum talis motus, cum motus sit actus entis in potentia prout in potentia: omne autem quod aliquid movet ad aliquem terminum, oportet, quod sit in actu respectu talis termini, ut quod movet aliquid, illud calefaciendo, oportet quod in se actu habeat calorem: jam sic est quod nihil potest respectu ejusdem esse simul in actu & in potentia: ergo nihil potest seipsum movere, ac proinde oportet quod omne quod movetur ab alio moveatur. Nec valet dicere; quod ut aliquid moveat aliud ad aliquem terminum, sufficit quod respectu talis termini sit in actu virtuali, & ita quod potest aliquid seipsum per seipsum movere, quia optimè potest aliquid esse simul respectu ejusdem in actu virtuali & in potentia formali: non inquam, id valet, quia licet non semper requiratur quod, ut aliquid aliud moveat ad aliquem terminum, debeat ipsum terminum actu formaliter in se habere, sicuti ut sol aliquid calefaciat, non requiratur quod actu formaliter habeat in se calorem, nihilominus requiritur omninò, quod illum in se habeat vel actualiter formaliter, vel eminenter, id est in aliqua forma actuali, quæ eminenter sit calor: jam sic est quod non potest idem respectu ejusdem esse in tali actu eminentiali, simul & in potentia formali; quia id quod eminenter est tale, non habet potentiam ut sit formaliter tale, ex eo scilicet, quod ex eminentia perfectionis tale est, & cum tali eminentia perfectionis non est compossibile ly esse formaliter tale: ergo cum ly esse in actu virtuali, sup-

Nota.

supponat & supponere debeat ibi pro ly esse in actu eminentiali, falsissimum est quod possit aliquid esse in actu virtuali simul & in potentia formali, ad hoc ut seipsum per seipsum moveat, & non moveatur ab alio. Dixi autem: *cum ly esse in actu virtuali debeat ibi supponere pro ly esse in actu eminentiali*: non enim sufficit ad movendum ad aliquem terminum, puta ad calefaciendum, quod sit in actu virtuali, prout ly in actu virtuali contraponitur ad esse in actu formaliter vel eminenter, quia quod sic est in actu virtuali absolutè & simpliciter est in potentia; cum tamen omne quod movet aliquid debeat esse in actu, cum nihil possit agere nisi in quantum est in actu. Unde processus in moventibus est & debet esse talis, quod omne quod movetur, si ipsum movet, & ad id se movet, moveat se mediante alio suo motu v. g. ad actum & motum electionis quo moveat se homo motu & actu intentionis; cumque non possit in motibus procedi in infinitum, deveniendum tandem est ad aliquem primum motum ad quem ipsum non se moveat, sed præcisè moveatur ab alio.

Quares 5. Utrum gravia & levia in suis motibus naturalibus ad centrum moveantur à seipsis.

Respondeo negativè cum Aristotele & Divo Thoma, qui in hoc condistinguunt viventia à non viventibus, quod illa à seipsis moventur, non autem ista; idque manifestè patet, quia tamdiu vita cujusvis durat, quamdiu ipsum se movens perseverat, & ex quo animal ex animo jacet, nullatenus movetur nisi ab alio: ex quo enim planta excisa moritur, & jacet, ut sui cadavet, nullatenus jam augetur (qui solus motus erat illi proprius, dum vita fruebatur) sed solum motu locali, vel motu alterationis ab extrinseco motore potest moveri: fundamentum autem præcipuum præfatæ resolutionis est, quia cum idem ut omnino idem & secundum eandem partem & rationem non possit respectu ejusdem esse simul movens & motum; alias idem secundum eandem rationem esset simul respectu ejusdem in actu & potentia, consequenter fit quod in omnibus quæ sic se per seipsa movent debeant assignari distinctæ partes, ut secundum unam se moveant, & secundum alteram moveantur, ut de facto fit in animali, in quo, cum sit Etherogeneum, assignantur partes diversæ rationis, adeo ut ex motu cordis, v. g. moveat se ad motum aliarum partium, & homo per actum intentionis ad actum electionis se moveat: jam sic est quod in gravibus & levibus non est assignabilis præcisa partium distinctio, ad hoc ut ea mediante seipsa moveant; quia scilicet cum gravia & levia sint homo-

homogenea, & omnes illius partes ejusdem rationis, non est major ratio, quare secundum unam se moveat, & secundum alteram sit mota, quam è contra: ergo dum gravia & levia non viventia moventur, ut dum descendit aqua, & ascendit ignis, non habent talia corpora se movere, sed ab alio moveri debent.

Quares 6. à quo extrinseco motore moveantur gravia & levia in suis motibus naturalibus.

Respondeo, moveri gravia & levia in motibus suis naturalibus à generante, à quo scilicet suum habent esse; cujus ratio, quam quidem assignat D. Thomas *quæst. 5. de veritate*, est quia generans quod dat alicui formam, dat etiam ea, quæ ad talem consequuntur formam per modum proprietatis: proprietates enim, quæ ad aliquam consequuntur naturam, non per diversam sed per eandem actionem, ac ipsa natura producuntur, adeò ut natura geniti actionem terminet generantis ut terminus illius primarius & proprietates quæ ad eandem naturam resultent, terminent ut secundarius terminus: unde sicut generans dicitur dare naturam geniti, ita & proprietates illius. Iam sic est quod motus naturalis gravium & levium ad eorum consequitur formam & naturam per modum proprietatis; cujus ratio est, quia ut ibidem docet D. Thomas: licet nulla natura ex proprio & nativo pondere possit inclinari ad motum propter ipsum motum, bene tamen ad motum propter ipsam quietem ad quam ipse ordinatur motus; ac proinde cum quies in suis naturalibus locis sit proprietas naturæ gravium & levium, ad quam propterea ut ad propriam passionem ipsorum natura propenditur & inclinatur, consequenter fit, quod cum gravia & levia extra sua loca naturalia producuntur, eorum motus in talia loca per modum passionis & proprietatis ab eorum naturâ dimanet: ergo illorum generans dat illis talem illorum motum, & ille actioni generantis tribui debet. Neque obstat, quod dicunt aliqui de motu cordis, quod scilicet in animalibus sequitur ut proprietas ad illorum animam, ut expresse docet Divus Thomas *opusc. 35. de motu cordis*; nec tamen, inquiunt, tribuitur propterea actioni generantis seu motori extrinseco, cum sit vitalis motus, subindeque & in eo vivens debeat se ab intrinseco movere. Non inquam id obstat, quia ut idem docet D. Thomas in prædicto opusculo: motus ille cordis non solum sequitur per modum proprietatis ad animam, sed etiam ex eo illi tribuitur qui talem dat formam, sicut & danti formam elementalem tribuitur, ut diximus, motus naturalis elementorum, gravium videlicet

aut

Nota. aut levium. Pro quo notandum est, quod nobis omnis motus vitalis tribuitur ipsi viventi, sed ille dumtaxat, qui jam supponit primum motum vitalem illius, qui quidem primus motus, cum naturalis sit, & perfectio debita ipsi viventi pro primo instanti suæ generationis, sequitur propterea naturali sequela ad ejus formam, & tribuitur generanti. Unde dici potest, quod motus cordis est quidem vitalis *ut quo*, & initium vitæ, quia medio illo animali ad alios motus se movet, non tamen est motus vitalis consummatus, quales sunt alii motus subsequentes in animali; atque ita licet ad illos debeat animal se movere, non tamen ad motum cordis, qui est initium vitæ & terminus secundarius generationis viventis, qui ad terminum primarium formam videlicet viventis naturali resultantia dimanat: unde non ipsi viventi, sed illius tribuitur generanti.

Quæres ultimò qualiter moveantur violenter projecta.

Respondeo primò, Quod projecta, nec à solo projiciente, nec à solo aëre circumstante, sed ab utroque moventur. Ratio primæ partis est, quia experientia constat, projecta minus velociter in principio, quam in medio motus moveri, minusque fortiter in principio quam in medio sui motus aliquid percutere: sed si à solo moverentur projiciente, velocius tunc in principio sui motus quam in medio moveantur, cum principio sui motus essent ipsi projicienti propinquiora: ergo non moventur projecta à solo projiciente. Ratio autem secundæ partis est, quia si à solo aëre projecta moverentur, eo velocius moverentur ab illo, quo illa essent minoris gravitatis; velociusque verbi gratia moveretur lana quam ferrum: aër enim ex se majorem vim habet ad movendum corpus minus, quam magis grave: ergo cum experientia constet oppositum, puta quod velocius moventur projecta majoris quam minoris gravitatis, dicendum est, illa non moveri à solo aëre circumstante. Unde vera est per consequens tertia pars responsionis, videlicet, quod moventur & à projiciente, & à partibus aëris, utpote quæ medio projicientis impulsu concitatæ & condensatæ ipsum impellunt projectum, quod propterea ratione utriusque impulsus velocius movetur in medio sui motus, quam in principio, in quo scilicet solus aderat impulsus projicientis.

Respondeo 2. Quod talis projectorum motus fit medio aliquo impulsu eis & aëri circumstanti à projiciente impresso. Et quidem quod fiat medio impulsu ipsis projectis à projiciente impresso colligitur ex diversis testimoniis D. Thomæ. Nam *Quæstione de anima art.* 13. *ad* 2. ait S. Doctor: *virtus quæ est*

in

in semine à patre est virtus permanens ab intrinseco, non fluens ab extrinseco, sicut virtus moventis, quæ est in projecto. Quod autem etiam fiat medio impulsu aëris circumstantis à projiciente impresso, colligitur etiam ex Divo Thoma 3. *de cœlo lect.* 7. ubi ait, *quod aer susceptibilior est hujus impressionis, quam lapis*; ac proinde tenet S. Doctor, quod utrumque, ipse scilicet & aër illum circumstans eam impressionem seu impulsum recipit à projiciente. Hujus autem ratio est, quia licet in principio motus projectorum conjunctum sit cum illis projiciens, postea tamen manet ab illis distans: ergo cum nullum corpus possit agere in distans, ut supra ostendimus, nisi media virtute illi impressâ, consequens est quod ut projiciens movet lapidem, concitetque partes distantes aëris, tam illius quam lapidi aliquem debeat imprimere impulsum, quamvis non sit impulsus ille ad instar virtutis permanentis, qualis est ea quæ à generante imprimitur genito ad suum motum naturalem, ut bene notat Divus Thomas.

Respondeo 2. Ad plenam difficultatis propositæ intelligentiam & resolutionem, quod cum aliquod projectum inveniens resistentiam in alio corpore motu contrario resilit, & movetur, talis tunc secundus & reflexus motus, & tribuitur projicienti, & etiam corpori resistenti: tribuitur quidem projicienti; quia juxta quantitatem majoris, vel minoris illius impulsus, velocius resilit projectum motu contrario: at tribuitur etiam ipsi corpori resistenti, quia etiam quanto illud fortius resistit, tanto etiam ipsum projectum velocius resistit motu contrario. Unde si cum æquali impulsu projicientis pilam, inæqualis sit resistentia corporis obstantis, ut si alterum sit paries luteus, alterum paries lapideus, velocius tunc resilit pila ab isto, quam ab illo, & econtra si cum æquali resistentia corporis obstantis, inæqualis sit impulsus projicientis, velocius etiam resilit pila, quæ cum majori impulsu projicitur.

QUÆSTIO II.

Utrum componatur continuum ex partibus, an verò ex solis indivisibilibus.

PRæmittendum primò, Pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud

apud omnes receptissima, subindeque vim habitura principii, puta quod *extenditur continuum per additionem eorum, quibus componitur*; quod *continua sunt, quorum extrema sunt unum* quod *non possunt indivisibilia se tangere, & non se tangere secundum se tota*. Ratio primi est, quia continuum non potest non augeri, hoc ipso quod ei adduntur aliqua ex his, quibus componitur, alias non esset additio: jam sic est quod augmentum continui in quantum talis non est nisi augmentum extensivum; cum tale augmentum, hoc ipso quod est continui ut talis, sit de genere quantitatis, quæ quidem intra genus suum non augetur nisi extensivè, cum sit ex genere suo extensio: ergo extenditur continuum per additionem eorum, quibus componitur. Quantum vero ad secundum, quòd scilicet continua sint quorum extrema sunt unum ratio est, quia continua à contiguis differunt, per hoc quod contigua sint solum simul, cum è contra continua sint unum: sed non possunt quæ continua sunt esse unum nisi in extremis, sicut & contigua sunt quorum extrema sunt simul: ergo vera est & secunda illa propositio, quod scilicet continua sint, quorum extrema sunt unum, denique quod non possint indivisibilia se tangere, & non se tangere secundum se tota, quod est tertium præmissum principium, ratio est, quia hoc ipso quod indivisibilia sunt, non est in illis assignabile aliud & aliud: ergo nec est in illis assignabile, in quo tangantur & in quo non tangantur: ergo hoc ipso quod tanguntur & tangunt se, non possunt non se tangere secundum se tota. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione, an scilicet componatur continuum ex partibus, an vero ex solis indivisibilibus, adeò ut motus non nisi ut mutatis esse, quæ sunt indivisibilia motus, componatur; & tempus non nisi ex indivisibilibus instantibus; & linea non nisi ex indivisibilibus punctis; & superficies non nisi ex lineis secundum latitudinem indivisibilibus; ac denique corpus non nisi ex superficiebus secundum profunditatem indivisibilibus componatur: sit

CONCLUSIO: *Continuum, non componitur, nec componi potest ex solis indivisibilibus.*

Probatur 1. Ex primo præmisso principio: *extenditur continuum per additionem eorum, quibus componitur*: ergo non potest continuum ex solis componi indivisibilibus. *Probatur consequentia*: Impossibile est, extendi continuum per additionem indivisibilis: ergo hoc ipso, quod extenditur continuum per additionem eorum, quibus componitur, impossibile est, quod

ex

ex solis componatur indivisibilibus. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, quod dicitur de additione instantis quantum ad extensionem temporis, dicitur & dicendum est de additione cujusvis indivisibilis quantum ad extensionem sui continui: sed impossibile est, extendi tempus per additionem instantis: ergo & impossibile est, extendi continuum per additionem indivisibilis. *Major* conceditur, & per se patet, cum tempus sit ens continuum, & ejus indivisibile sit instans. *Probatur minor*, extendi tempus per additionem instantis, est magis durare cum illo, quam sine illo: sed impossibile est, quod tempus aliquod magis duret cum instanti addito, quam sine illo: ergo & impossibile est, extendi tempus per additionem instantis. *Major* conceditur & patet ex terminis. *Probatur minor*, si magis duraret tempus cum instanti addito, quam sine illo, magis etiam duraret cum instanti terminativo quam sine illo: sed impossibile est, quod magis duret certum aliquod tempus cum instanti sui terminativo, quam sine illo: ergo & impossibile est, quod magis duret tempus cum instanti, addito quam sine illo. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*, impossibile est, quod cum eo magis duret tempus, cum quo simpliciter non durat: *Nota*, ed tempus pro instanti sui terminativo non durat, seu non habet temporaneam durationem; cum duratio temporis sit essentialiter successiva, & pro instanti terminativo esse non possit talis: ergo impossibile est, quod magis duret certum aliquod tempus cum instanti sui terminativo, quam sine illo: ergo impossibile est, quod magis duret tempus cum instanti addito, quam sine illo; ergo impossibile est, quod extendatur tempus per additionem instantis: ergo impossibile est, extendi continuum per additionem indivisibilis: ergo hoc ipso quod extenditur continuum per additionem eorum quibus componitur (quod est primum præmissum principium) est etiam impossibile, componi continuum ex solis indivisibilibus.

Probatur 2. ex secundo præmisso principio: *continua sunt, quorum extrema sunt unum*: ergo non potest continuum ex solis componi indivisibilibus. *Probatur consequentia*, de eo quod continuatur ex solis indivisibilibus, verificari nequit, quod ejus extrema sint unum: ergo hoc ipso quod continua sunt, quorum extrema sunt unum, non potest continuum ex solis indivisibilibus continuari. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens* afferendo in exemplum continuum aliquod ex quatuor indivisibilibus compositum, & continuatum, quo supposito argumentor sic: in continuo composito ex quatuor indivisibilibus, pri-

mum indivisibile continuatur secundo, sicut & secundum tertio, & tertium quarto: sed de primo & secundo, sicut & de tertio & quarto verificari nequit quod eorum extrema sint unum; ergo de eo quod ex solis continuatur indivisibilibus verificari nequit, quod ejus extrema sint unum. *Probatur minor*, de his de quibus verificatur, quod eorum extrema sunt unum, verificatur etiam quod aliquid sint præter extrema, ut ex terminis constat: sed de primo indivisibili v. g. quod cum secundo continuatur, verificari nequit, quod aliquid sit præter extremum; cum in eo utpote indivisibili non sit assignabile aliud & aliud: ergo de primo & secundo indivisibili ita continuatis verificare nequit, quod eorum extrema sint unum: ergo de continuo ex solis indivisibilibus compositò verificari nequit, quod ejus extrema sint unũ: ergo hoc ipso quod continua sunt, quorũ extrema sunt unum (quod est secundum præmissum principiũ) non potest hoc ipso continuũ ex solis componi indivisibilibus.

Probatur 3. ex tertio præmisso principio: *non possunt indivisibilia se tangere, & non se tangere secundum se tota*: ergo nec potest continuum ex solis componi indivisibilibus. *Probatur consequentia*, impossibile est quod ea quæ componunt continuum, se tangant secundum se tota: ergo hoc ipso quod indivisibilia non possunt non se tangere secundũ se tota, est hoc ipso impossibile, componi continuum ex solis indivisibilibus. *Probatur antecedens*, non possunt duo aliqua se tangere secundum se tota nisi, aut per penetrationem aut per informationem: sed ea quæ componunt continuum nec per penetrationem, nec per informationem possunt se tangere: ergo ea quæ componunt continuum non possunt se tangere secundum se tota. *Major* ex eo patet, quod nulla afferri possunt nec assignari, quæ se tangant secundum se tota, de quibus non verificetur, aut quod se penetrant per intromissionem unius in alio, seu cum alio in eodem loco, aut quod unum informat aliud. *Probatur minor*, & quidem primo quoad penetrationem. Quæ se tangunt penetrativè non majorem occupant locum ut tangentia se & simul sumpta, quã ut sumpta seorsim; cum penetratio nihil aliud dicat quam intromissionem unius cum alio in eodem loco: sed ea quæ componunt continuum, majorem occupant locum ut tangentia se & simul sumpta, quam sumpta seorsim, ut per se patet: ergo ea quæ componunt continuum, non possunt ut talia se tangere penetrativè. Iam verò quod nec possint se tangere per informationem probatur sic, ea tantum dicuntur se tangere per informationem, quorum se habet unum ad modum actus, & alterum ad

modum

modum potentiæ: sed ex his quæ componunt continuum non potest unum se habere ut actus, & aliud ut potentia; cum talia sint ejusdem rationis, subindeque nec sit potior, ratio quare unum sit actus vel potentia quam aliud: ergo ea quæ componunt continuum non possunt ut talia se tangere penetrativè, nec per informationem: ergo ea quæ componunt continuum non possunt se tangere secundum se tota: ergo hoc ipso quod indivisibilia non possunt se tangere, quin se tangant secundum se tota [quod est tertium præmissum principium] non potest hoc ipso continuum ex solis componi indivisibilibus.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia fundamenta in solutionib⁹ objectionum.

Objicies 1. par est ratio de tempore, ac de aliis entibus continuis, quantum ad hoc quod est componi ex solis indivisibilibus: sed componitur tempus ex solis indivisibilibus: ergo idem dicendum de omni alio ente continuo. *Probatur minor*, hoc ipso quod dantur in tempore instantia duo sibi immediatè succedentia, componitur hoc ipso tempus ex solis indivisibilibus instantibus: sed dantur in tempore instantia duo sibi immediatè succedentia: ergo componitur tempus ex solis indivisibilibus instantibus. *Major* per se patet; talia enim duo instantia, cum se habeant ut prius & posterius sunt consequenter tempus, quod quidem in hoc casu non exurgit, nisi ex indivisibilibus. *Probatur minor*, instans ultimum, in quo est in materia forma corrumpenda, & instans primum in quo est forma genita, sunt duo distincta instantia: sed instans illud ultimum & instans illud primum sibi immediatè succedunt, sive succedunt sibi nullâ inter ea mediante parte temporis: ergo dantur in tempore instantia duo sibi immediatè succedentia. *Major* est evidens; alias essent forma corrumpenda & forma genita pro uno & in uno eodemque instanti, si scilicet instans in quo ultimò est forma corrumpenda, & instans in quo primò est forma genita, non essent duo instantia, sed unum tantum & idem instans. *Probatur Minor*, fieri non potest, saltem naturaliter, quod materia per aliquod tempus sub nulla sit formâ; sed si inter instans ultimum, in quo est in materia forma corrumpenda, & instans primum in quo est forma genita, mediaret pars aliqua temporis, materia per illud tempus sub nullâ esset formâ, cum per illud nec esset sub forma corrumpẽda, utpote quæ in instanti præcedenti jã habuisset suum ultimũ; nec etiam esset sub formâ genita, utpote quæ solum in sequenti instanti suũ haberet primũ; ergo instans illud ulti-

ultimum, & instans illud primum sibi immediatè succedunt: ergo datur in tempore instanti à duo sibi immediatè succedentia, subindeque & datur tempus ex solis indivisibilibus instantibus compositum.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti: quarum quidem falsitas patet ex dictis in prima conclusionis probatione: ad tertium vero nego suppositum majoris, subindeque & consequentiam argumenti, cum sit à supponente falsum: supponit enim præfata major quod detur instans ultimum in quo sit forma corrumpenda, quod est falsissimum. Unde licet facta suppositione, quod detur instans ultimum in quo sit forma corrumpenda, sicut datur instans primum in quo est forma genita, tunc sit aut esset concedendum, quod essent duo distincta instantia, imo & sibi immediatè succedentia, ut bene probat argumentum, nihilominùs est præfata suppositio omninò falsa: pro cujus intelligentia notandum est, quod mutatio instantanea qualis est generatio formæ est terminus motus

Nota. alicujus continui, puta alterationis, sicut illuminatio, quæ etiam est mutatio instantanea, est terminus motus continui & localis Solis, & transubstantiatio in Eucharistia est terminus prolationis continuæ verborum: cujus licet autem continui motus, qui scilicet mensuratur aliquo tempore, oportet quod terminus ultimus illius sit in ultimo instanti illius temporis; unde cum forma substantialis generanda sit quidam terminus motus continui alterationis, oportet per consequens, quod in ultimo instanti illius temporis introducatur forma substantialis: corruptio autem & generatio simul currunt; cum generatio unius sit corruptio alterius; oportet ergo quod in ultimo instanti illius temporis sit terminus corruptionis unius, ut ligni & terminus generationis alterius, puta ignis: terminus autem corruptionis est non esse, & ideò oportet quod in ultimo instanti illius temporis, quod mensurat alterationis motum, sit non esse formæ ligni & primum esse formæ ignis; ac proinde non est unde accipiatur ultimum instans, in quo sit forma corrumpenda, sed solùm ultimum tempus quod continuatur ad illud instans in quo primo est ignis, & primo non lignum, ita scilicet quod in toto tempore mensurante alterationis motum sit forma ligni, & in ultimo ejus instanti sit primum non esse formæ ligni, & primum esse formæ ignis seu formæ genitæ.

Instabis: tamdiù durat esse ligni, quamdiù durat tempus, quo mensuratur, alias mensura non æquaretur mensurato: sed tempus quo mensuratur lignum durat in illo ultimo instanti, cum

sit

sit illud instans aliquid illius temporis : ergo & in illo ultimo instanti durare debet & ipsum lignum.

Respondeo Negando Minorem, quod scilicet tempus quo mensuratur lignum duret in illo ultimo & terminativo instanti; cujus ratio est, quia tempus cum sit essentialiter ens successivum habere non potest durationem instantaneam, sed solummodo successivam, ad differentiam rerum permanentium, quæ quia tales sunt, durare possunt in instanti; unde cum in illo ultimo & terminativo instanti haberi non possit successiva duratio, consequenter fit quod quamvis instans illud sit aliquid temporis, ad modum scil. terminativi, non propterea verificetur, quod in illo ultimo instanti duret tempus quo mensuratur esse ligni. Neque hoc admisso & gratis dato, sequeretur propterea quod mensura non æquaretur mensurato, seu quod tempus durans per illud instans & mensurans ipsum esse ligni, longius esset & magis extensum, quam ipsum esse ligni, quod dicimus non durare, nec esse in præfato ultimo instanti; nam quod nullius est extensionis secundum se, augere nequit, nec magis protrahere extensionem alterius : jam sic est quod instans indivisibile nullius prorsus est extensionis secundum se; cum extensum quodcumque illud sit, sit divisibile ad differentiam inextensi : ergo dato quod per illud instans ultimum, sive in illo instanti ultimo adhuc duraret tempus mensurans esse ligni, nec tamen in eo duraret esse ligni, non propterea sequeretur quod mensura non esset adæquata cum mensurato, taliter quod longius & magis extenderetur, quam ipsum esse ligni, quod mensuraret. *Nota.*

Objicies 2. Ex iis componitur & componi debet continuum, in quæ tandem resolvitur aut resolvi potest : sed continuum resolvi tantum potest in indivisibilia : ergo & ex indivisibilibus componitur. *Probatur Minor*, omni facta divisione, quæ fieri potest in continuo, esset resolutum continuum in indivisibilia : sed fieri potest, quod omnis sit facta divisio, quæ fieri potest in continuo : ergo & potest continuum resolvi in indivisibilia. *Probatur Minor*, divisio facta se habet ad divisionem, quæ fieri potest, sicut actus ad suam potentiam : sed fieri potest quod omnis potentia suum habeat actum; alias non esset potentia ad illum; ergo & fieri potest, quod omnis sit facta divisio, quæ fieri potest in continuo.

Respondeo Negando Minorem; ad cujus probationem nego similiter minorem, puta quod fieri possit, quod omnis sit facta divisio quæ fieri potest in continuo. Si namque divisiva alicujus sunt ejusdem naturæ & rationis cum eo quod dividunt, ut dici *Nota.*

tur communiter, impossibile est, quod hoc ipso, quod divisibile est ex sui natura divisibile, ea in quæ dividitur non sint similiter ulterius divisibilia : jam sic est, quod continuum quod dividitur, cum sit ex natura & essentia sua quantum seu quantitas, est etiam ex sui natura divisibile, cum divisibilitas sit de propria ratione quantitatis : ergo & ea in quæ dividitur, debent esse similiter divisibilia ; ac proinde fieri nusquam potest, quod omnis sit facta divisio, cum ipsa dividentia non possint non esse divisibilia, ut ex hoc colligitur discursu. Unde ad tertium distinguo majorem sic ; divisio facta se habet ad divisionem, quæ fieri potest sicut actus ad potentiam, loquendo de divisione quæ fieri potest in partes determinatas Concedo majorem, quod scilicet divisio facta se habeat ad illam sicut actus ad potentiam : loquendo de divisione quæ fieri potest in partes indeterminatas, Nego majorem ; & concessa minori nego consequentiam. Pro quo notandum est, partes in continuo dici *determinatas*, quæ scilicet sunt determinatè assignabiles, sive uni certæ alicui parti æquales, ut sunt palmi v.g. in ulna : *indeterminatæ* verò dicuntur partes, quæ scilicet minores semper & minores exurgunt ex multiplicatis divisionibus, adeo ut quò plures fiunt divisiones, eo minores evadant partes hoc autem supposito dico, se habere quidem divisionem factam sicut actum ad suam potentiam, ad divisionem quæ fieri potest in partes determinatas, propterea quod hoc ipso quod est divisio in partes determinatas, & alicujus determinatæ magnitudinis, non est consequenter divisio, quæ fiat aut fieri possit in semper divisibilia, cum sint numero finitæ præfatæ partes determinatæ proindeque & ita fieri potest divisio illa in partes determinatas, ut sit tandem omnino facta, & sic comparati debet divisio illa, quæ fieri potest, ad ipsam divisionem factam, sicut potentia ad suum actum : et non ita philosophandum est de divisione, quæ fieri potest in partes indeterminatas, siquidem hoc ipso quod est divisio in partes indeterminatas, sive minores semper & minores, est consequenter divisio in semper divisibilia, cum esse divisibile in minores partes sit de ratione cujusvis divisibilis quanti, seu, quod in idem redit, cujusvis dividentis quantum ; unde cum repugnet in terminis, quod divisio in semper divisibilia comparetur ad divisionem factam, adæquate scilicet & omni ex parte, tanquam ad actum suum, consequenter fit, falsam esse majorem illam propositionem in hoc sensu, puta quod divisio facta se habeat ad divisionem quæ fieri potest sicut actus ad suam potentiam, ubi scilicet sermo est, ut est in præsenti, de divisione quæ fieri potest in par-

tes indete... ed actus potius talis divisionis est divisio facta, non q... absolutè, sed cum hoc addito, facta scilicet in semper divisibilia. Nota

Instabis: Ideo ergo resolvi non potest continuum ad indivisibilia, quia divisio facta illius non est nisi in semper divisibilia: sed impossibile est quod omnis divisio facta continui facta non sit nisi in semper divisibilia: ergo & falsum est, quod resolvi non possit continuum ad indivisibilia. *Probatur Minor*, impossibile est quod sint actu in continuo infinitæ partes: sed si divideretur continuum in semper divisibilia, essent actu in continuo infinitæ partes: ergo & impossibile est, quod omnis divisio facta continui sit facta in semper divisibilia. *Major* est certissima si enim essent in continuo actu infinitæ partes, daretur in illo infinitum in actu secundum multitudinem, quod quidem refutabimus in sequenti quæstione. *Probatur Minor*, nihil est divisibile in ea quæ habere potest, sed in ea quæ actu habet; sed si divideretur continuum in semper divisibilia, esset hoc ipso divisibile in infinitas partes, ut per se patet & conceditur: ergo si divideretur continuum in semper divisibilia, essent actu in continuo infinitæ partes.

Respondeo Negando Minorem; ad cujus probationem distinguo majorem: impossibile est, quod sint actu in continuo infinitæ partes, ly actu cadente supra partium distinctionem, seu supra partes prout ab invicem distinctas Concedo majorem; ly actu cadente supra partes quantum ad entitatem Nego majorem; & sub eadem distinctione minoris Nego consequentiam; non igitur ex divisibilitate continui in semper divisibilia sequitur propterea fore actu in eo infinitas partes prout ab invicem distinctas; cum divisibilia illa in infinitum, adhuc divisibilia sint, quamvis non sint partes ibi actu distinctæ, sed solum distinguibiles, ad differentiam entis simpliciter indivisibilis, ut Nota est punctum, vel natura simplex, quæ quidem nec habet partes actu distinctas, nec etiam distinguibiles ut per se patet: id ergo quod ex divisibilitate continui in semper divisibilia sequitur, non est quod sint actu in eo infinitæ partes, ly actu cadente super partes prout ab invicem distinctas; sed quod ad summum sequitur, est quod sint actu in eo infinitæ partes quantum ad entitatem; propterea quod cum ex divisione non causetur entitas partium debet consequenter ipsa partium entitas in divisibili, etiam secundū quod divisibile est, sive antecedenter ad divisionem actu in continuo præhaberi: jam sic est, quod infinitū in actu secundū multitudinem non habetur nisi ubi sunt vel essent actu infinitæ

Partes secundum quod ab invicem distinc[illegible] quod sicut & numerus non constituatur nisi ex [illegible]s quæ sunt distincta entia & distinctis existentiis existe[illegible]; unde & communiter dicitur, quod numerus fit ex divisione continui: non ergo sequitur dari in continuo infinitum in actu secundum multitudinem, licet concedatur & concedendum sit, esse continuum divisibile in infinitas partes, sive in semper divisibilia.

Vrgebis: Ideo igitur ex divisibilitate illa continui in infinitas partes non sequitur infinitum in actu secundum multitudinem, quia partes ut in continuo, non sunt actu distinctæ: sed hoc est falsum: ergo & illud. *Probatur Minor*, partes illæ ut in continuo sunt actu distinctæ, quarum una etiam ut in continuo existens non est à parte rei eadem cum alia: sed pars una continui etiam ut in continuo existens, non est à parte rei eadem cum alia: ergo & partes illæ, ut in continuo sunt, actu sunt distinctæ. *Probatur Minor*, eorum quæ sunt distantia ab invicem, suntque in distinctis simul locis non potest unum esse idem cum alio: sed partes etiam ut in continuo existentes ita se habent, ut patet in palmis extremis unius ulnæ: ergo pars una continui etiam ut in continuo existens esse non potest eadem cum alia.

Respondeo Negando Minorem, cujus falsitas patet ex dictis supra in responsione ad instantiam; ad probationem vero distinguo minorem: sed pars una continui, etiam ut in continuo existens non est à parte rei eadem cum alia, eadem indivisibiliter Concedo minorem: eadem divisibiliter sive continuativè, Nego minorem & consequentiam. Licet ergo pars una continui ut in continuo existens dici non possit eadem cum alia identitate indivisibili & simplicitatis, utpote quæ omnem excludit pluralitatem, tum in actu, tum in potentia, proindeque & opponitur divisibilitati continui, ejusque continuationi, nihilominus verè dici potest & debet pars una continui, ut in continuo existens eadem divisibiliter & continuativè cum alia; ex eo scilicet quod sufficiat ad hoc, quod faciat cum alia parte eandem entitatem continuam, seu continuum idem: jam sic est quod esse idem cum alio divisibiliter & continuativè excludit actualem partium distinctionem, & solam petit distinguibilitatem, ad differentiam eorum quæ sunt idem indivisibiliter, quæ quidem nedum excludunt actualem partium distinctionem, sed omnem etiam distinguibilitatem, ut supra diximus: ergo partes illæ continui ut in continuo sunt, sufficientem habent identitatem adinvicem, ad hoc ut quamdiu in illo sunt, non sint actu distinctæ, nec faciant consequenter infinitam multitudinem, licet divisibiliter infi-

Nota.

infinitæ sint: ad ultimum verò, in quo dicitur, quod eorum quæ sunt distantia abinvicem sunt que in distinctis locis, ut sunt palmi extremi unius ulnæ, unum non potest esse idem cum alio, ad hoc inquam responderi debet, hoc esse quidem verum si fermo sit de illis, quæ ita sunt in distinctis locis, ut sint sub propriis terminis, illos scilicet non confundendo per continuationem cum aliis: ubi vero ea quæ in distinctis sunt locis, ita in illis sunt, ut ibi non sint sub propriis terminis, sed eos potius cum aliis per continuationem confundant, ut de facto reperitur in omni continuo, negatur tunc, quod ea quæ ita sunt in distinctis locis esse non possint divisibiliter & continuativè idem, cum hoc ipso quod ita confundunt per continuationem proprios terminos, faciant eandem entitatem continuam, seu continuum idem. Nota.

Colliges Pro aliis quibusdam solvendis ratiunculis, quod quamvis partes cujuslibet continui in ipso actualiter existentes sint infinitæ, non propterea sequitur, quod facere debeant continuum infinitæ magnitudinis, propterea quod cum partes illæ non sint *aliquotæ*, quæ scilicet aliquoties repetitæ exhaurlunt totum, nec sint æquales alicui parti *signatæ*, quæ scilicet est certæ & determinatæ magnitudinis, sed sint solum proportionales, id est ita quod una signata altera sit minor, & altera minor, & sic semper proportionaliter diminuantur, ita ut nunquam sit ad minimam devenire, consequenter fit, quod ex eorum multitudine, quantacumque illa sit, non possit crescere magnitudo; cum non multiplicentur nisi ex eo quod minuuntur, & tanto magis diminuantur, quanto magis multiplicantur. Item colliges quod licet quodlibet continuum habeat actu infinitas partes, non propterea sequitur, non habere unum continuum plures partes, quam aliud, quia scilicet, sicut si daretur actu infinitum secundum multitudinem hominum, daretur aliud infinitum majus, ie finitum scilicet capillorum eorumdem hominum, ita similiter, etiamsi unum continuum habeat actu infinitas partes, potest tamen continuum aliquod plures habere; & esto unum continuum non plures haberet partes, quam aliud, non inde sequitur, quod unum continuum non sit majus alio, quia cum partes illæ infinitæ continui non sint aliquotæ, & omnes uni signatæ & determinatæ parti æquales, sed sint partes proportionales & inæquales, unaque minor altera, consequenter fit, quod juxta earum pluralitatem & numerum attendi non debeat, nec colligi magnitudo & extensio continui, sed tantum juxta pluralitatem partium, quæ dicuntur aliquotæ & signatæ, quæ

quidem esse possunt plures in continuo uno quam in altero: colliges denique, quod quamvis quodlibet spatium, super quod fit motus, habeat juxta doctrinam supra expositam infinitas partes; quia tamen illæ, ut diximus, non sunt aliquotæ, & æquales uni alicui certæ & determinatæ parti determinatæ magnitudinis, sed potius minores sint & minores in infinitum, ideo sicut non faciunt tale spatium infinitæ magnitudinis, ita nec faciunt illud in aliquo determinato tempore impertransibile.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo, Favere D. Thomam præfatæ nostræ conclusioni, quod in primis colligo ex his quæ habet *in quodlibeto 1., artic. 5.* ubi hæc habet: *ad illud quod in contrarium objicitur, dicendum est, quod angelus non est in loco per commensurationem, sed per applicationem suæ virtutis ad locum, quæ quidem potest esse indifferenter & ad locum divisibilem, & ad indivisibilem: unde potest continuè moveri. sicut aliquid in loco divisibili existens, continuè intercipiendo spatium: secundum verò quod est in loco indivisibili, non potest ejus motus esse continuus; nec pertransire omnia media.* Hæc D. Thomas, ex quibus argumentor sic.

Ex D. Thoma non potest Angelus secundum quod est in loco indivisibili omnia pertransire media certi alicujus determinati spatii: sed si spatium seu continuum illud ex solis constaret indivisibilibus, gratis & sine fundamento diceretur, quod Angelus secundum quod esset in loco indivisibili non omnia posset pertransire media illius continui; cum media illa seu indivisibilia essent in hoc casu numero finita, utpote quæ ex additione unius ad alterum finitum tantum componerent continuum: ergo ex D. Thoma non componitur continuum ex solis indivisibilibus.

Secundò ex eodem D. Thoma ibidem non potest Angelus secundum quod est in loco indivisibili moveri super spatium aliquod continuum motu continuo; sed non alia hujus afferri potest ratio, nisi quia secundum quod est in loco indivisibili non tangit in spatio continuo nisi indivisibilia, quæ non sunt sibi immediata, seu immediatè succedentia, sed succedentia solum mediantibus partibus: ergo ex D. Thoma componitur etiam continuum ex partibus, & non ex solis indivisibilibus.

Tertiò, demum hoc idem ex iisdem citatis verbis colligo, solvendo per illa fundamentum præcipuum adversariorum, quo scilicet probare solent posse constare & componi continuum

ex

ex solis indivisibilibus, sive ex indivisibilibus sibi immediatè succedentibus, quodque ex consulto ad hunc remisi locum; ut illud quod mirum in modum extollunt adversarii, uno solvatur & resolvatur verbo S. Doctoris: probant namque posse continuum ex indivisibilibus componi sibi immediatè succedentibus, quia si Globus perfectè Sphæricus moveatur super perfectè planum, solum illud tangeret secundum aliquod sui indivisibile, alias non esset perfectè Sphæricus, sed planus, in ea scilicet parte secundum quam tangeret alterum corpus planum; ac proinde talis Globus tangeret planum in toto suo motu solum secundum punctum, subindeque in linea quam suo motu faceret, essent puncta seu indivisibilia sibi immediata, illaque per consequens solum componeretur indivisibilibus: jam sic est quod hanc solvit & explodit rationem S. Doctor, dum dicit quod Angelus secundum quod est in loco indivisibili non tangit spatium motu *continuo*, sed tantum *discreto*, ex eo scilicet quod tunc non tangit nisi indivisibilia quæ non sunt sibi immediata: Quod enim dicitur de Angelo secundum quod est in loco indivisibili, eadem similiter dicendum est de illo indivisibili Globi perfectè Sphærici: ergo sentit S. Doctor non posse continuum ex solis componi indivisibilibus. Nota.

QUÆSTIUNCULA.

Utrum partes illæ, quibus componitur continuum, debeant continuari & terminari per indivisibilia ab ipsis distincta.

RESPONDEO affirmativè; & primò quidem quod terminari debeat per indivisibilia ostendo sic. Quoad modum quo terminari debet continuum par est ratio de continuo in profundum, ac de continuo in longum, aut latum & sic de cæteris, cum omnia adunentur in ratione continui: sed continuum in profundum terminari non potest per aliquid divisibile, sed solum per indivisibilia: ergo per indivisibilia omne debet continuum terminari. *Probatur Minor*, continuum in profundum non est ut tale divisibile nisi in profundum: sed implicat terminari continuum in profundum per profundum quid, sive per aliquid in quantum profundum: ergo & implicat terminari continuum in profundum per quid divisibile, sive per aliquid quod in quantum terminativum sit divisibile. *Major* est evidens

differt namque continuum in profundum à continuo in latum, aut longum, quod continuum in latum divisibile est in latum, continuum verò in profundum est in quantum tale divisibile in profundum. *Probatur minor*, triplici medio.

Primò, terminus in quantum terminus non dicit nec potest dicere esse terminabile; cum sit potius correlativè oppositus ad ipsum terminabile: sed profundum in quantum tale importat esse terminabile; cum in quantum tale partem importet *interiorem*, ut dicam, & *exteriorem*; & interior terminabilis sit, terminanda, & terminata; ergo non potest terminari continuum in profundum per profundum quid, sive per aliquid, quod in quantum terminativum sit profundum.

Secundò, per illud terminatur continuum in profundum, per quod & in quo contiguum est loco seu corpori ambienti; sed non potest per profundum quid in quantum tale contiguum esse loco, sive corpori ambienti; cum in quantum profundum aliquid dicat, quod à loco seu corpore ambiente non tangitur: ergo non potest continuum in profundum terminari per aliquid, quod in quantum terminativum sit profundum.

Tertiò illud, quo terminatur continuum in profundum, est aliquid quòd ejus est, non autem aliquid quod ipsum est; cum se habeat *ut quo* ad ipsum continuum in profundum; ipsum verò continuum se habeat *ut quod* ad tale quid: sed sic est quod ipsum profundum, non se habet ad continuum in profundum, ut tantummodo aliquid ejus, sed est de facto ipsum continuum, cum hoc ipso quod profundum est, sit divisibile in profundum, quod est constitutiva ratio ipsius continui in profundum: ergo non potest continuum in profundum terminari per aliquid, quod in quantum terminus sit profundum.

Jam verò quod continuari debeant præfatæ partes per indivisibilia, sicut & per indivisibilia terminantur ostendo sic: extenditur continuum per hoc quod uniuntur & copulantur continui partes: sed si seipsis uniretur & non per indivisibilia, non posset continuum extendi per hoc quod ejus uniretur partes: ergo non possunt partes continui uniri & copulari per se ipsas ut divisibiles sunt, sed debent indivisibilibus copulari. *Probatur Minor*, in tantum extenditur continuum per unionem suarum partium, in quantum taliter uniuntur, quod sit una omnino extra aliam: sed si seipsis ut divisibilibus unirentur, non ita unirentur, quod esset una omnino extra aliam: ergo si seipsis ut divisibilibus unirentur, non posset per earum unionem extendi continuum.

num. *Probatur Minor*, in tantum est una pars omnino extra aliam, in quantum est locus unius omnino extra locum alterius; cum parti cuilibet divisibili suus debeatur locus: sed si seipsis ut divisibilibus uniretur, non esset tunc locus unius extra locum alterius: ergo nec esset una pars omino extra aliam. *Probatur Minor*: non possunt partes seipsis uniri ut divisibilibus, & non correspondere locus ei in quo uniuntur; cum ut dictum fuit supra cuilibet divisibili debeatur locus: sed locus ille correspondens ei, in quo uniuntur, est unus & idem, sicut & locus correspondens eis in quibus disiunguntur, est alius & alius: ergo hoc ipso quod uniuntur partes seipsis ut divisibilibus, idem hoc ipso correspondet locus ei in quo uniuntur: atqui uniuntur tunc in altera & altera divisibili parte: ergo hoc ipso quod uniuntur continui partes seipsis ut divisibilibus, idem hoc ipso correspondet locus alteri & alteri divisibili parti, proindeque non est tunc locus unius extra locum alterius.

Dices primò: ideo ergo continuari debent partes continui per indivisibilia, quia alias non esset una extra aliam: sed præstare non potest indivisibile, quod sit pars una extra aliam: ergo frustra requiruntur indivisibilia illa continuativa. *Probatur minor*, quod facit, partem unam esse extra alteram, facit & quod penetrationi resistant; sed præstare non potest indivisibile, quod partes penetrationi resistant: ergo neque præstare potest, quod sit pars una extra alteram. *Probatur Minor*, quod non potest secundum se sumptum penetrationi resistere, multo minus præstare poterit, quod alia penetrationi resistat: sed non potest indivisibile secundum se sumptum penetrationi resistere; cum talis sit naturæ, quod secundum se totum tangat, hoc ipso quod tangit, & hoc ipso quod tangitur; secundum se totum tangetur, ergo præstare non potest indivisibile, quod partes penetrationi resistant.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti; ad tertium vero nego majorem; ideo namque non potest indivisibile secundum se sumptum penetrationi resistere, quia consideratum punctum secundum se, & non ut est aliquid alterius scilicet partis, tunc tangere non potest nec tangi, quia secundum se totum tangatur: jam sic est quod aliter sumptum indivisibile, id est non secundum se, sed ut est aliquid alterius, scilicet partis, tunc quando tangit aut tangitur facit quod illud cujus est non secundum se totum tangat aut tangatur, sed solum secundum aliquid sui, sive secundum extremitatem sui indivisibilem: ergo quamvis indivisibile secundum se spectatum non possit resiste-

re

re penetrationi, potest tamen præstare, quod alia penetrationi resistat: loquendo enim comparativè ad penetrationē est indivisibile secundum se sumptum alterius rationis à seipso ut afficiente partes; cum ut afficiens partes tangat ut extremitas alterius, non autem secundum se sumptum, ex quo consequenter fit quod ut afficiens partes penetrationem impediat, cum faciat quod partes quæ se tangunt, se solum tangant secundum extremitatem, subindeque non secundum se totas se tangant; quod quidem verificari nequit de indivisibili secundum se sumpto, cum non sit ut tale extremitas alterius, nec consequenter tangens ad modum dumtaxat extremitatis.

Dices secundò, non alia de causa requiruntur indivisibilia terminativa, nisi ad hoc ut per ea ipsum terminetur continuum: sed talibus seclusis indivisibilibus æque intelligitur terminatum continuum, ac cum illis: ergo frustra requiruntur præfata hæc indivisibilia. *Probatur Minor*, in tantum intelligitur terminatum continuum, in quantum illud hucusque intelligimus extensum, & non ultra: sed seclusis præfatis indivisibilibus, non propterea ultra extenderetur: ergo talibus seclusis indivisibilibus, æque intelligitur terminatum continuum, ac cum illis.

Respondeo distinguendo majorem: non alia de causa requiruntur indivisibilia terminativa, nisi adhoc ut per ea ipsum terminetur continuum, terminatione qualicumque Nego majorem; terminatione propria & connaturali ipsi continuo Concedo; & sub eadem distinctione minoris Nego consequentiam. Non igitur hæc requiruntur indivisibilia, ut scilicet per ea utcumque terminetur continuum; patet enim quod his seclusis indivisibilibus, aut à Deo impedita eorum resultantia adhuc intelligitur terminatum continuum per solam extensionis ulterioris negationem: Hæc tamen omnino requiruntur indivisibilia, ut scilicet terminetur continuum terminatione sibi connaturali & propria; cujus ratio est, quia terminatio propria & connaturalis continuo ea est, qua ex continuo fit contiguum, cum ex quo desinit esse continuum, incipiat hoc ipso esse alicui alteri contiguum: jam sic est, quod ut ita terminetur contiguum, quod ex continuo fiat contiguum, necesse est quod terminetur per indivisibilia: cum contigua sint, quorum extrema sunt simul; & extrema illa non possint non esse indivisibilia; tum quia hoc ipso quod simul sunt, non possunt alteri & alteri loco correspondere, cum tamen si divisibilia essent diversis corresponderent locis, alias duo quanta in eodem essent loco, subindeque

Nota.

indeque & penetrarentur ; tum quia hoc ipso quod extrema sunt, ita sunt alterius extremitas, ut non sit aliud extremitas illorum, cum tamen omne divisibile aliquid habeat, quod sit extremitas illius, ut patet in exemplo de divisibili in profundum: ergo ut ipsum terminetur continuum modo connaturali & proprio præfata requiruntur indivisibilia terminativa.

Dices 3. si essent in continuo indivisibilia continuativa, vel essent talia in actu vel tantum in potentia ; sed neutrum dici potest: ergo non dantur in continuo indivisibilia illa continuativa. *Probatur Minor*; & primo quidem quod esse non possint in actu: indivisibilia quæ sunt in actu reddunt partes quas continuant actu distinctas; sed non sunt partes continui, actu distinctæ, sed solum distinguibiles, ut nuper dicebamus; aliàs daretur infinitum in actu secundum numerum, cum sint in continuo infinitæ partes: ergo non sunt actu in continuo indivisibilia illa terminativa. Jam vero quod neque sint in potentia tantum probatur sic: admittuntur & requiruntur hæc indivisibilia, ut per ea tanquam indivisibilibus terminis copulentur partes: sed partes in continuo sunt in actu copulatæ: ergo & talia indivisibilia esse debent actu in continuo, & non tantum in potentia.

Respondeo, dari in continuo indivisibilia continuativa in actu: non enim habent partes continui, quod sint impenetratæ, seu una extra aliam nisi beneficio indivisibilium quibus uniuntur, & mediis quibus habent solum se tangere secundum extremitatem sui, & consequenter non secundum se totas; ac proinde cum sint partes continui actu impenetratæ, debent consequenter admitti in continuo præfata indivisibilia in actu. Unde ad probationem in contrarium nego majorem quod scilicet indivisibilia illa in actu reddant partes, quas continuant, actu distinctas, loquendo, ut loquitur arguens, de actuali illa distinctione quæ facit numerum. Quin imo hoc ipso quod talia indivisibilia continuativa, sunt actu inter partes, faciunt quod sint partes illæ eædem, ut ita loquar, continuativè & divisibiliter; tum quia mediis illis indivisibilibus actu continuantibus faciunt partes eandem entitatem continuam, seu continuum idem, in quo consistit identitas illa partium continuativa & divisibilis ; tum quia quamdiu ita actu continuantur partes per indivisibilia, tamdiu habent non esse sub propriis terminis, sed eos potius cõfundere per continuationem cum aliis; atque ita cum hoc opponatur actuali partium homogenearum distinctioni, urpote quæ ad differentiam Hetherogenearum non habent distingui, nisi in quantum sub propriis existunt terminis, cum sint aliunde

Nota.

aliunde ejuſdem omnino rationis, conſequenter fit, falſam eſſe præfatam majorem, quod ſcilicet indiviſibilia illa in actu reddant partes quas continuant actu & actualiter diſtinctas; licet illas reddant actu impenetratas: non enim actualis impenetratio importat & exigit actualem etiam diſtinctionem; tum quia adeſt actualis partium impenetratio, ubi adeſt præciſè continuatio, ſubindeque & continuativa identitas; tum quia verificatur actualis partium impenetratio, quamvis non maneant partes ſub propriis terminis, ſed eos potius per continuationem cum aliis confundant.

Inſtabis: non poteſt nec debet admitti infinitum in actu, ut in ſequenti quæſtione probatur; ſed ſi eſſent in continuo indiviſibilia in actu, daretur infinitum indiviſibilium in actu: ergo non ſunt in continuo indiviſibilia in actu. *Probatur minor*, non poſſunt in continuo admitti indiviſibilia in actu & non admitti tot, quot ſunt partes diviſibiles quas continuant, ſunt infinitæ: ergo & infinita eſſent indiviſibilia in actu, ſi ſemel admittantur in continuo indiviſibilia in actu.

Reſpondeo negando minorem, ad cujus probationem nego majorem, puta quod hoc ipſo quod in continuo admittuntur indiviſibilia in actu, tot admitti debeant in actu quot ſunt partes diviſibiles quas continuat, cujus negati ratio eſt, quia hoc ipſo quod unum ſufficit indiviſibile ad plures afficiendum partes in ordine ad continuationem, non opus eſt, nec opus eſſe poteſt, tot eſſe admittenda indiviſibilia in actu, quot ſunt partes diviſibiles quas continuant: jam ſic eſt quod unum indiviſibile in actu unam formaliter afficiens partem, afficit hoc ipſo virtualiter ſaltem & virtualiter continuat, ſeu vim habet continuandi plures, imò & infinitas partes proportionales; ex eo ſcilicet quod unam afficiendo partem, totam illam reddit impenetratam & coordinatam alteri ſecundum extremitates, ſubindeque & continuatam; & ſic plures virtualiter afficit & continuat partes, cum in ea quam ita reddit impenetratam & coordinatam alteri, plures imò & infinitæ reperiantur partes. Non ergo ſequitur, admittenda fore infinita indiviſibilia in actu, ſed ſufficiunt finita in actu ad continuandas partes ita in infinitum diviſibiles; quamvis ſint admittenda infinita in potentia, in quantum ſcilicet ad diviſionem partium [quæ quidem diviſio fieri poteſt in infinitum] reſultat indiviſibile terminativum.

Nota.

Notandum tamen eſt circa doctrinam ibi expoſitam, quod quando dictum fuit & dicitur communiter, quod indiviſibile afficit partem, non debet hoc ita intelligi, ut poſſit indiviſibile totam

totam formaliter afficere partem, tum quia indivisibile non potest adæquari divisibili; tum quia quacumque data & assignata parte, utper indivisibile afficiatur, cum sit hæc divisibilis, potest consequenter & alia & alia assignari medietas prior, quæ tali indivisibili afficiatur, sed debet dictum illud ita & taliter intelligi, quod præfatum indivisibile, licet virtualiter totam afficiat partem in sensu supra exposito, formaliter tamen non nisi inadæquatè afficiat; cujus ratio est, quia indivisibile est initium, seu principium partis aut terminus; principium autem rei non potest formaliter afficere rem ipsam totam & adæquatam, alias esset totum, sed afficit formaliter, inchoando illam, quod est afficere inadæquatè.

QUÆSTIO III.

Vtrum possibile sit infinitum in actu.

PRæmittendum primo, infinitum illud dici, quod finem seu terminum non habet, & à quo secundum quantitatem accipientibus, semper aliquid supereſt accipiendum. Est autem infinitum aliud secundum essentiam, quod scilicet in sua ratione essentiali limitatum non est ad unum genus perfectionis, sed potius in se præcontinet possibiles omnes perfectiones. Aliud vero est infinitum dumtaxat secundum accidens, nimirum quod in aliqua ratione sibi accidentali finem non habet: puta si corpus dicatur esse extensionis infinitæ; si calor infinitæ intensionis; si res fuerint numero infinitæ, &c. præterea aliud quoque est quod dicitur tantum *comparativè* infinitum; quando scilicet res utpote superioris ordinis possibilibus aliis inferioris ordinis etiam infinitis dignitate & perfectione præstat. Quo pacto homo v. g. species tum plantarum, tum brutorum omnes in infinitum possibiles superat naturæ perfectione; quamvis ipse ab alio puta ab Angelo superetur. Alioquin illud dicitur absolutè infinitum, quod alia omnia superat, & à nullo superatur. Item aliud etiam duplex est infiniti genus: ac primò quidem infinitum *in actu*, secundum autem *infinitum in potentia*, infinitum in actu illud est, quod secundum rationem suam actualem, seu secundum ea quæ actu continet, nullo terminatur fine; vocaturque infinitum *simpliciter*, & *categorematicè*; quia quemadmodum in Dialectica terminus ille dicitur categorematicus, qui per se & absque addito significat: ita & illud dicitur infinitum categorematicum, quod simpliciter est infinitum. Infini-

rum autem in potentia illud dicitur, quod in ratione actuali quam habet, aut quæ in eo assignari potest, semper quidem est finitum, sed est simul cum potentia ad aliud sine termino. Cujusmodi ratio infiniti iis convenit rebus, quæ semper crescere aut minui possunt; vel si lubet, in quibus fieri potest processus in infinitum sine termino, Ut quando ajebamus, continuum esse divisibile in infinitum. Vocatur autem infinitum dumtaxat secundum quid, & syncategorematicum, quia de se est tantum quid finitum, nec habet rationem infiniti, nisi quatenus semper est in potentia ad aliud; unde & appellari solet infinitum in potentia, de hoc autem infinito non procedit præsens quæstio; sed de infinito in actu; non quidem in ratione essentiali, cum evidens sit, omne creatum hoc ipso quod tale esse finitæ & taxatæ essentiæ & essentialis perfectionis, sed de infinito in actu in aliqua ratione accidentali. Unde quæsiti sensus est iste, an scilicet sicut repugnat ens, sive corpus mobile, sicut & aliud omne genus entis creati esse actu infinitum secundum essentiam, ex eo scilicet quod importat potentialitatem & actum, quæ quidem duo, cum finita sint utpote quæ se mutuo negant, non possunt consequenter facere & componere nisi finitum quid; ita similiter repugnat, quod infinitum sit in aliqua ratione accidentali, puta & magnitudine, multitudine, & intensione.

Præmittendum 1. pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque vim habitura principii, puta quod *non potest ex iisdem intrinsecis provenire inclinatio ad aliquid, & impedimentum ad illud*; quod *non potest pars æqualis esse suo toti*; quod *intensa qualitas est virtus creata subsistantia*. Primò quidem non potest ex iisdem intrinsecis provenire inclinatio ad aliquid, & impedimentum ad illud, tum quia oppositorum, ut dicitur communiter, opposita est ratio; tum quia inclinatio naturæ esse non potest ad impossibile; ac proinde cum illud sit naturæ impossibile, ad quod ex ptopriis & intrinsecis impedimentum habet, consequenter fit, non posse naturam ad illud inclinare ab intrinseco, hoc ipso quod ab intrinseco oritur impedimentum ad illud; sicque fieri non potest, quod ex iisdem intrinsecis proveniat inclinatio ad aliquid & impedimentum ad illud. Quantum vero ad secundum, puta quod non potest pars æqualis esse suo toti, patet evidenter ex illo communi dicto naturali lumine noto *omne totum est majus sua parte*: quod quidem ex eo dicitur naturali lumine notum, quia ex ipso naturali lumine manifestum est, partem componere totum cum additione

tione compartis, subindeque & esse totum majus sua parte; cum supra & præter partem quam includit, aliam etiam addat & includat compartem, quæ tamen in parte non includitur. Denique quod intensa qualitas sit virtus creatæ substantiæ, quod est tertium præmissum principium, ex eo similiter patet, quod intensa qualitas hoc ipso quod talis, est susciplens magis & minus ut per se patet, subindeque & est perfectibilis, & esse potest imperfecta virtus: jam sic est, quod imperfecta aut perfectibilis virtus non nisi creatæ substantiæ potest competere: ergo intensa qualitas non nisi creatæ substantiæ esse potest virtus. His autem tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit

CONCLUSIO: *implicat dari in rerum natura infinitum in actu, sive in magnitudine, sive in multitudine, sive in intensione.*

Probatur prima pars ex primo præmisso principio, *non potest ex iisdem intrinsecis provenire inclinatio ad aliquid, & impedimentum ad illud*: ergo dari non potest in rerum natura infinitum in actu secundum magnitudinem, *Probatur consequentia*, si esset in rerum natura corpus aliquod infinitæ magnitudinis, ex iisdem intrinsecis proveniret in eo inclinatio ad localem motum, & impedimentum ad illum: ergo hoc ipso quod non potest ex iisdem intrinsecis provenire inclinatio ad aliquid & impedimentum ad illud, nec dari potest in rerum natura infinitum in actu secundum magnitudinem. *Consequentia* est evidens, *Probatur antecedens*, principium intrinsecum localis motus in corpore, non est aliud, quam ipsius quantitas: sed dato in rerum natura corpore aliquo infinitæ magnitudinis, esset ipsius quantitas impedimentum ad localem motum: ergo & ab eodem intrinseco ex quo proveniret inclinatio, proveniret & impedimentum. *Major* est evidens; idem enim est principium intrinsecum localis motus, & extensionis localis, quod quidem non aliud est quam quantitas. *Probatur minor*, omnis localis motus vel est rectus vel circularis: sed dato corpore infinitæ magnitudinis, impediret quantitas, ne moveri posset motu, recto & circulari; ergo esset ipsius quantitatis impedimentum ad localem motum. *Minor*: quoad primam partem conceditur, sive quoad motum rectum; infinita namque quantitas faceret, quod corpus omnem prorsus occuparet locum, subindeque & impediret, ne posset partem loci de novo acquirere & partem deserere, in quo consistit motus rectus. *Probatur* igitur *Minor*

quoad secundam partem; ut aliquid moveatur circulariter, deber una illius pars transire ad locum alterius: sed in corpore infinitæ magnitudinis, impediret tunc quantitas, ne una illius pars transiret ad locum alterius: ergo & esset tunc quantitas impedimentum ad motum circulatem. *Probatur Minor*, infinita distantia non est per motum pertransibilis: sed in corpore infinitæ quantitatis seu magnitudinis, faceret quantitas quod inter quamlibet determinatam partem esset infinita distantia; cum quanto aliquæ lineæ amplius protrahuntur à centro, tanto amplius inter se distent; & faceret tunc quantitas illa infinita quod quælibet linea talis corporis in infinitum protraheretur à centro, cum faceret quod quælibet esset secundum longitudinem actu infinita: ergo in corpore infinitæ magnitudinis impediret quantitas, ne una illius pars transire posset ad locum alterius: ergo in corpore infinitæ magnitudinis, impediret ejus quantitas & motum rectum & circularem: ergo in corpore infinitæ magnitudinis esset ejus quantitas impedimentum ad localem motum; ergo dato in rerum natura corpore aliquo infinitæ magnitudinis ab eodem principio intrinseco proveniret & inclinatio ad localem motum, & impedimentum ad illum: ergo hoc ipso quod non potest ex iisdem intrinsecis provenire inclinatio ad aliquid, & impedimentum ad illud [quod est primum præmissum principium] nec etiam dari potest in rerum natura corpus aliquod infinitum in actu secundum magnitudinem.

Probatur secunda pars conclusionis ex secundo præmisso principio, *non potest pars aliqua æqualis esse suo toti*: ergo nec dari potest infinitum in actu secundum multitudinem. *Probatur consequentia*, dato in rerum natura infinito in actu secundum multitudinem, daretur tunc pars quæ foret æqualis cum suo toto: ergo hoc ipso quod dari non potest pars, quæ sit æqualis suo toti, nec etiam dari potest infinitum in actu secundum multitudinem. *Probatur antecedens*: extensio infinita versus unam tantum partem se habet ad extensionem infinitam ad omnem partem, sicut pars ad totum: sed admisso infinito in actu secundum multitudinem, æquivaleret extensio infinita versus unam partem extensioni infinitæ versus omnem partem: ergo & tali admisso infinito pars foret æqualis toti. *Major* per se patet. *Probatur Minor*, ideo non æquivalet extensio infinita versus unam partem extensioni infinitæ ad omnem partem, quia hæc omne replet spatium possibile, illa vero solum

lum, secundum longitudinem : sed admisso infinito in actu secundum multitudinem possent extensa infinitè versus unam partem omne etiam replere spatium possibile : ergo & posset extensio infinita versus unam partem æquivalere infinitæ extensioni versus omnem partem. *Major* conceditur. *Probatur minor*, supponendo, quod infinitum illud in actu secundum multitudinem esset dispositum adinstar lineæ protractæ in infinitum secundum longitudinem ; quo supposito argumentor sic : multitudo hæc infinita ita disposita esset tantum infinitè extensa versus unam partem : sed multitudo hæc infinita ita disposita posset omne replere spatium possibile : ergo admisso infinito in actu secundum multitudinem possent infinitè extensa versus unam tantum partem omne etiam replere spatium possibile. *Probatur Minor*, si multitudo infinitè extensa versus unam partem convolveretur in cumulum, non posset non replere omne spatium possibile ; cum tanto majus repleatur spatium versus omnem partem, quanto plura convolvuntur in cumulum, proinde & infinitum spatium replere debeat versus omnem partem, hoc ipso quod infinita convolvuntur in cumulum : sed non repugnat, quod præfata multitudo infinita ita disposita in longum convolvatur in cumulum, ut per se patet : ergo & posset multitudo hæc infinita ita disposita in longum omne replere spatium possibile, seu versus omnem partem : ergo admisso infinito in actu secundum multitudinem possent extensa infinitè versus unam partem omne etiam replere spatium possibile : ergo admisso infinito in actu secundum multitudinem æquivaleret extensio infinita versus unam partem extensioni infinitæ versus omnem partem : ergo admisso infinito in actu secundum multitudinem pars foret æqualis suo toti : ergo hoc ipso quod non potest pars aliqua æqualis esse suo toti [quod est secundum præmissum principium] nec etiam dari potest infinitum in actu secundum multitudinem. *Nota.*

Probatur tertia pars conclusionis ex tertio præmisso principio, *intensa qualitas est virtus creata substantiæ* : ergo dari non potest infinitum in actum secundum intensionem. *Probatur Consequentia*, dari non potest virtus substantiæ creatæ infinitè intensa : ergo hoc ipso quod intensa qualitas est virtus creatæ substantiæ, dari non potest qualitas infinitè intensa, seu infinitum in actu quoad intensionem. *Consequentia*, est evidens. *Probatur antecedens* virtus infinitè intensa est etiam infinitè activa : sed dari non potest virtus substantiæ creatæ in-

finitè activa: ergo nec dari potest infinitè intensa. *Major* est evidens, *Probatur minor*, non est major activitas in virtute, quam sit actualitas in ente, cujus est virtus: sed actualitas creatæ substantiæ esse non potest infinita: ergo nec virtus creatæ substantiæ esse potest infinitè activa. *Minor* supponitur certa; actualitas namque infinita debet in se præcontinere eminentialiter omne ens, cum non sit actualitas potentialitati admixta, quæ tamen præcontinentia competere nequit creatæ substantiæ, utpote quæ limitata est ad certum genus & differentiam. *Probatur Major*, unumquodque agit, in quantum est in actu: ergo quantum habet unumquodque de eo quo est in actu, tantum et etiam habet de eo, quo agit, sed est unumquodque in actu per sui actualitatem, & agit per actualitatem suæ virtutis: ergo tanta & non major est activitas in virtute, quanta est actualitas in ente cujus est virtus: ergo dari non potest virtus substantiæ creatæ infinitè activa, cum dari non possit substantia creata infinitæ actualitatis: ergo dari non potest virtus substantiæ creatæ infinitè intensa: ergo hoc ipso quod intensa qualitas est virtus creatæ substantiæ [quod est tertium præmissum principium] nec etiam dari potest qualitas infinitè intensa, sive infinitum in actu secundum intensionem.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia fundamenta in solutionibus objectorum.

Objicies primo, non potest infinitum in actu esse à Deo cognoscibile, & non esse à Deo producibile: sed infinitum in actu cognoscitur à Deo: ergo & potest à Deo produci. *Major* est certa; non enim est impossibile apud Deum omne verbum; unde cum cadat sub verbo quidquid cadit sub cognitione, quæ quidem per verbum exprimitur ut notat Divus Thomas, consequenter fit, quod id omne sit à Deo producibile, quod est à Deo cognoscibile. *Probatur minor*, simul cognoscere quidquid est in infinito in potentia est cognoscere infinitum in actu: sed Deus cognoscit simul quidquid est in infinito in potentia: ergo cognoscit Deus infinitum in actu. *Minor* est certissima: cognitio enim quæ fit & augetur successive, est cognitio imperfecta, ac proinde non potest Deo convenire. *Probatur Major*: hoc ipso quod simul producere quidquid est in infinito in potentia, est producere infinitum in actu, ita & simul cognoscere quidquid est in infinito in potentia est cognoscere infinitum in actu: sed simul producere quidquid est in infinito in potentia est producere infinitum in actu, ut concedi-

tur

tur: ergo & simul cognoscere quidquid est *in infinito in potentia* est cognoscere infinitum in actu.

Respondeo negando minorem, quod scilicet infinitum in actu sit vel à Deo vel à quovis alio cognoscibile, vera scilicet cognitione, ut enim notat D. Thomas exponendo verba illa Evangelistæ *non est impossibile apud Deum omne verbum*, quod implicat contradictionem cadere non potest sub cognitione, cum verificari non possint contradictoria, & verum sit ipsum cognitionis objectum: jam sic est, quod involvitur contradictio in infinito in actu semel admisso, ut colligitur ex dictis supra in probationibus conclusionis, & ut insuper ostenditur, tum quantum ad infinitum secundum multitudinem; creet enim Deus mundos infinitos cum singulis arenulis, illi consequenter replebunt omne spatium possibile; sed deinde annihilet mundos ejusmodi, servatis tantum singulis arenulis, illæ, cum essent infinitæ, deberent pariter replere omne spatium possibile, quod tamen in suppositione facta omnino implicat: tum etiam quantum ad infinitum secundum magnitudinem: supponamus enim creari à Deo filum infinitum secundum longitudinem: tum convolvatur in globum: sequetur inde globum fieri infinitum, & replere spatium omne possibile, cum tamen anteà repleret tantummodo spatium secundum longitudinem; unde & sequeretur partem esse æqualem toti, quod implicat contradictionem: non igitur vera est illa minor, quod scilicet infinitum in actu, loquendo de infinito creato cognoscatur vel sit à Deo cognoscibile.

Unde ad probationem minoris negatæ distinguo majorem sic: simul cognoscere quidquid est in infinito in potentia, est cognoscere tunc infinitum in actu, ly *simul* cadente supra rem cognitam, & se tenente ex parte rei cognitæ, Concedo majorem, quod scilicet hoc sit cognoscere infinitum in actu: ly *simul* se tenente non ex parte rei cognitæ, sed ex parte solum cognoscentis Nego majorem; & sub ea distinctione minoris Nego consequentiam. Pro quo notandum est, & quidem seriò & diligenter, quod aliud est simul cognoscere quidquid est in infinito in potentia, ly *simul* se tenente ex parte cognoscentis, & aliud, ly *simul* se tenente ex parte rei cognitæ: primum enim verificatur per hoc præcisè, quod nihil eorum quæ sunt sub infinito in potentia latent cognoscentem; unde cum fieri possit quod nihil eorum lateat cognoscentem, quamvis adhuc extent in potentia, nec intelligantur nisi possibiliter, consequenter fit, quod ut cognoscat Deus simul omne quod est in infinito in po-

tentia, ly *simul* se tenente ex parte cognoscentis; non propterea debeat cognoscere infinitum in actu: bene quidem si simul cognosceret, ly *simul* se tenente ex parte rei cognitæ, quia ad hoc non sufficit, quod nullum eorum lateat cognoscentem, sed præterea requiritur, quod ea cognoscat simul in actu; hoc enim est cognoscere simul ex parte rei cognitæ; quia vero non est necesse, quod cognoscat Deus simul ex parte rei cognitæ, ut sine imperfectione cognoscat, sed sufficiat quod simul cognoscat ex part- cognoscentis, cum per hoc secludatur successio; quæ imperfectionem argueret, sequitur de primo ad ultimum, non propterea cognoscere Deum infinitum in actu, quamvis simul & sine imperfectione cognoscat quidquid est in infinito in potentiâ, puta creaturas omnes possibiles, vel omnes continui divisiones, quæ sunt similiter infinitæ in potentia. Ad ultimum autem n gatur paritas majoris, propterea quod hoc ipso quod simul produceretur quidquid est in infinito in potentia, produceretur simul, ly *simul* se tenente & ex parte rei productæ, & ex parte producentis, ut per se patet; cum tamen cognosci possit simul, ly *simul* se tenente; ut diximus ex parte cognoscentis, & non ex parte rei cognitæ.

Instabis, non potest aliquid simul cognosci ex parte cognoscentis, & non cognosci simul ex parte rei cognitæ: ergo nulla solutio. *Probatur antecedens*, modus intelligendi rem sequitur modum rei intellectæ: ergo non potest aliquid cognosci simul ex parte cognoscentis, & non cognosci simul ex parte rei cognitæ. *Probatur antecedens*, intellectus intelligendo fit res intellecta, ejque assimilatur; sed si non sequeretur in modo intelligendi modum rei intellectæ, non ita assimilaretur rei intellectæ intelligendo: ergo modus intelligendi rem sequi debet modum rei intellectæ.

Respondeo negando antecedens; cujus quidem falsitas patet ex superiori responsione; ad probationem verò nego similiter antecedens, si nimirum sermo sit de modo rei intellectæ in seipsâ. Noster namque intellectus, quamvis intelligat res, per hoc quod similis est eis quantum ad speciem intelligibilem, qua informatur, & per quam fit in actu, non tamen oportet, quod eo modo sit species in intellectu, sicut in re, vel è converso. Etenim omne quod est in aliquo est per modum illius in quo est, & ideo ex natura intellectus, quæ est alia à natura rei intellectæ, necesse est, quod alius sit modus intelligendi, quo intellectus intelligit, & alius sit modus essendi quo res existit, sive quod alius sit modus essendi rei in intellectu, & alius modus essendi rei

in

in seipsa ; licet enim oporteat, illud esse in re, quod intellectus in ea intelligit, alias vera non esset intellectio, non tamen oportet, quod sit in ea eodem modo, quo in intellectu : quod quidem patet in exemplo de mathematicis, & universalibus intellectis ; videmus namque quod quamvis intellectus intelligat mathematica, non intelligendo sensibilia, & universalia præter particularia, non tamen oportet propterea, quod in re ipsa Mathematica sint præter sensibilia & universalia præter particularia, sicut & quamvis visus percipiat colorem sine sapore, adhuc tamen in rebus ipsis sensibilibus simul inveniuntur color & sapor ; non igitur modus intelligendi rem ita sequitur modum rei intellectæ, ut faciat, quod hoc ipso quod simul cognoscitur ex parte cognoscentis quidquid est in infinito in potentia, hoc ipso etiã cognosci debeat simul ex parte rei cognitæ *Nota.*

Vrgebis, dato, quod simul tantum cognoscatur ex parte cognoscentis quidquid est in infinito in potentia, adhuc verificatur cognosci infinitum in actu : ergo adhuc habetur intentum. *Probatur antecedens*, hoc ipso quod cognoscitur creatura omnium perfectissima, cognoscitur infinitum in actu, sed per hoc quod simul cognoscitur ex parte cognoscentis quidquid est in infinito in potentia, puta quidquid est in infinitate creaturarum possibiliũ, cognoscitur & creatura omnium perfectissima : ergo & per hoc præcisè cognoscitur infinitũ in actu. *Major* est evidẽs ; creatura namque perfectissima participiat perfectionem Dei quantum participabilis est, subindeque & est infinitæ perfectionis, cum sit Deus infinitè participabilis. *Probatur Minor*, in collectione omnium creaturarum debet una dari perfectissima, cum supponantur se habere ad invicem cum excessu perfectionis : sed hoc ipso quod simul cognoscitur ex parte cognoscentis quidquid est in infinitate possibilium, fit hoc ipso collectio omnium creaturarum in mente cognoscentis : ergo & hoc ipso cognoscitur creatura una, quæ sit omnium perfectissima.

Respondeo negando antecedens : ad cujus probationem nego minorem, nimirum quod cognoscatur creatura omnium perfectissima per hoc quod simul cognoscitur ex parte cognoscentis quidquid est in infinito in potentia ; cujus ratio, & quidem pro multis solvendis similibus difficultatibus multùm notanda est, quia simul cognoscere ex parte cognoscentis quidquid est in infinito in potentia, puta in infinitate creaturarum possibilium, nihil aliud dicit nec exigit, quam quod nihil seu nullum eorum, quæ sunt in tali infinitate possibilium lateat cognoscentem : ergo ex eo quod simul cognoscatur ex

parte cognoscentis quidquid est in tali infinitate, non propterea sequitur quod debeat aliquid cognosci, quod in ea non est, aut alio modo quam in eâ est: Iam sic est quod in tali infinitate creaturarum possibilium non est creatura una quæ sit omnium perfectissima, sicut nec in infinitate divisibilium in infinitum esse debet una divisio quæ sit omnium ultima; propterea quod salvatur infinitas creaturarum possibilium per hoc præcisè quod salvatur, non tot esse productas perfectas, quin plures sint producibiles perfectiores, quod quidem ut verificetur, non opus est creatura una perfectissima, ut per se patet; quin imò hæc potius excluditur: ergo ex eo quod simul cognoscatur ex parte Dei cognoscentis quidquid est in infinitate creaturarum possibilium, aut in infinitate divisibilium in infinitum, non propterea sequitur, quod debeat cognosci creatura aliqua omnium perfectissima, sicut nec divisio una quæ sit omnium ultima.

Unde ad ultimum distinguo majorem: in collectione omnium creaturarum debet una dari perfectissima, si sit sermo de collectione facta media productione, Concedo majorem; si autem sermo sit de collectione mentali seu facta beneficio intellectus, ut sermo est in præsenti casu, Nego majorem. Verum quidem, quod si colligerentur creaturæ omnes & singulæ per completam earum productionem, necesse esset, reperiri tunc unam omnium perfectissimam, cum esset tunc exhausta ipsa Dei participabilitas, quæ quidem cum exhauriri non possit per minus perfectas, non esset tunc exhausta nisi per perfectissimam, & infinitè perfectam: attamen si sit sermo de earundem collectione solum mentali, seu quæ collectio sit solum respectu intellectus simul ex parte sui cognoscentis quidquid est in infinitate possibilium, cum ad hoc sufficiat, quod nullum eorum lateat intellectum, & nullum de facto lateat intellectum Dei, quamvis nullum eorum sit assignabile perfectissimum, sed sint tolum assignabilia perfectiora & perfectiora in infinitum, ex eo scilicet quod adhuc sunt cognoscibilia, subindeque & terminativa cognitionis divinæ & infinitæ, consequenter fit quod in tali collectione mentali, quæ scilicet fit beneficio intellectus simul ex parte sui cognoscentis quæcumque sunt in tali infinitate creaturarum possibilium, non propterea reperiri debeat, nec assignabilis sit creatura una, quæ sit omnium perfectissima.

Urgebis iterum: creatura ultimo participans perfectionem Dei est creatura omnium perfectissima: sed in tali collectione mentali, quæ scilicet fit beneficio intellectus simul ex parte sui cognoscentis creaturas omnes possibiles, unam videt Deus quæ ulti-

ultimo participat sive participaret ejus perfectionem: ergo & in tali collectione mentali unam cognoscit Deus perfectissimam. *Probatur Minor*, hoc ipso quod præter creaturas, quas videt Deus nulla est participans, & inter eas quas videt una est participans, quasi post aliam, non potest non videre Deus ultimo participantem, videndo omnes collectivè, seu simul cognoscendo omnes ex parte sui: sed præter eas quas videt Deus, nulla est creatura participans. & inter eas quas videt, una est participans quasi post aliam, cum supponantur participare cum quodam ordine, sive secundum magis & minus: ergo in tali collectione mentali unam videt Deus quæ ultimò participet, sive participaret ejus perfectionem.

Respondeo negando minorem, cujus falsitas abundè patet ex dictis supra in responsionibus ad alias instantias. Unde ad probationem nego majorem, & pro ratione negati instantiam affero irrefragabilem: pro quo suppono quod ab omnibus conceditur possibile, puta quod tempus esset duraturum per totam æternitatem, quo supposito argumentor sic, & argumentum propositum retorqueo sic, & in adversarios. Deus in tali suppositione videt & quidem simul ex parte sui omnes & singulos dies per totam æternitatem futuros, cum simul videat totam æternitatem quæ secundum totalitatem sui coexisteret præsentialiter his omnibus diebus: item præter dies quos videt, nullus visibilis est seu cognoscibilis futurus; & præterea inter eos quos videt unus est futurus post alium: atqui his omnibus consensis non propterea videt Deus ultimum diem seu diem ultimò futurum propterea quod infinitas illa talis est, aut esset naturæ quod in genere durationis & quantum ad dies qui continuò fluerent ultimo careret & termino: ergo dicendum est similiter, quod quamvis Deus simul ex parte sui cognoscentis cognoscat creaturas omnes possibiles, vel omnes continui divisiones, & sic de cæteris quæ supponimus infinita in potentia. Quamvis præter eas quas videt, creaturas participantes, nulla sit participans: ac demum quamvis inter eas quas videt una sit participans quasi post aliam, seu certo cum ordine, non propterea sequi debet, quod videat Deus unam ex illis quæ sit ultimo participans divinam perfectionem; ex eo scilicet quod infinitas divinæ participabilitatis, & consequenter creaturarum participantium talis est naturæ quod omnino careat & ultimo & termino; propterea quod quacumque intellecta participatione & quantumcumque perfecta, adhuc participans est & intelligitur infinitè distans à Deo de quo participat, proindeque adhuc in Deo habetur

berur ulterior perfectio ulterius participabilis.

Vrgebis 3. Creaturæ illæ possibiles [& sic de divisionibus continui ac de aliis infinitis in potentia] quomodocumque possibiles sint, sunt infinitæ in potentia: ergo sunt in potentia ut sint infinitæ: sed non sunt in potentia ut sint infinitæ in potentia
Nota sive incategorematicè, cum jam de facto talem habeant infinitatem: ergo sunt & esse debent in potentia, ut sint infinitæ in actu.

Resp. Negando primam, subindeq; & secundam consequentiam. Pro quo notandum est, quod esse aliquid infinitum in potentia potest dupliciter intelligi. Primò quidem quia est in potentia ut fiat infinitum quo pacto dici solet infinitum in potentia privativè. Secundò verè dicitur aliquid esse infinitum in potentia, non quod sit in potentia ut fiat infinitum, sed quia ita finitum est in sua ratione actuali ut semper sit cum potentia ad aliud sine termino; unde & potest hujusmodi vocari infinitum in potentia negativè, ex eo scil. quod ita servat potentiã ad aliud sine termino, ut tamen in ratione actuali neget omnino infinitatem, & ab eo omnino excludat etiam possibiliter. Quando autem dicuntur in præsenti creaturæ possibiles, vel divisiones continui & sic de aliis hujusmodi esse infinitæ in potentia, id intelligendum non est juxta primam acceptionem, quasi sint in potentia vel potentiam habeant ut fiant infinitæ, sed juxta secundam accipi debet, taliter quod in ratione actuali ita semper finitæ sint, ut semper simul sint cum potentia ad aliud sine termino; atque ita ex eo quod supponantur infinita in potentia, non propterea sunt in potentia ut fiant infinita in actu.

Vrgebis ultimò, Est axioma Philosophicum, quod *possibili posito in actu nullum sequitur impossibile*: sed creaturæ possibiles, vel continui divisiones sunt possibiles infinitæ: ergo ex eo quod ponantur infinitæ in actu, nullum propterea sequi debet impossibile, proindeque possibile est infinitum in actu.

Resp. Quod illud axioma ut possit verificari, debet ita intelligi ut scilicet possibili posito in actu *sub ea ratione sub qua possibile est*, nullum tunc sequitur nec sequi potest impossibile; cum quo tamen stat, quod si sub alia ratione sub qua non intelligitur possibile poneretur in actu, sequatur & sequi possit impossibile, quamvis illud absolutè possibile esset, ut patet in hoc exemplo. Quando enim aliquis ambulat, verè pro illo tunc intelligitur potens sedere, subindeque & possibilis sessio, quæ tamen sessio quia solum possibilis est absolutè, non autem ita possibilis est ut poni possit simul & componi cum deambulatione, ideo fit quod

si extante deambulatione sessio illa poneretur in actu, verè sequeretur impossibile, puta quod essent simul sessio & deambulatio, quamvis aliunde sive absolutè possibilis esset talis sessio, ad quam in actu positam tale tunc sequitur impossibile: jam sic est, quod quandò creaturæ possibiles vel continui divisiones & sic de aliis hujusmodi dicuntur infinitæ possibiles non ita sunt infinitæ possibiles, quasi possint *simul* omnes seu infinitæ poni in rerum natura; cum quibuscumque positis & quantumcumque perfectis, adhuc infinitè distent à Deo, de cujus esse & perfectione participant, subindeque & adhuc ponibiles sint aliæ creaturæ, cum non sit exhausta divina perfectio: sed sunt & dicuntur creaturæ infinitè possibiles, quia non tot productę sunt, quin sint & aliæ & aliæ perfectiores producibiles: ergo si omnes ponerentur in actu, adhuc sequi posset impossibile, quāvis omnes dicantur possibiles, propterea quod ponerētur in actu sub alia ratione quam sub ea qua possibiles sunt, cum ponerentur omnes *simul*, & quantum ad hoc quod est poni simul, non sint illæ possibiles. *Nota.*

Colliges, Pro aliis quibusdam solvendis ratiunculis, quæ contra conclusionem objici solent, quod ex eo quod in qualibet temporis hora sunt infinitæ partes & consequenter infinita instantia, nec implicet quod Deus in singulis horæ instantibus singulos producat Angelos, non propterea sequitur, posse Deum facere infinitam actu multitudinem Angelorum. Licet enim Deus divisivè in quolibet signato & determinato instanti horæ posset aliquem & aliquos producere Angelos, non tamen in omnibus collectivè instantibus horæ, quia scilicet ut in aliquo instanti Angelum producat, tale instans debet determinatè signari; & licet in qualibet hora sint infinita instantia: non tamen quæ possint determinatè designari, eo quod inter quodlibet instans & instans determinatè signatum, mediat pars temporis, divisibilis consequenter in infinitas partes, & habens infinita instantia, quibus tales illius partes continuentur; unde sicut est impossibile determinatè signari omnia instantia unius horæ, ita etiam & quod in singulis eorum Deus singulos producat Angelos.

Colliges 2. Quod quamvis qualitas supernaturalis, ut gratia & charitas in potentia recipiantur obedientiali, quæ non est finita & limitata; & producantur immediatè per divinam virtutem, quæ etiam nullam habet limitationem, non propterea concludi debet, quod de facto absque termino produci possint infinitè intensæ, subindeque & quod possibile sit infinitum in actu quoad intensionem. Etenim infinitas potentiæ obedientialis, nec

non

non & virtutis divinæ producentis arguit solum, quod qualitate aliqua secundum quamlibet illius intensionem in tali potentia recepta possit amplius & amplius intendi & perfici, quod est solum talem qualitatem esse infinitam in potentia quoad intensionem. Quod si quæras ex quo præcipuè capite limitetur tunc talis qualitas & perfectio, ut sit semper in actu finita: respondeo ergo, limitari, præcipuè ex eo quod semper est actu ens sive perfectio per participationem. Ex hoc enim manifestè sequitur quod quantacumque producta gratia & quantumcumque perfecta, adhuc in perfectione infinitè distat à perfectione Dei de qua participat: ergo adhuc ulterius participari potest divina perfectio: ergo non est exhausta divina participabilitas: ergo nec adhuc est infinitè participata, subindeque nec adhuc est producta infinita gratia, quantacumque producta sit & quantumcumque perfecta.

Nota.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo, Docere & docuisse S. Doctorem impossibilitatem infiniti in actu omni ex parte, id est tum secundum essentiam, tum secundum magnitudinem, tum secundum multitudinem; tum demum quoad intensionem, primum docet *in articulo secundo, quæstionis septimæ 1. partis*, in quo quidem quærit, utrum aliquid aliud quam Deus possit esse infinitum per essentiam; & concludens negativè, probat conclusionem tum ex Aristotele *in 2. physic. textu 50.* ubi dicit, quod id quod est ex alio non potest esse infinitum; tum etiam ex eo quod infinitas essentiæ vel est ex parte materiæ, vel ex parte formæ: sed quod est aliud à Deo nec ex parte materiæ nec ex parte formæ potest esse infinitum; non ex parte materiæ, quia materiale ens quod est actu, habet formam quæ terminat materiam; unde nequit materia dici infinita in actu & simpliciter, licet possit secundum quid dici infinita, prout scilicet remanet in potentia ad alias formas; sed neque ex parte formæ potest aliud à Deo dici infinitum, quia hæc vel est recepta in materia & consequenter terminata, vel si est subsistens, ejus esse est contractum ad determinatam naturam; cum hoc ipso quod est aliud à Deo, non sit suum esse: non ergo aliud à Deo esse potest secundum essentiam esse infinitum. Hæc ibi S. Doctor.

Secundum verò docet idem S. Doctor *in articulo 3. quæstionis supra citatæ*, in quo quidem quærit, utrum possit esse aliquid creatum infinitum in actu secundum magnitudinem: quam difficultatem tribus resolvit conclusionibus; in quarum prima ha-

habet, impossibile esse aliquod corpus naturale esse infinitum; tum quia omne corpus habet superficiem, subindeque & finitum est, cum superficies sit terminus corporis; tum quia corpus naturale habet determinatam formam, & consequenter determinata accidentia & quantitatem, cùm accidentia consequantur formam: tum denique quia omne tale corpus habet aliquem motum: sed nullum infinitum potest moveri, quia vel moveretur motu recto, & hoc non; cum infinitum omnia occuper loca, vel motu circulari, quod admitti non potest, quia in tali motu una pars debet transferri ad locum alterius, quod in corpore infinito esse non potest, cum una infinitè distet ab alia: ergo &c. in secunda vero conclusione habet S. Doctor, quod neque corpus mathematicum, seu quantitatem extensam in profundum esse posse infinitum in actu; quandoquidem non possumus illud imaginari, nisi sub aliqua figura, à qua terminetur: tertia denique ejus conclusio est, quod etiam si nulla creata essentia sit infinita, adhuc potest quæri, an possit dari infinita quantitas, quia essentia in tali corpore infinitè quanto adhuc esset finita per formam. Hæc ibi S. Doctor.

Tertium autem docet *in articulo quarto ejusdem quæstionis*, ubi scilicet quærit, utrum possit esse infinitum in rebus secundum multitudinem, ad cujus resolutionem duas affert conclusiones; in quarum prima habet, quod impossibile est, posse esse in actu infinitam multitudinem; sive sit multitudo per se sive per accidens; tum quia omnis multitudo actu existens est in aliqua specie numeri, quia species multitudinis sunt secundum species numerorum; ergo & est finita multitudo, cum numerus sit multitudo mensurata per unum; tum quia omnis multitudo existens est creata; ergo & comprehensa à certa intensione creantis, quia agens non temerè operatur; ergo & comprehensa sub certo numero in secunda vero conclusione habet, quod multitudo infinita, in potentia dari potest, cum consequatur divisionem, in qua est infinitum in potentia. Hæc D. Thomas.

Denique quod excluſum maneat ex S. Doctore & infinitum in intensione colligitur ex his quæ habet in tertio citato articulo, ex quibus excludit infinitum secundum magnitudinem seu quantitatem: etenim sicut sequitur quantitas determinatam formam, ita & qualitas; sed quia sequitur quantitas determinatam & limitatam formam, esse non potest ex D. Thoma infinita in actu; cùm hoc ipso quod forma determinata est in esse formæ, sit etiam determinata & limitata in ratione radicis quod dici non posset si quantitas cujus est radix infinita esset. *Nota.*

ergo

ergo ex eodem D. Thoma nec potest qualitas aliqua esse infinita sive infinitè intensa.

QUÆSTIO IV.

Vtrum unum & idem corpus possit esse circumscriptivè in duobus locis.

Præmittendum 1. Pro declaratione quidditatis seu definitionis loci circumscriptivi, quod locum sic acceptum, prout scilicet continens est & circumscribens locatum, definit Aristoteles *in 4. lib. physic. cap. 4. ultimum corporis ambientis immobile primum*; unde cum ultimum corporis ambientis sit illius superficies, propterea communiter definitur locus *superficies ultima corporis continentis, immobilis prima*, primo quidem dicitur locus *superficies, ultima corporis continentis*; quia locus cujuslibet corporis est id quod illud ambit & secundum omnem illius partem illud tangens circumscribit: jam sic est, quod illud soli ultimæ speciei corporis continentis competit, utpote quæ longitudinem habet & latitudinem, ratione quarum habet posse tangere partes omnes corporis contenti; quæ habet esse indivisibilis secundum profunditatem, ratione cujus indivisibilitatis habet posse esse contigua superficiei corporis contenti, ut nuper dicebamus dum de indivisibilibus continui; quæque habet esse ultima, ratione cujus habet de facto esse contigua & æqualis superficiei corporis contenti; aliæ namque ejusdem continentis superficies præter ultimam nec habent esse contiguæ nec æquales tali superficiei: ergo in tali ultima superficie corporis ambientis consistit locus.

Dicitur autem locus superficies corporis continentis prout *immobilis*, cujus ratio à priori est, quia non habet superficies corporis continentis esse locus locati, nisi in quantum suum habet ubi intrinsecum & ab illo constituitur ubicata; adeo ut quatenus se habet hoc ubi extrinsecè ad corpus contentum, componat simul cum superficie ad quam intrinsecè pertinet, locum ipsius corporis locati: sed sic est quod hoc ubi ex propria natura nequaquam movetur nec transfertur de loco in locum, licet superficies transferantur, estque immobilitas illi essentialis, ita quod licet ejus explicetur immobilitas per ordinem ad polos immobiles primi continentis, & per certam ab illis distantiam, non sit tamen hoc illi essentiale, quamvis connaturale sit, ex

co

eo scilicet quod ipsum ubi ex essentia sua etiam nudè sumpta, & intransitivè accepta dicat collocare rem præsentem hic, ita ut non possit hæc præsentia esse alibi, in quo, ut patet, exprimitur & importatur immobilitas: ergo superficies illa corporis continentis, in quantum est locus locati habet esse *immobilis*.

Tandem dicitur locus superficies corporis continentis, immobilis, prima, id est immediata ipsi locato; ut scilicet, inquit D. Thomas, designetur locus proprius locati & excludatur locus communis, qui ipsum inadæquatè cum alijs pluribus continet. Neque obstat quod contra hanc particulam objici solet, puta quod talis superficies prima sive immediata utpote contigua superficiei locati corporis est omninò illi æqualis, cum tamen locus formaliter ut locus non videatur esse æqualis, cum formaliter ut talis sit continens, & consequenter major contento: id inquam non obstat, quia superficies illa prima sive immediata est solum ratio continendi *ut quo*, adeo ut ipsum corpus cujus est superficies contineat *ut quod*; ac proinde sufficit quod corpus ipsum, cujus ultima superficies est locus, sit majus corpore locato & contento, nec requiritur quod ipsa superficies quæ formaliter est locus sit maior locato, sed potius quod sit ei æqualis, hoc enim commune dictum, quod omne continens est majus contento intelligendum venit de continente *ut quod*, non autem de continente *ut quo*, sive de ratione immediatè continendi: Hæc enim potius debet esse æqualis contento, ut scilicet nihil illius ab illa non contineatur.

Præmittendum secundò, Quod ubi inquiritur, utrum unum & idem corpus possit esse circumscriptivè in pluribus locis, non debet ly *unum & idem* cadere supra corpus, prout est de genere substantiæ seu sumptum secundum substantiam, sed prout est de genere quantitatis; adeo ut sensus sit utrum idem quantum seu eadem quantitas esse possit circumscriptivè in pluribus locis, non autem utrum eadem substantia corporea loquendo absolutè ita esse possit in pluribus locis circumscriptivè. Hoc autem & hujus veritatem deduco ego ex duplici capite, primò quidem ex eo quod proposita quæstio currit æqualiter in hostiis post consecrationem, ac antea; ita quod qui concedunt unam & eandem hostiam esse posse ante consecrationem in pluribus locis circumscriptivè, hoc idem concedant de eadem post consecrationem, & è contra: qui autem dicunt, id implicare in hostia consecrata, eandem admittant & inveniant implicantiam in hostia ante sicut & post consecrationem: sed sic est, quod hostiæ non consecratæ & consecratæ nihil est commune in ordine *Nota.*

ad locum præter ipsum corpus quod est de genere quantitatis, seu præter ipsam quantitatem in longum, latum, & profundum: ergo ubi inquiritur, utrum unum & idem corpus esse possit circumscriptivè in pluribus locis, debet ly *unum & idem* cadere supra corpus prout est de genere quantitatis, adeo ut sensus sit utrum unum & idem quantum, seu una & eadem quantitas esse possit in pluribus locis circumscriptivè.

Aliud verò capiatur, ex quo hoc idem colligo, & quod à multis notandum velim, qui magis quam par esset, extendunt multoties doctrinas Sanctissimi nostri præceptoris, sit quia, ut probavi in Metaphysica, possunt de potentia Dei absoluta duo poni accidentia in eadem substantia corporea solo distincta numero, suamque retinentia unitatem individualem: ergo fieri potest divinitus, quod una & eadem substantia corporea duas habeat quantitates sive dimensiones, propriam scilicet per resultantiam & emanationem, & alteram per additionem divinitus factam: atqui in hoc casu nulla est implicantia, quod ponatur circumscriptivè in pluribus locis: sicut enim modo Corpus Christi Domini mediante dimensione panis, cui alligatur, est in duplici loco, uno per se, id est, per propriam dimensionem in cœlo, altero per accidens, id est per alienam panis quantitatem in terra, cui scilicet alligatur, ratione conversionis substantiæ panis relicta ipsius quantitate, ita & esse posset substantia corporea in duplici loco circumscriptivè, altero per se & altero per accidens, si nimirum ei uniretur intrinsecè per inhærentiam cum propria dimensione altera dimensio; cum tunc ratione illius duplicis dimensionis intrinsecè unitæ multiplicaretur formalis ratio existendi circumscriptivè in pluribus locis: Quod etiam insinuat D. Thomas *in quodlibeto* 3. ubi habet quod *si dimensio unius corporis converteretur in dimensionem alterius corporis, jam non essent duæ dimensiones sed una tantum, & sic non commensuraretur diversis locis sed uni tantum*; ex quo evidenter sequitur, sentiisse sanctum Doctorem, quod si daretur duplex dimensio seu duplex quantitas in eadem substantia corporea [quod possibile ostendimus *in Metaphysica in Quæstiuncula, à quo individuentur accidentia*] non repugnaret commensurari tuo duplici loco: non ergo intelligenda venit proposita quæstio de uno & eodem corpore, quod sit unum & idem solum ratione substantiæ, sed quod sit unum & idem ratione quantitatis, sive de uno & eodem corpore, quod sit unum & idem prout est de genere quantitatis.

Præ-

Præmittendum tertiò, Pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque vim habitura principii, puta quod *possibili posito in actu, nec sequitur nec sequi potest impossibile*: quod *diversa loca diversas arguunt & exigunt extensiones locales*: quod *una quantitas non potest esse naturaliter emanativa, nisi unius extensionis localis*. Ratio autem primi est, quia non potest aliquid esse simul & non esse, & hoc naturali lumine manifestum est: ergo nec potest aliquid esse possibile, & non esse possibile: sed si ex possibili posito in actu sequeretur impossibile, illud esset possibile, ut supponitur; & tamen non esset possibile, cum non posset poni in actu, alias poneretur impossibile, quod etiam supponitur poni & sequi non posse: ergo possibili posito in actu nec sequitur nec sequi potest impossibile. Quantum vero ad secundum, puta quod diversa loca diversas arguunt & exigunt extensiones locales, ratio est quia localis extensio dicitur per commensurationem ad locum: sed sic est quod diversa loca diversas arguunt & exigunt commensurationes, ut patet ad oculum: ergo diversa loca diversas arguunt & exigunt extensiones locales. Denique quod una quantitas non possit à se naturaliter emanare nisi unam extensionem localem, ratio est quia quæ naturaliter emanare debēt, emanant de facto, nisi miraculosè impediantur, ut patet inductione: ergo si esset quantitas naturaliter emanativa pluſquam unius extensionis localis, non unica tantum sed multiplex de facto sequeretur extensio localis à quātitate cujuslibet corporis, nisi miraculosè impediretur: sed contrarium probat experientia: ergo una quantitas non est naturaliter emanativa nisi unius localis extensionis. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione sit:

CONCLUSIO: *Possibile non est, etiam de potentia Dei absoluta; quod idem quantum sit circumscriptivè in variis locis.*

Probatur primò, Ex primo præmisso principio: *possibili posito in actu nec sequitur nec sequi potest impossibile*: ergo possibile non est, quod unum & idem quantum sit circumscriptivè in variis locis: *Probatur consequentia*, ex positione circumscriptiva unius quanti in variis locis sequi posset impossibile: ergo hoc ipso quod ex possibili posito in actu sequi non potest impossibile, nec potest unum & idem quantum poni circumscriptivè in pluribus locis. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, impossibile est, quod unum & idem quantum sit

sibi ipsi contiguum : sed ex positione circumscriptiva unius quanti in variis locis, hoc sequi posset : ergo ex tali positione sequi posset impossibile. *Major* est evidens, tum quia quantum, de quo est sermo, supponit pro quanto continuo, quod quidem continuum essentialiter differt à contiguo ; tum quia quæ contigua sunt, cum definiantur ea, quorum extrema seu extremæ superficies sunt simul, habent consequenter distinctas superficies, subindeque & sunt distinctæ quantitates, non autem unum & idem quantum. *Probatur Minor*, ubi loca contigua sunt, ibi & contigua sunt locata, ut patet ad oculum : sed si idem quantum poneretur circumscriptivè in variis locis, fieri posset quod loca, in quibus poneretur sibi essent contigua : ergo & ex positione circumscriptiva unius quanti in variis locis fieri posset quod esset idem quantum sibi ipsi contiguum : ergo & ex positione circumscriptiva unius quanti in variis locis sequi posset impossibile : ergo hoc ipso quod ex possibili posito in actu nec sequitur nec sequi potest impossibile [quod est primum præmissum principium] possibile non est, quod idem quantum sit circumscriptivè in variis locis.

Probatur secundò, Ex secundo præmisso principio : *una quantitas non potest à se naturaliter emanare nisi unam extensionem localem* : ergo non potest una quantitas, seu unum & idem quantum, etiam supernaturaliter esse circumscriptivè in pluribus locis. *Probatur consequentia*, non potest una quantitas esse circumscriptivè in variis locis, nisi per plures extensiones locales : sed hoc ipso quod non potest à se naturaliter emanare nisi unam extensionem localem, capax non est etiam supernaturaliter plurium extensionum localium : ergo hoc ipso quod non potest à se naturaliter emanare nisi unam extensionem localem, nec potest hoc ipso, etiam loquendo supernaturaliter esse circumscriptivè in pluribus locis. *Major* conceditur, & fuit explicata in præmissa declaratione principiorum. *Probatur Minor*, nullius extensionis capax est quantitas loquendo supernaturaliter, cujus non sit naturaliter capax : sed hoc ipso quod non potest à se naturaliter emanare, nisi unam extensionem localem, non est naturaliter capax nisi unius : ergo nec est hoc ipso capax etiam supernaturaliter plurium extensionum localium. *Minor* est evidens, ex terminis. *Probatur Major*, duplici medio,

Primò, ideo nullius proprietatis capax est essentia sive natura loquendo supernaturaliter, cujus non sit naturaliter capax, quia proprietas ex propria ratione petit esse connaturalis naturæ : sed etiam extensio localis ex propria ratione est & petit esse connatu-

naturalis quantitati; cum à quantitate relicta suæ naturæ resultet naturaliter, sicut & proprietas: ergo nullius extensionis capax est quantitas loquendo supernaturaliter, cujus non sit naturaliter capax.

Secundò, quod ex potentia supernaturali fieri non potest capax, nullius est capax loquendo supernaturaliter, cujus non sit naturaliter capax; sed quantitas fieri non potest capax ex potentia supernaturali extensionis localis; cum potentia supernaturalis agat ultra & supra naturam, & ipsa capabilitas ad extensionem localem sit ipsamet natura quantitatis: ergo nullius extensionis capax est quantitas loquendo supernaturaliter, cujus non sit naturaliter capax: ergo hoc ipso quod non potest quantitas à se naturaliter emanare nisi unam extensionem localem, nec est hoc ipso capax, etiam loquendo supernaturaliter plurium extensionum localium: ergo hoc ipso quod non potest quantitas à se naturaliter emanare nisi unam extensionem localem (quod est secundum præmissum principium) nec potest hoc ipso, etiam loquendo supernaturaliter esse in variis locis circumscriptivè, cum in iis esse non possit nisi per varias extensiones locales.

Probatur tertiò. Ex tertio præmisso principio: *diversa loca diversas arguunt & exigunt extensiones locales*: ergo esse non potest idem quantum in variis locis circumscriptivè. *Probatur consequentia*, impossibile est, multiplicati in eodem quanto extensiones locales: ergo hoc ipso quod diversa loca circumscriptiva diversas exigunt extensiones locales, non potest idem quantum esse in variis locis circumscriptivè. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, si possent in eodem quanto multiplicari extensiones locales, possent ratione replicationis e usdem quanti, quæ quidem supponitur possibilis: sed non sufficit replicatio ipsius quanti ad multiplicationem extensionum localium: ergo impossibile est, multiplicari in eodem quanto extensiones locales. *Major* conceditur ab adversariis, imo & est unicum ferè eorum fundamentum ad resolvenda omnia ferè inconvenientia quæ nos ipsis objicimus; eo quod, inquiunt, inconvenientia non sint respectu quantitatis ut replicatæ, quæ quidem replicatio supponitur possibilis, ut patet in quantitate corporis Christi. *Probatur Minor*, duplici aut triplici medio: primo, non potest non magis requiri ex parte quantitatis ad multiplicationem ipsius extensionis, quam ad ejusdem replicationem: sed ad replicationem extensionis localis, si esset hæc possibilis, requireretur ex parte quantitatis ipsius replicatio, ut

per se patet: ergo ad multiplicationem talis extensionis sufficere non potest replicatio quantitatis. Secundò, quod est aliud in recto, nequit multiplicari ad solam ipsius replicationem; cum ipsa multiplicatio supponatur cadere supra entitatem, subindeque & super id, quod importatur in recto; sed extensio localis est in recto ipsamet quantitas, prout commensurata loco: ergo multiplicari nequit extensio localis ad solam ipsius quantitatis replicationem: ergo nec potest in eodem quanto multiplicari localis extensio: ergo hoc ipso quod diversa loca circumscriptiva diversas arguunt & exigunt extensiones locales [quod est tertium præmissum principium] non potest hoc ipso unum & idem quantum poni circumscriptivè in variis locis.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia Fundamenta in solutionibus objectorum.

Objicies primò, Replicatio quanti seu quantitatis videtur sufficere ad ejusdem positionem in pluribus locis circumscriptivè; sed non implicat, replicari idem quantum seu quantitatem: ergo nec implicat, poni circumscriptivè in pluribus locis. *Minor* patet in Eucharistiæ sacramento, ubi quantitas eadem corporis Christi omnino reperitur de facto in pluribus hostiis replicata cum in pluribus hostiis reperiatur, nec tamen sit multiplicata. *Probatur Major*, quia facilitate replicari potest quantitas, eadem facilitate replicari potest quantitatis extensio: sed replicata extensione quantitatis, esset hoc ipso quantitas in pluribus locis circumscriptivè; ut per se patet: ergo hoc ipso quod replicari potest quantitas, potest hoc ipso poni circumscriptivè in pluribus locis.

Respondeo Negando Majorem; ad hoc enim ut ex replicatione quantitatis sequatur poni posse circumscriptivè in pluribus locis requiritur, quod ita & taliter replicetur, ut & possit habere contactum sive contiguitatem cum seipsa, cum loca in quibus reperitur replicata, possint esse contigua; jam sic est, quod quamvis possit eadem quantitas reperiri certo quodam modo replicata, non tamen taliter quod possit habere contactum sive contiguitatem cum seipsa, tum quia contiguitas dissolvit continuitatem quantitatis, subindeque & identitatem tum quia ipsam ad ipsamet dividit, quod implicat, tum denique, quia plures induceit superficies, cum ea dicantur contigua quorum extremæ superficies sunt simul, subindeque, & plures ac distinctas inducic quantitates; non ergo ea quæ fieri potest replicatio quanti, seu quantitatis potest sufficere ad ejusdem positionem in plutibus locis circumscriptivè. Unde ad probationem nego majorem; quin imo omni ex parte repugnat eandem replicari extensionem

quan

quantitatis, cum tamen ex nullo tali repugnet capite ipsam replicari quantitatem; cujus ratio est, quia ideò quantitas secundum se & seorsim sumpta ab extensione sui localis potest replicari & reperiri replicata, variis in locis, eandem manens & immultiplicata, quia secundum se & seorsim sumpta non habet commensurari loco, proindeque nec variari & multiplicari ad variationem & multiplicationem loci: sed è contra localis ipsius extensio hoc ipso quod talis importat commensurationem cum loco, nec alia de causâ dicitur *localis* extensio: licet ergo possit eadem & immultiplicata quantitas reperiri ita replicata, absque sui multiplicatione, non ita tamen dicendum est, nec dici potest de locali ejus extensione. *Nota.*

Instabis: vel ad replicationem ipsius quantitatis replicari debet & ipsa localis extensio, vel debet multiplicari: sed dici non potest, quod ad replicationem quantitatis multiplicari debeat ejus extensio, alias multiplicaretur formalis effectus, manente forma immultiplicata: ergo debet replicari localis extensio ad replicationem ipsius quantitatis.

Respondeo negando utramque illam partem majoris propositionis, puta quod suppositione facta de replicatione quantitatis, debeat propterea vel replicari ipsius extensio, vel multiplicari; cujus ratio est quia ad hoc ut vel replicetur localis hæc extensio, vel multiplicetur, supponi debet adesse talis extensio: sed sic est, quod dum fit suppositio de replicatione quantitatis, nec supponi debet nec potest adesse tunc in quantitate replicatâ localis ipsius extensio, ne scilicet hoc sequeretur inconveniens, puta quod idem quantum esse posset sibi ipsi contiguum, subindeque est esse idem ut supponitur, & non esse idem cum ejus solveretur continuitas per contiguitatem, in quâ tamen continuitate consistit identitas quanti continui, de quo est in præsenti sermo: ergo in suppositione facta de replicatione quantitatis, non propterea opus est, quod vel multiplicetur, vel replicetur ipsius extensio; cum non possit replicari quantitas cum sui extensione, sed taliter solum, qualiter reperitur replicata in pluribus hostiis, seu cum privatione extensionis suæ & ut ibi existens modo indivisibili. *Nota.*

Objicies secundò: si repugnaret poni circumscriptive idem quantum in pluribus locis, repugnaret, & poni sacramentaliter quantitatem corporis Christi in cœlo & in terra, nec non & in pluribus hostiis: sed negatur hoc repugnare: ergo nec illud repugnare debet. *Prob. sequela*, hoc ipso quod repugnat, poni idem quantum circumscriptivè in pluribus locis, repugnat maximè,

quia esset tunc à seipso discontinuatum, subindeq; & aliud seu alia quantitas à seipso: sed hoc idem sequitur ad positionem corporis Christi in pluribus locis sacramentaliter: ergo si repugnaret, idem poni quantum circumscriptivè in pluribus locis, repugnaret, & idem poni sacramentaliter. *Probatur minor*: ideò in præfato casu de positione quanti in pluribus locis circumscriptivè, esset idem quantum à seipso discontinuatum, quia inter illud ut existens in uno loco & idem ut existens in alio plura possent intercedere corpora: sed etiam plura intercedunt corpora inter quantitatem corporis Christi ut in cœlo existentem, & ut existentem in terra, vel prout existentem in pluribus hostiis: ergo & ipsa quantitas corporis Christi esset in hoc casu à seipsâ discontinuata.

Respondeo negando sequelam majoris, cujus quidem falsitas abundè patet ex tribus præmissis principiis, ex quibus probata fuit impossibilitas positionis ejusdem quanti in pluribus locis circumscriptivè, quæ quidem non concludunt nisi contra positionem circumscriptivam, ut consideranti patebit. Ad probationem vero nego minorem: ad tertium autem respondeo ad majorem, quod in præfato casu de positione quanti in pluribus locis circumscriptivè non ideò præcisè esset idem quantum à seipso discontinuatum, quia inter illud ut existens in uno loco, & ut existens in alio plura intercederent corpora, sed quia plura intercederent corpora, cum quibus tale quantum contactum & contiguitatem haberet, utpotè existens in uno & altero cum sua extensione locali; ex hoc namque fit, & quod propriè verificetur intercedentia, inter ipsum in uno & in alio loco, cum intercedentia propria fiat per contactum ad tale corpus; & quod tale quantum habere possit contactum & contiguitatem cum seipso si nimirum removeretur corpus intercedens & fieret approximatio locorum, unde cum intercedentia propriè dicta & contiguitas importent divisionem & discontinuitatem quantitatis, utpotè quæ ratione contactus pluralitatem & divisionem important superficierum, ideo fit quod ex positione quanti in pluribus locis circumscriptivè, sequatur discontinuitas in tali quantitate: sed sic est quod in positione quantitatis corporis Christi in pluribus locis Sacramentaliter, licet inter illam in uno & in alio loco, sive in unâ & in alterâ hostiâ, plura possint intercedere corpora, non tamen taliter intercedere possunt, ut possit cum illis habere contactum & contiguitatem; cum sit ibi modo indivisibili & inextenso: non ergo sequitur discontinuitas inter quantitatem corporis Christi ut in cœlo existentem

Nota.

si-

simul & in terrâ; vel ut existentem in pluribus Hostiis, quamvis ibi aliqualiter intercedere possint plura corpora; bene quidem in quantitate circumscriptive posita in pluribus locis.

Instabis, dari potest casus, in quo quantitas illa corporis Christi contactum & contiguitatem habeat cum corporibus intercedentibus, absque eo quod sequatur in ea discontinuitas: ergo nulla solutio. *Probatur antecedens*, casu quo quantitas illa corporis Christi haberet in terris extensionem extraneam sibi unitam, haberet tunc contactum in cœlo & in terra cum corporibus intercedentibus, absque eo quod propterea in ea sequeretur aliqua discontinuitas: sed fieri potest, quod extendatur in Hostia sive in terra quantitas illa corporis Christi per extensionē extraneam, sive ab ipsa non dimanantem sed ei ex additione unitam: ergo & dari potest casus, in quo quantitas illa corporis Christi contactum & contiguitatem habeat cum corporibus intercedentibus, absque eo quod sequeretur in ea aliqua discontinuitas.

Respondeo negando antecedens: ad cujus probationem nego minorem, quod scilicet extendi possit quantitas illa corporis Christi, aut quævis alia per extensionem extraneam, sive ab ipsa non dimanantem, sed ei ex additione unitā. Hujus autem patet falsitas, tùm ex iis quæ suprà diximus in secunda probatione conclusionis, ubi scilicet ostensum fuit duplici medio, nullius extensionis capacem esse quantitatem loquendo supernaturaliter, seu ex virtute extranea, cujus non sit naturaliter capax; ac proinde cum extendi non possit naturaliter nisi per extensionem ab ea connaturaliter dimanantem, & quæ sit tanquam effectus illius secundarius, falsum est per consequens extendi posse quantitatem corporis Christi in Hostiis per extensionem aliquam ei extraneam, & ex virtute aliena superadditam; tum etiam quia si posset in quantitate causari extensio in ordine ad locum quæ esset ipsi extranea, sive quæ ab ea non resultaret tanquam effectus secundarius, sed ei per virtutem superadditam & extraneam uniretur, posset similiter causari in corpore nullam habente quantitatem, cum in tali casu non deberet ex quantitate resultare: sed hoc est falsissimum, alias tale corpus posset absque quantitate esse circumscriptivè in loco, quod est manifestè falsum, vel ad minus non esset tale corpus in loco per quantitatem; cum ad summum quantitas tunc redderet solùm tale corpus capax ad recipiendam extensionem localem, sicut ad recipiendam qualitatem corporalem, nec esset principium emanationis talis extensionis in ordine ad locum, ac proinde non ma-

gis diceretur corpus illud esse in loco per quantitatem, quam esse album per quantitatem, siquidem etiam ut recipiat albedinem per quam est album requirit quantitatem: non ergo potest extendi quantitas illa corporis Christi Domini in Hostiis per extensionem ab ea non dimanantem, sed extraneam & extranea virtute superadditam, nec consequenter fieri potest quod sit in pluribus locis vel hostiis, taliter quod contactum habeat & contiguitatem cum corporibus quæ possunt intercedere.

Urgebis, quantitas illa corporis Christi est de facto in pluribus hostiis seu locis: ergo plurificari debet formalis ratio per quam sic reperitur in pluribus hostiis: sed formalis ratio, per quam reperitur sub hostia non est alia quam quantitas panis relicta & ei unita, ergo potest quantitas illa corporis Christi habere quantitatem extensam extraneam sibi unitam.

Respondeo distinguendo subsumptum: sed formalis ratio per quam quantitas Christi in cœlo existens reperitur sub hostia, non est alia quam quantitas panis ei unita, unione extrinseca transeat: non est alia quam quantitas panis ei unita unione intrinseca, extensiva, & commensurativa Nego; & similiter distinguo consequens: ergo potest quantitas illa corporis Christi habere sibi unitam quantitatem seu extensionem extraneam, cui alligetur aut quasi alligetur extrinsecæ, Concedo: quantitatem seu extensionem extraneam, per quam extendatur Nego. Fateor igitur non esse quantitatem & corpus Christi Domini præsentia pluribus hostiis nisi in quantum per conversionem passivam substantiæ hostiæ, relicta & remanente ipsius quantitate quasi alligatur extrinsecè corpus & quantitas Christi Domini quantitati hostiæ, ad cujus consequenter multiplicationem multiplicatur præsentia illa Sacramentalis quantitatis & corporis Christi Domini nihilominus cum alligatio illa non fiat media commensuratione quantitatis panis cum quantitate corporis Christi, nec media extensione quantitatis Christi per ipsam extensionem quantitatis panis seu hostiæ, consequenter fit quod quamvis habeat quantitas Christi sub hostiis quantitatem extraneam sibi unitam; non ita tamen, ut per eam extensa maneat aut extendi possit, nec consequenter ut ea mediante habere possit contactam & contiguitatem cum corporibus quæ possunt intercedere inter ipsam ut existentem in uno loco, & eandem ut existentem in alio.

Colliges, pro quibusdam aliis solvendis ratiunculis, quas objicere solent adversarii, ac magis quam par esset, insultuant,

quod

quod ubi corpus Christi aliquando alibi quam in cœlo apparuit existens circumscriptivè, ut de facto apparuit Paulo in via, oportuit tunc, quod desineret esse circumscriptivè in cœlo, neque id obstat perpetuæ illius usque in diem judicii in cœlis mansioni, quia ad id sufficit, quod nunquam per momentet, & non pro brevissima morula à cœlis corporaliter absit; & sicest intelligendum testimonium illud actorum 3. *Quem oportet cœlum suscipere usque ad tempus restitutionis omnium.* Item ad illam paritatē quæ adduci soleat, puta quod possunt duo corpora simul esse in eodem loco: ergo & unum corpus simul in duobus locis: ad hanc, inquam, paritatem respondeti debet, sequi solum ex ea, quod sicut duo corpora inter se penetrata, & utrumque per modum unius locati, & non aliter possunt esse simul in eodem loco; ita etiam idem numero corpus potest esse simul in duobus & pluribus locis inter se penetratis, ac per modum unius loci se habentibus in ordine ad illud, quod libenter concedimus, negantes solum, idem numero corpus seu quantum posse esse simul in pluribus locis inter se non penetratis: ad hoc enim requireretur, in eodem numero quanto multiplicari effectum secundarium, extensionem scilicet in ordine ad locum, non multiplicata in illo quantitate, & effectu illius primario, quod est omnino incompossibile; cum tamen ut duo corpora penetrata essent simul in eodem loco, vel unum corpus esset simul in duobus locis penetratis, requiratur solum, quod in corporibus vel locis quæ sic penetrarentur, impediatur effectus aliquis secundarius quantitatis, exclusio videlicet uniusquanti per aliud, in quo nulla involvitur implicantia.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo D. Thomam & docere & probare præfatam nostram conclusionem; quod imprimis colligo *ex quodlibeto 3. articul 2.* ubi sic discurrit: esse aliquod corpus circumscriptivè in loco nihil aliud est, quam quod ab ipso loco ita adæquatè contineatur & circumscribatur, atque intra terminos ipsius loci ita claudatur, quod nihil talis corporis sit extra illos: ergo manifestam implicat contradictionem, quod simul tale corpus sit in alio loco circumscriptivè, cum ex modo essendi circumscriptivè qui quidem habet claudere, clauderetur tunc adæquatè & non clauderetur intra terminos cujuslibet talis loci.

Secundò, hoc idem colligo ex ratione quam insinuat S. Doctor

Doctor 3.p.q.5.artic.1.ad 3. ubi habet, quod si aliquod corpus posset esse simul in duobus locis, posset & eadem ratione esse simul in infinitis, quod falsum est: altas tale corpus haberet infinitatem in replendo & occupando loca, quæ tamen nulli creaturæ potest competere: fundatur autem hæc ratio D. Thomæ in eo quod si unum & idem quantum posset ita esse circumscriptivè in pluribus & infinitis locis, id utique haberet ratione unius & ejusdem formæ, cum non nisi ratione quantitatis possit aliquod corpus esse circumscriptivè in loco: aliquid autem ratione unius tantum formæ posse esse in pluribus & infinitis locis arguit haud dubiè infinitatem: ergo ex eo quod potest aliquod quantum poni circumscriptivè in pluribus locis, arguitur infinitas in tali quanto. Neque propterea hæc argui debet in corpore Christi, quamvis esse possit indivisibiliter & sacramentaliter simul in pluribus & infinitis hostiis, si infinitæ consecrari possent; quia scilicet corpus Christi non ratione alicujus intrinseci seu unius intrinsecæ formæ in ipso existentis acquirit præsentiam hanc indivisibilem sacramentalem, sed ratione plurium quantitatum quæ ex conversione passiva substantiæ panis relinquuntur, & quibus quasi alligatur extrinsecè corpus Christi ut nuper dicebamus, sive ratione conversionis panis in ipsum Christi corpus; quæ quidem conversio cum multiplicetur ad hoc ut Christus sit in pluribus hostiis, non arguitur per consequens infinitas in tali Christi corpore per hoc quod esse possit in infinitis, si infinitæ consecrarentur; quandoquidem per id non sequitur, quod Christus per idem principium possit esse ita indivisibiliter in pluribus & infinitis hostiis; quod tamen requireretur, ut secundum eum modum indivisibiliter existendi in pluribus haberet Christus infinitatem.

Denique hoc idem docet S. Doctor *in 4. sententiarum distinct. 10 quæst. 1. artic. 3. quæstiuncula 3 ad 4.* ubi dicit: *quod unum corpus esse simul localiter in duobus locis non potest fieri per miraculum.*

QUÆSTIUNCULA.

Vtrum detur aut naturaliter dari possit vacuum in rerum natura.

Respondeo negativè; quod quidem ostenditur & ratione & experientia, dictat enim ratio, quod esse non potest in rerum

rerum natura virtus aliqua naturalis ad immutãdum totum ordinem universi, ejusque communi bono contrariandum: sed vacuum immutat debitum ordinem universi, ejusque communi bono contrariatur: ergo dari non potest seu causari naturaliter vacuum in rerum natura. *Probatur Minor*, ad debitum ordinem & commune bonum universi pertinet quod omnes illius partes sint contiguæ: sed non omnes essent contiguæ, si inter corpora daretur vacuum; ergo vacuum immutat debitum ordinem universi ejusque communi bono opponitur. *Minor* supponitur. *Probatur Major*, ad ordinem & conservationem totius universi pertinet, ut sublunaria corpora accipiant à cælestibus influentiam, & quod corpora omnia cælestia ut in hæc inferiora influant, ad motum primi mobilis regulatissimè moveantur: sed ad hoc requiritur, quod omnes sphæræ cælestes sint contiguæ & una ab altera contineatur, ut sic ad motum primæ sphæræ omnes aliæ moveantur: similiter ut corpora cælestia influant in omnia corpora sublunaria, requiritur, quod hæc sint cum ultimo corpore cæleſti & inter se contigua, cùm nullum agens corporeum possit agere in distans, nisi ejus virtus recipiatur in intermedio corpore: ergo ad debitum ordinem & commune bonum universi requiritur quod omnes ejus partes sint contiguæ, subindeque & quod omne in rerum natura excludatur vacuum.

Probatur autem hoc idem quotidianis diversæ rationis experimentis. Sic enim latera follium deduci non possunt, nisi aditus pateat aëri, qui subingredi debeat metu vacui. Sic in cucurbitulis attrahitur plus sanguinis, opposito ad ea frigido, ob condensationem aëris antea per accensas intus candelas rarefacti. Sic franguntur tormenta bellica, si dum ignis & globus exiis prorumpit aër pari celeritate in ejus locum subire nequeat; nempe si foramen per quod ignis immissus est obstruatur. Sic ad impediendum vacuum levia deorsum, gravia moventur sursum; quomodo per fistulam attracto aere videmus aquam ascendere. Item, sic ipsam aquam videmus retineri in vase irrigatorio, quamdiu superius epistonium digito clausum fuerit. Hinc que oriuntur effectus tam admirabiles in hydraulicis, quod aqua veluti sursum cogatur tendere contra propriam inclinationem, unde & fontes tam varii generis constitui solent.

Dices primò, ideo possibile non est naturaliter vacuum in rerum natura, quia eo supposito non posset influxus cælorum ad omnia corpora sublunaria descendere: sed hoc est falsum, siquidem licet in hoc casu non posset talis influxus descendere quasi

per

per motum rectum, quia sisteret ibi, ubi esset vacuum, posset tamen ad corpus existens post vacuum motu obliquo per corpora vacuum circumstantia descendere: ergo non propterea excludi debet vacuum in rerum natura.

Respondeo primo, negando minorem: influxus enim ille cælorum, cum naturalis sit, non debet per eas circulationes ad corpora descendere; unde in corpore, cui alterum non esset contiguum, ejus cessaret virtus, nec ad aliud corpus non contiguum descenderet. Nec Aristoteles in corpora non contigua influxum cælorum per hujusmodi ambages & obliquitates possibilem agnovit, cum in primo libro metheororum dixerit, quod oportet mundum hunc inferiorem contiguum esse lationibus superioribus, ut inde regatur & gubernetur, alioquin cælestes influentias non reciperet. Vel respondeo secundò, hac saltem ratione convinci non posse inter aliqua corpora ita dari vacuum, ut illa ex nulla parte sint contigua.

Dices secundo: cum magna e nubibus descendit pluvia, non videtur, partes aeris ita posse condensari, ut absque penetratione cum illis possit tanta aqua descendere: ergo in tali casu vel dari debet vacuum in aere, vel certe admitti debet penetratio, quæ tamen naturaliter admitti non potest.

Respondeo negando antecedens: cum enim aer maximam habeat raritatem, multum etiam condensari potest, ut absque destructione illius, aut penetratione cum illo maxima aquæ quantitas descendere possit è nubibus. Unde Aristoteles lib. 4. Physicorum textu 62. docet & asserit, motum localem fieri per hoc quod partes aeris vel aquæ aliæ condensentur, aliæ rarefiant, ut sic absque destructione corporis præxistentis in aliquo spatio, aut penetratione cum illo aliud corpus per idem spatium moveatur.

Dices tertiò, quod si impleatur hydrargiro tubus vitreus pedum plusquam trium ad libitum, hujusque alterum extremum sigillo hermetico sit obseratum. Deinde qua parte est apertus appósito digito immergatur in aliud hydrargirum quod subjecto in vasculo continetur, erigaturque perpendiculariter: tunc subtracto digito hydrargirum ex tubo descendet, nec in eo retinebitur, nisi ad altitudinem duorum pedum cum tribus pollicibus; ergo relinquitur & relinquetur tunc superior pars tubi vacua; cum nihil assignari possit, quod subeat in ejus locum, subindeque & vacuum natura patitur & patietur.

Respondetur negando consequentiam: non enim pars illa superior tubi est omni corpore vacua; quod ex eo imprimis colligitur

ligitur, quia experimur, per eam traji ci lumen, & qualitatem magneticam, tum inde exaudiri sonum, si quod parvulum tintinnabulum inclusseris; unde cum illæ qualitates utpote accidentales debeant per ejusmodi medium diffundi quod reale sit & corporeum, signum est manifestum, quod non est pars illa superior tubi omnino vacua. Item si parti illi apponatur aqua calidior, hydrargirum descendet tantisper, quod signum est rarefactionis alicujus factæ intra illud spatium; cum è contra fiat condensatio ascendente hydrargiro, si affundatur & apponatur aqua frigidior: quæ quidem postremæ duæ experientiæ satis manifeste indicant contineri in illo spatio aërem, cujus scilicet aliqua particula semper cum hydrargiro sese insinuet; tum metu vacui in hunc modum rarefiat ad descensum hydrargiri.

COROLLARIUM

Vbi varia de loco & vacuo expenduntur & resolvuntur.

Quæres primò, in quo consistat ratio loci naturalis, & quid addat supra locum Mathematicum, qui solum dicit quantitatem continentem localem.

Respondetur quod id quod præcipue constituit locum in ratione loci naturalis cujuslibet locati est ordo & positio universi juxta cujuscumque corporis naturam, & ut omnia corpora sublunaria accipiant cælestes influëtias: ob hoc enim omnia illa debent esse contigua, & unum esse in altero tanquam in loco. Et quia terra inter omnia elementa est gravior, debet esse omnium infima, & in aqua ut in loco connaturali, utpote quæ est minus gravis, quem terra; ipsa vero aqua debet esse ut in loco naturali in aere, qui cum sit minus levis quam ignis debet consequenter esse sub ipso: ac denique ignis ut in loco naturali debet esse in prima sphæra, in concavo videlicet lunæ, ut recipiat influentiam illius & aliorum orbium cælestium. Ipsi autem orbes cælestes juxta immediatam dependentiam quoad motum unius ab altero, unus ut in loco sibi naturali est in altero, & non propter aliquam qualitatem conservativam, quæ sit in loco respectu locati, quia hæc solum requiritur in loco naturali corporum corruptibilium.

Circa quod tamen notandum est quod quamvis negari non possit in loco naturali elementorum, esse qualitates conservativas locati, ita quod ut unum elementum sit locus naturalis alterius, debeat symbolizare in aliqua qualitate cum illo; unde & videmus,

mus, quod terra, quæ est ficca & frigida, est ut in loco naturali in aqua quæ est frigida ; & aqua quæ est frigida & humida in aere qui est humidus; ac denique aer qui est humidus & calidus est ut in loco naturali in igne qui est calidus : nihilominus talis symbolizatio in qualitatibus , licet sit requisita ad locum naturalem elementorum, non tamen est præcipuè & adæquatè constituriva in ratione loci naturalis; quia alias, cum sicut terra v.g. symbolizat cum aqua in frigiditate , symbolizet etiam cum igne in siccitate ; & sicut aer symbolizat cum igne in calore, symbolizaret etiam cum aqua in humiditate , non esset ratio, & quare aqua magis quam ignis esset locus connaturalis terræ , & ignis magis quam aqua esset locus connaturalis aeris. Non igitur sola prædicta qualitatum symbolizatio ad conservationem locati est, quæ constituit locum in ratione loci naturalis elementorum, sed ipse potius ordo & positio universi cuiliber corpori juxta suam naturam conveniens.

Quares secundò, utrum duo corpora esse possint naturaliter in eodem loco penetrativè, ita quod utrumque simul cum sua quantitate & actuali extensione in ordine ad locum ab eadem superficie concava loci contineatur & circumscribatur.

Respondetur negativè, quod quidem à posteriori manifestè colligitur, ex eo quod experientia constat, quod eo ipso quod aliquod corpus ponitur in loco expellit ab eodem loco corpus ibi existens: ergo id corpori quanto & habenti extensionem in ordine ad locum ex natura sua competit ; ac proinde fieri non potest naturaliter , quod duo corpora quanta, & utrumque cum sua extensione actuali in ordine ad locum in eodem simul loco penetrativè existant. Neque huic veritati aliquæ obstant experientiæ quæ solent objici in contrarium, puta quod in vase cineribus pleno potest simul recipi tantum aquæ , vel saltem paulò minus , ac recipi posset in eodem vase absque cinere, quod, inquiunt, non videtur posse contingere, nisi duo talia corpora cineris & aquæ in eodem simul vase penetrativè existant: & similiter quod in ferro candente est verus ignis in eodem loco existens in quo ferrum: ac perinde videtur, naturaliter penetrari posse ignem cum ferro. Non, inquam, hujusmodi obstant experientiæ : neutrum enim horum fit per penetrationem corporum in eodem loco , sed primum contingit, quia cum cineres sint multum porosi, & inter partes illorum sit aer , per admixtionem cum aqua condensantur & aer expellitur ; ita ut in eodem vase possit simul recipi cum cineribus parum minus aquæ ac sine cinere. Secundum autem fit per

id

id quod in ferro sunt aliquæ minutissimæ partes porosæ, ex quibus expellitur aer & introducitur ignis, non quæ penetretur cum ferro, sed qui sit localiter in illius spatiis, in quibus aer continebatur.

Quæres tertiò, an saltem supernaturaliter possint duo corpora penetrativè esse simul in eodem loco, adeo ut utrumque servans actualem sui extensionem in ordine ad locum [quæ quidem actualiter requiritur ut sit aliquid in loco] circumscribatur eadem superficie concava loci.

Respondetur affirmativè contra Durandum, quod quidem probari potest & ratione & exemplo; impenetrabilitas namque corporum nihil aliud est, quam quod corpus quantum & extensum in ordine ad locum ab eodem loco aliud expellat corpus in illo præexistens, vel aliud corpus in eodem loco secum non admittat: sed potest à Deo impediri talis expulsio: ergo & divinitus tolli potest impenetrabilitas corporum. *Probatur Minor*, vel enim unum corpus expellens alterum ab eodem loco ratione suæ quantitatis, hoc facit efficienter, vel (ut probabilius est) formaliter & in genere causæ formalis: sed si fiat efficienter talis expulsio, potest Deus eam impedire, suum scilicet ad id denegando concursum: si autem fiat talis expulsio media quantitate in genere causæ formalis, potest eam similiter Deus impedire; cum posita aliqua forma possit Deus effectum illius secundarium impedire, & non sit talis expulsio effectus primarius quantitatis sed solum secundarius: ergo potest Deus supernaturaliter facere, quod unum corpus non expellat alterum ab eodem loco; ac proinde & quod utrumque penetrativè existat in eodem loco. *Nota.*

Hoc autem probatur insuper ab exemplo: Christus enim transivit per uterum Virginis, salva ipsius Beatissimæ Virginis corporali integritate, quod fieri non potuit, nisi corpus Christi Domini penetraretur tunc cum corpore Beatissimæ Virginis. Neque enim dici potest, aut debet cum Durando partes Beatissimæ Virginis fuisse dilatatas ut Christus exiret, sicut fieret aut factum fuisset in statu innocentiæ. Id enim derogat integritati summæ Beatissimæ Virginis in partu, quam tamen unanimiter fatetur Ecclesia cum Patribus; Neque mulieres in statu innocentiæ, licet absque dolore parerent corporalem integritatem servarent. Nec etiam potest dici quod Christus exivit de utero Beatissimæ Virginis in terram non transeundo per medium; quia id derogat veritati partus, qui propriè non fit, nisi cum fœtus exit per motum, & transeundo per medium ex utero matris. Demum hoc idem colligitur ex eo quod corpus Christi

glorioſum aſcendit uſque ad ultimum cœlum, quod quidem, cum cœli ſint incorruptibiles & indiviſibiles, fieri non potuit, niſi Chriſtus Dominus omnes cœlos penetraret; & ob id aſcenſum illum Chriſti explicuit Apoſtolus ad Hebræos 4. dicens: *Habent ergo Pontificem, qui penetravit cœlos* JESUM.

Quares quartò, an dato quod eſſet vacuum in rerum natura, quod fieri poteſt ſupernaturaliter, poſſet tunc corpus aliquod moveri in tali vacuo.

Reſpondeo affirmativè; quod quidem colligitur ex Divo Thoma *tertia parte, quæſtione quinquageſima ſeptima articulo quarto ad decimum*, ubi docet corpus Chriſti glorioſum aſcendiſſe ſupra omnes cœlos, & eſſe extra omnem continentiam cœlorum: ſed ſic eſt, quod ſuper omnes cœlos aſcendere non potuit niſi per motum corporis: ergo Chriſtus in illo ſpatio imaginario quod ſupra cœlos conſideramus, & quod eſt vacuum negativè verum habuit motum, & à fortiori illum poteſt habere quodlibet aliud corpus in vacuo, quod vacuum dicitur privativè, quod ſcilicet ſupponitur inter duo loca ſeu corpora, poteſt, inquam, à fortiori illum habere tranſeundo de loco ad locum per vacuum intermedium inter talia duo loca. Ratio autem hujus à priori eſt, quia moveri aliquod corpus localiter eſt illud acquirere novum ubi: jam ſic eſt quod per motum qui fieret in vacuo novum acquireret *ubi*, non quidem extrinſecum, quod ſcilicet definiri ſolet circumſcriptio paſſiva corporis ex circumſcriptione activa loci proveniens, cum enim in vacuo à nullo activè circumſcriberetur loco, nec etiam ibi acquirere poſſet ubi, quod eſſet ita circumſcriptio paſſivè, ſed in tali vacuo acquireret *ubi* intrinſecum, ſeu præſentiam in ſeipſo quaſi immanentem & quaſi intranſitivè acceptam, ratione cujus taliter eſſet ſibi ipſi præſens in vacuo, quod ſi ibi aliquod poneretur corpus, ſtatim ex vi talis præſentiæ quaſi intrinſecæ & immanentis, eſſet illi ſine nova ex parte ſui approximatione præſens, ut per ſe patet: ergo dato quod eſſet vacuum in rerum natura, poſſet in illo moveri corpus.

Ad quas vero ſpecies reduceretur tunc ille motus, dico quod quantum ad diviſionem in motum ſurſum & deorſum, ad neutrum harum ſpecierum reduceretur motus ille, ſi fieret in vacuo quod tale dicitur negativè, ſive ſi moveretur in ſpatio, quod imaginamur extra omnes cœlos: bene tamen ſi moveretur in vacuo quod ſupponi poteſt inter concavum lunæ & terram; eſſet enim tunc motus ſurſum ſi magis approximaretur corpus concavo lunæ; ſi autem per illum magis approximaretur terræ eſſet motus deorſum. Iſtæ tamen differentiæ ſpecificæ non

ſunt

sant differentiæ motus absolutè, sed solum motus, qui fit inter corpora universi; unde quantum ad illas differentias & species motus, putà quod sit motus circularis, aut rectus, illæ convenirent omni omnino motui, qui fieret in omni vacuo.

Quæres quintò, utrum si corpus moveretur in vacuo, moveretur tunc in instanti; cum successio & retardatio motus videatur solum provenire ex resistentia corporis existentis in spatio, super quod fit motus, quæque in tali casu nulla esset.

Respondetur negativè, cujus ratio est quia successio & prioritas & posterioritas partium motus, licet augeri possit ex resistentia alterius corporis existentis in spatio per quod fit motus, non tamen ex illo tantum capite provenit, ut patet in motu cœli ad quem nulla est resistentia alterius corporis, & tamen talis motus non fit in instanti sed successivè: non igitur ex sola illa resistentia provenit successio & retardatio motus, sed etiam ex aliis capitibus, putà ex virtute moventis, & ex ipsa extensione & magnitudine mobilis: patet enim, quod si daretur vacuum inter cœlum & terram, & aliquod corpus in concavo lunæ constitueretur, quanto illud esset gravius, majori etiam velocitate in terram descenderet, quam aliud corpus minus grave, ac proinde ex ipsa virtute per quam fit motus provenire potest successio & retardatio motus, sicut & ex magnitudine & extensione mobilis; quod quidem ex eo patet, quod si esset vacuum inter concavum lunæ & terram, & poneretur in vacuo lunæ corpus verbi gratia, tripedale, illudque per tale vacuum moveretur usque ad terram, non posset superior illius pedalitas pervenire ad locum vel spatium imaginarium illius vacui ad quem perveniret infima pedalitas, priusquam perveniret ad spatium intermedium pedalitatis intermediæ: Jam sic est quod duo illa capita, ex quibus etiam provenit successio & retardatio in motu, putà & virtus per quam fit motus, & magnitudo seu extensio mobilis adhuc permanerent in motu corporis, quod per vacuum moveretur: ergo motus ille in vacuo non propterea fieret in instanti.

Quod si dicas quod ideo sol diffundit lumen per aliquod corpus in instanti, quia nullam invenit resistentiam contrariæ, proindeque cum nullam inveniat corpus mobile resistentiam in vacuo, totum etiam in instanti percurret spatium: ad hoc neganda est paritas quia ad introductionem qualitatis solum illius contrarium potest facere resistentiam, unde cum nullum sit lucis contrarium, quod ejus diffusioni aut introductioni resistat, potest etiam in instanti diffundi: at vero in motu locali corporis sola ipsius extensio habet opponi &

quasi resistere motui ejus instantaneo, ut supra ostendimus; atque ita quamvis non adsit resistentia alterius corporis, non propterea fieri poterit in instanti.

Quares ultimò, quibus modis aut mediis soleat natura impedire vacuum

Respondeo, naturam impedire vacuum diversis modis. Sic enim vel levia descendunt, vel ascendunt gravia; vel rarefiunt quæ sunt densiora; aut si res alio modo fieri nequeat, perfringuntur tandem corpora. Natura enim illo in casu mediis utitur semper iis, quæ minus violenta sunt, si ad finem assequendum sunt idonea.

QUÆSTIO ULTIMA.

Utrum tempus sit & existat præsens, ratione partis divisibilis, an solum ratione instantis.

PRæmittendum primò, pro intelligentia naturæ & quidditatis temporis definiri tempus ab Aristotele *libro quarto, physic. textu* 111. *numerum motus secundum prius & posterius*; pro cujus definitionis declaratione prænotandum est, quod omnis motus habet aliquas partes ab spatio per quod fit, & quidem priores & posteriores: ex eo enim, quod aliquod mobile continuè moveatur per aliquod spatium in quo sunt partes aliquæ priores, & aliquæ posteriores, & quasi mobile non simul sed successivè & cum ordine prioris & posterioris pertransivit, inde etiam provenit quod motus, & consequenter tempus, quod est duratio illius, partes habeat priores & posteriores sibi invicem succedentes, & quæ non simul existant: ita tamen quod tempus & motus licet suas partes causaliter habeant ab extensione spatii, super quod fit motus, diversas tamen partes & extensionem habeant, ac illud: siquidem habet illud suam extensionem & partes permanenter & omnes simul: tempus autem & motus suam habent extensionem & partes successivè, quatenus mobile non simul, sed unam prius altera pertransit spatii partes per partes motus. Hoc autem supposito dico, definitionem assignatam de tempore ab Aristotele esse optimam & sensum illius esse, quod tempus est numerus motus, non quidem numerus numerans, sed numerus numeratus, seu numerabilis, quatenus scilicet est duratio intrinseca motus primi mobilis, in qua secundum prius & posterius ipsius motus potest intellectus accipere

cipere & numerare prius & posterius ipsius durationis, quæ sunt partes temporis; assignatur autem & assignari solet tempus in ipsa duratione intrinseca motus primi mobilis, non quod alii motus non habeant durationem suam intrinsecam, subindeque & suum intrinsecum tempus, sed quia duratio intrinseca talis motus primi mobilis est uniformis & regularissima, ac per motum primi mobilis nobis notissima est mensura extrinseca omnium motuum & mutationum cujuscunque entis corruptibilis; sed de hoc infra in corollario apponendo.

Præmittendum secundò, pro declaratione principiorum ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque vim habitura principii, putà quod *existentia est actualitas ipsius essentiæ*; Quod *non potest instans magis durare quam per instans*; Quod *pars qualibet temporis est tempus*. Primo quidem, est existentia actualitas ipsius essentiæ, cujus ratio est quia habet res subindeque & ipsa essentia qua constituitur res in esse rei, poni extra causas per existentiam; unde & existentia dicitur, quasi rei extra causas sistentia: ergo cum res seu rei essentia esset intra causas tanquam in potentia, constituitur per consequens in actu per existentiam, hoc ipso quod per illam ita extrahitur extra suas causas: Jam sic est quod illud quo unumquodque ponitur & constituitur in actu est ipsius actualitas: ergo existentia est actualitas ipsius essentiæ. Quantum vero ad secundum, putà quod non potest instans magis durare quam per instans, ex eo evidenter patet, quod cum unumquodque duret per durationem non potest consequenter aliquid magis durare quam sua duratio: sed sic est quod duratio instantis non est alia quam instantanea ut ex terminis patet, imò est ipsummet instans durans, cum duratio alterius non possit per aliam durare durationem, alias daretur processus in infinitum: ergo non potest instãs magis durare quã per instãs. Deniq; quod pars quælibet temporis sit tempus, quod est tertium præmissum principium, ex eo patet, quod pars quælibet temporis est divisibilis in alias partes, alias componeretur tempus ex solis indivisibilibus: ergo cum partes illæ in quas divisibilis est, se habent successivè & consequenter ad modum prioris & posterioris, omnis per consequens pars temporis conflatur ex priori & posteriori: sed tale conflatum ex priori & posteriori est tempus, ut patet ex præmissa definitione temporis ergo & pars quælibet temporis est tempus. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione fit.

CONCLUSIO: *Tempus non habet existere per partes, sed per instans solum, sive id quod habemus præsens de tempore non est pars aliqua, sed solum instans.*

Probatur primo, ex primo præmisso principio: *Existentia est actualitas qua ponitur essentia in actu*: Ergo non habet tempus existere nisi per instans. *Probatur Consequentia*, non est essentia temporis in actu & præsentialiter, nisi dum adest instans, seu præsente instanti: ergo hoc ipso quod existentia est id, quo ponitur essentia in actu, non habet existere tempus nisi per instans. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, conflatum ex parte immediatè præterita & immediatè futura non est in actu & præsentialiter, nisi dum adest præsentialiter instans: sed essentia temporis conflatur ex parte immediatè præterita, & immediatè futura: ergo essentia temporis non est in actu & præsentialiter, nisi per instans, seu præsente instanti. *Major* est evidens: conflatum namque ex aliquibus, quæcumque illa sint, non est in actu, nisi existente in actu eorum nexu; ac proinde cum nexus partis immediatè præteritæ & partis immediatè futuræ non aliud sit quam instans, evidenter sequitur, non esse in actu & præsentialiter tale conflatum, nisi dum adest præsentialiter instans. *Probatur Minor*; conflatur essentia temporis ex priori & posteriori: sed prius illud & illud posterius supponunt pro parte immediatè præterita & immediatè futura: ergo conflatur essentia temporis ex parte immediatè præterita & immediatè futura. *Major* est evidens; cum definiatur tempus numerus numerabilis secundum prius & posterius. *Probatur Minor*, posterius illud in tempore est pars, quæ immediatè sequitur ad antecedentem; & illud prius est pars quæ immediatè antecedit sequentem: sed pars hæc antecedens non antecedit immediatè sequentem ut præsentem sed ut futuram, cum id quod immediatè antecedit ut præsens, sit instans; & pars illa sequens non sequitur immediatè ad antecedentem ut præsentem, sed ut præteritam, cum id ad quod sequitur immediatè ut præsens, sit instans medians: ergo prius illud & illud posterius supponunt pro parte immediatè præterita & immediatè futurâ: ergo conflatur essentia temporis ex parte immediatè præterita & immediatè futura: ergo non est in actu & præsentialiter essentia temporis, nisi dum adest præsentialiter instans: ergo hoc ipso quod per existentiam ponitur essentia in actu [quod est primum præmissum principium] non habet hoc ipso tempus existere nisi per instans.

Pro-

Probatur secundò, ex secundo præmisso principio: *Non potest instans magis durare quam per instans*: Ergo non potest tempus existere per partem sui, sed tantum per instans. *Probatur consequentia*, si id quod est præsens & existens in tempore esset pars aliqua, tunc ejus instans magis duraret quam per instans: ergo hoc ipso quod non potest instans magis durare quam per instans, non potest hoc ipso existere tempus per aliquam sui partem, *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, non potest instans durare per totam aliquam divisibilem morulam, & non magis durare quam per instans: sed si id quod est præsens & existens de tempore esset pars aliqua, tunc ejus instans duraret per totam aliquam divisibilem morulam: ergo si id quod est præsens & existens in tempore esset pars aliqua, tunc ejus instans magis duraret quam per instans. *Major* patet, cum durare per instans sit durare per durationem indivisibilem, ex eo scilicet quod est instans indivisibile quid. *Probatur Minor*, morula, qua duraret pars illa præsens temporis esset morula divisibilis: sed in tali casu duraret instans per totam illam morulam, qua duraret pars illa præsens: ergo in tali casu duraret instans per totam aliquam divisibilem morulam. *Major* patet, cum sit pars illa temporis, & consequenter ejus duratio divisibile quid. *Probatur Minor*, tamdiu durat continuativum, quamdiu durat continuum, ut ex terminis patet: sed morula illa qua duraret pars illa præsens temporis, esset continua, & continuaretur per instans, ut conceditur: ergo in tali casu duraret instans per totam illam morulam qua duraret pars illa præsens temporis: ergo si esset pars aliqua temporis præsens, duraret instans in tali casu per totam aliquam divisibilem morulam: ergo si esset pars aliqua temporis præsens, tunc instans magis duraret quam per instans: ergo hoc ipso quod instans non potest magis durare quam per instans [quod est secundum præmissum principium] non potest hoc ipso tempus præsens esse per partem, sed solum per instans.

Probatur tertiò, ex tertio præmisso principio: *Pars qualibet temporis est totum aliquod tempus*: ergo id quod habetur præsens & existens de tempore non potest esse pars aliqua sed solum instans. *Probatur consequentia*, impossibile est, quod totum aliquod tempus sit existens seu præsens: ergo hoc ipso quod pars quælibet temporis est totum aliquod tempus, non potest id, quod habetur præsens de tempore esse pars. *Consequentia* est evidens, *Probatur antecedens*, si esset totum aliquod tempus existens seu præsens, essent etiam ipsius par-

tes simul præsentes seu existentes : sed impossibile est quod partes alicujus temporis sint simul præsentes & existentes : ergo & est impossibile, quod totum aliquod tempus sit existens & præsens. *Minor* est evidens ; cum illud cujus partes sunt simul præsentes & existentes sit essentialiter ens permanens, & in hoc sita sit differentia entis permanentis à successivo, quale est tempus. *Probatur Major*, nihil habet totum realiter loquendo, quod non habeat ex partibus, cum ut ostensum & demonstratum fuit in Physica, nihil reale addat totum supra partes ut totum componentes : sed si esset totum aliquod tempus præsens & existens, & non essent pro tunc præsentes & existentes ipsius partes, haberet totum reale quid quod non haberet ex partibus, hanc scilicet totalem præsentiam & existentiam : ergo non potest totum aliquod tempus esse præsens & existens, & non esse partes ipsius simul præsentes & existentes : ergo impossibile est, quod totum aliquod tempus præsens sit & existens, cum sit impossibile, esse partes illius simul præsentes : ergo hoc ipso quod pars quælibet temporis est totum aliquod tempus (quod est tertium præmissum principium) non potest id quod habetur præsens de tempore esse pars, seu non potest tempus præsentialiter existere per partem, sed solum per instans.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia fundamenta in solutionib' objectorum.

Objicies primò : in ente successivo quod sequitur immediatè ad præteritum est præsens : sed pars temporis, etiam ut pars est aliquando immediatè sequitur ad præteritum : ergo temporis pars etiam ut pars est, est aliquando præsens. *Probatur minor :* pars temporis etiam sub ratione partis sequitur immediatè ad instans : sed instans est aliquando præteritum : ergo pars temporis etiam ut pars est, sequitur aliquando immediatè ad præteritum.

Respondeo negando minorem : pars enim temporis, quæ sequitur, hoc ipso quod sequitur habet continuari & copulari cum parte antecedente præterita, cum hoc ipso quod sequitur supponat pro parte posteriori, quæ quidem in tempore debet esse continuata cum priori, ex eo scilicet quod ex priori & posteriori parte ita continuatis exurgat & confletur tempus continuum : sed sic est quod non potest pars illa sequens & posterior continuari cum parte priore præterita nisi per præsens quid, cum præteritum esse non possit continuativum, ex eo scilicet quod ut continuativum faciat, quod alia sint eo scilicet modo quo esse possunt, & ut præteritum facere nequeat quod alia sint, cum ipsum non sit hoc ipso quod præteritum : Non ergo

pars

pars illa sequens temporis sequitur immediatè ad præteritum, cum sequatur ut continuata cum parte præterita, & continuari non possit nisi per præsens. Unde ad probationem distinguo majorem sic: pars illa sequens temporis sequitur immediatè ad instans, inquantum & quamdiu præsens est Concedo: sequitur immediatè ad instans, in quantum præteritum est Nego majorem; & concessâ minori nego consequentiam. Cur autem pars illa sequens temporis sequi non possit ad instans ut præteritum, ratio hujus est quia jam præterit ipsa sub ratione partis hoc ipso quod instans præteritum est. Quod si quæras unde id habeam, quod scilicet præteriit pars sequens temporis, hoc ipso quod instans præteritum est, subindeque nec existens sit & præsens nisi ratione præsentiæ & existentiæ instantis, respondeo, me id colligere ex eo quod instans est continuativum partis sequentis seu posterioris, cum parte antecedente sive priori: atqui cessante & prætereunte continuativo, potest non simul cessare & præterire continuum: aliàs esset aliquando continuum sine continuativo: ergo hoc ipso quod intelligitur cessasse & præteriisse tale instans, debet etiam hoc ipso simul intelligi præteriisse pars illa sequens temporis sub ratione partis sequentis, atque ita falsum est, quod pars illa sequens sequatur & sequens sit ad instans ut præteritum; sed solum sequi potest ad instans ut est præsens, subindeque & solum existere & præsens esse ratione præsentiæ & existentiæ instantis. *Nota.*

Instabis: instanti illo semel præterito adhuc continuatur pars illa sequens cum alia posteriori & sequenti parte: ergo instanti illo semel præterito adhuc est & existit pars illa sequens. *Probatur consequentia*, non potest pars illa sequens continuari cum alia sequenti & posteriori parte, quin hoc ipso extet continuum: sed existente continuo existunt & continui partes: ergo hoc ipso quod instanti illo semel præterito adhuc continuatur pars illa sequens cum alia sequenti & posteriori parte, adhuc consequenter est & existit pars illa sequens

Respondeo distinguendo consequens: ergo instanti illo semel præterito adhuc est & existit pars illa sequens, ita quod sit & existat ratione sui Nego; ita quod sit & existat ratione alterius instantis per quod continuatur cum alia sequenti parte Concedo; sed exinde nihil ad intentum quia imò omnino confirmatur doctrina supra exposita. Si namque instanti illo semel præterito adhuc intelligitur esse pars illa sequens, quia adhuc intelligitur continuari cum alia sequenti & posteriori parte; ergo in tantum solum intelligitur esse & existere pars illa sequens, in

quantum pro illo tunc est & existit continuativum quo scilicet continuatur cum illa altera sequenti & posteriori parte: sed tale continuativum est aliud instans; ergo instanti illo priori semel præterito non intelligitur pars illa sequens adhuc existens nisi ratione alterius instantis tunc existentis & præsentis, sicque quomodocumque consideretur illa pars non nisi ratione instantis est præsens; cum ut continuata cum parte priori præte-
Nota. rita non sit nisi quamdiu præsens est instans; adeo ut eo præterito, ipsa etiam præterierit & cessaverit sub ratione sequentis partis: considerata verò & continuata ad modum partis antecedentis cum alia sequenti & posteriori parte, non sit etiam existens nisi existente altero instanti, utpote quod continuativum est talis existentis continui.

Urgebis non potest pars illa sequens simul existere cum alia parte: sed si ita solum existeret ratione instantis tanquam continuativi, simul existeret cum alia parte: ergo non potest existere & esse præsens ratione instantis continuativi. *Probatur minor*, existeret pars illa sequens simul cum alia parte, si existeret per aliquid æqualiter arguens existentiam utriusque partis: sed existentia continuativi arguit æqualiter existentiam utriusque partis: ergo si existeret pars illa sequens ratione instantis continuativi, simul existeret cum alia parte.

Respondent ad hanc instantiam Thomistæ distinguendo duplicem statum in existentiâ cujuslibet partis temporis, alium scilicet in quo existit pars initiativè & quasi in fieri, & tali, inquiunt, existit existentia, quando consideratur existere ratione instantis per quod continuatur cum parte priori; ex eo scilicet quod tale instans, quod est terminus prioris partis, est consequenter initium hujus posterioris & sequentis: alius verò status existentiæ partium temporis est ille in quo existunt cõsummativè & quasi in facto esse, & taliter inquiunt, existit pars quãdo consideratur existens ratione alterius instantis per quod continuatur cum alia parte posteriori; tale namque instans sicut est initium partis illius posterioris, est etiam terminus & quasi factum esse partis hujus prioris & antecedentis: non est autem inconveniens, quod dum pars una temporis existit quasi in facto esse & in consummatione, quod altera simul existat initiativè & quasi in fieri; cum ita solum existens initiativè, potius simpliciter & absolutè non existat: ergo cum hoc solũ sequatur ex præfata doctrina de existentia partium ratione instantis, nullum per consequens ex ea sequitur inconveniens, quamvis ex ea sequatur, partem unã temporis simul aliqualiter existere cum alia parte.

Ita communiter Thomistæ; cui tamen doctrinæ nusquam

acquiescere potui propter sequentia, vel enim negantes illi simultaneam existentiam partium temporis loquendo absolutè & in facto esse, & concedentes illam loquendo cum hoc addito *initiativè & consummativè*, vel *in fieri & in facto esse*, vel, inquam, agnoscunt illi in partibus existentiam aliam ab ea, qua existunt ut immediatè præterita & ut immediatè futura; vel non agnoscunt: si non agnoscunt; ergo inconveniens non est quod simul existant, sive in fieri sive in facto esse, sive utraque consummativè sive initiativè simul & consummativè; quin imo oportet tunc quod si una existit quasi in facto esse & perfectè, ita & altera, cum præteritum non habeat magis de existentia quam futurum, vel futurum quam præteritum: quod si ita distinguentes Thomistæ existentiam in partibus aliam agnoscunt, quam eam quâ existunt ut immediatè præteritæ & immediatè futuræ; ergo & aliam in illis agnoscunt quam existentiam instantis; cum præsente instanti non se habeant illæ, nisi ut immediatè præteritæ & ut immediatè futuræ, ut per se patet; proindeque non aliam à præsentia & existentia instantis haurire possint existentiam, quam eam quâ existunt ut immediatè præteritæ & immediatè futuræ. Unde hâc omissâ responsione.

Respondeo secundò, Quod major illa propositio, quæ etiam est commune dictum & axioma in philosophia, puta quod pars una temporis non potest simul existere cum alia parte, intelligenda venit de existentia rei sive partis in seipsa, sive de existentia partis, quæ sit incompatibilis cum eadem parte vel ut immediatè præterita vel ut immediatè futura; cum tantum absit quod loquendo de existentia partis compatibili cum eadem ut immediatè præterita aut futura, non possit una existere simul cum alia, quin imo est hoc omnino necessarium, cum essentia temporis, quæ simul habet quæ de essentia sunt, constet & exurgat ex parte immediatè præterita & immediatè futura, ut supra notatum fuit in prima probatione: jam sic est, quod existentia, quam habet pars existendo per instans tanquam contiuuativum, est existentia quæ compatitur cum eadem ut immediatè præterita & futura, sive non alia est existentia quam ea, quâ existit pars ut immediatè præterita, vel ut immediatè futura; cum instans illud non continuet nisi prius cum posteriori, sive præteritum cum futuro, & eo præsente sit etiam tunc simul & semel, & immediatè præteritum & immediatè futurum: ergo non est inconveniens, quin imò necesse est, quod pars una temporis existat simul cum alia, loquendo ut in præsenti loquimur de existentia in instanti & ratione instantis, licet non posset

una

una existere simul cum alia, si sermo esset de existentia partium in seipsis, & non in altero seu in instanti.

Vrgebis iterum: Inintelligibile est transire aliquid de futuro in præteritum, non prius transeundo in præsens: sed transit pars temporis à futura in præteritam etiam ratione sui: ergo inintelligibile est, non esse partem temporis aliquando præsentem ratione sui.

Respondeo Distinguendo majorem: inintelligibile est, transire aliquid de futuro in præteritum non prius transeundo in præsens, loquendo in ente permanenti Concedo: loquendo, ut ibi loquimur, in ente successivo Nego, id enim facile intelligitur, si attendere velimus ad modum, quo pars talis entis successivi seu temporis transit de futura in præteritam, cum enim pars temporis dicatur & sit futura per hoc quod continuatur per instans præsens cum parte priore præterita, & dicatur præterita per hoc quod continuatur per aliud instans præsens cum alia parte posteriori & sequenti, dicendum est per consequens transire partem temporis de futura in præteritam, per hoc præcisè quod continuatur per instans B, præsens cum alia parte posteriori, cum tamen antea continuaretur per instans A præsens cum alia parte priori: jam sic est, quod ad hoc non requiritur, quod sit aliquando pars illa præsens in seipsa & per seipsam; quin imo si esset ita præsens non continuaretur, cum pro illo tunc quo ita esset præsens, nondum præsens esset instans continuativum; sed requiritur solum quod post instans A, per quod in quantum præsens continuabatur pars illa cum parte priori & sic erat futura, id quod sequetur præsens, sit aliud instans per quod hæc eadem pars continuetur cum alia parte posteriori, & sic dicatur præterita, utpote quæ præsens non est nec esse potest in seipsa: dum præsens est instans illud B, sequens per quod continuatur cum parte posteriori: non ergo requiritur quod pars in tempore sit aliquando præsens ratione sui, ad hoc scilicet ut verificetur quod transit, aut transit de futura in præteritam.

Nota.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo; Divum Thomam & docuisse & probasse præfatam nostram conclusionem; quod in primis colligo *ex opusculo quadragesimo quarto, capite primo*, ubi sic ait: *Quia qualibet pars cujuslibet successivi est divisibilis in diversas partes, sequitur, quod si aliquod successivum existeret non solum secundum aliquod indivisibile sui, sed secundum aliquam sui partem, tunc multæ alicujus successivi partes simul essent quod est contra rationem successivorum*: ergo ex D. Thoma non potest tempus sive ens suc-

successivum existere & præsens esse nisi per aliquod indivisibile sui, non autem ratione alicujus sui partis.

Secundò, hoc idem colligo ex his quæ habet *in libro quarto, physic. lectione vigesimatertia*, dum ait: *Quod non invenitur aliquid actu in rebus de motu, nisi quoddam indivisibile motus, quod est motus divisio; sed totalitas motus accipitur per considerationem animæ comparantis priorem dispositionem mobilis ad posteriorem. Sic igitur tempus non habet esse extra animam, nisi secundum suum indivisibile:* Hæc D. Thomas, ex quibus sic licet subsumere: sed tempus sicut & motus secundum quod est existens & præsens, habet esse extra animam: ergo ex D. Thoma id quod habetur præsens & in seipso existens de tempore, non est nisi indivisibile.

Tertiò, demum id colligo ex iis quæ habet *prima parte quæstione sexagesima sexta, articulo quarto ad tertium*, ubi habet, quod nihil est accipere in actu de tempore nisi nunc, quo quidem nunc non aliud intelligendum venit in tempore nisi instans indivisibile: ergo idem, quod prius.

COROLLARIUM.

In quo varia de tempore & duratione expenduntur & resolvuntur.

Quæres primò; utrum tempus sit ens reale, sive habens esse extra animam, & independenter ab intellectu.

Respondeo affirmativè, quòd ex duplici capite ostendi potest & demonstrari, primo quidem ex eo quod sive omni actu animæ, sive independenter ab omni intellectus operatione est & esse potest realis transitus ab uno contradictorio ad aliud: aqua enim de non calida fieri potest calida omni etiam secluso actione intellectus, & sic est quod sine tempore fieri non potest realis ille transitus de contradictorio ad contradictorium; ille namque transitus supponit necessario utrumque contradictoriorum non esse simul, cum impossibile sit, quod quando aliquid est sub uno contradictoriorum, quod pro tunc sit sub altero, proindeque supponit & exigit aliud & aliud tempus: ergo est & supponitur tempus omnino independenter ab operatione intellectus subindeque habet tempus esse extra animam, & est reale ens.

Aliud vero fundamentum ex quo hoc idem colligo est quod in illo non est tempus secundum proprium esse suum, etiam for-

Respondeo Pro resolutione, quod tempus dupliciter accipi potest, tum pro duratione interna motus cujuslibet, & dici solet tempus internum, estque id quo motus quilibet quasi intrinsecè mensuratur secundum partes priores & posteriores; tum etiam accipi potest tempus, imo & solet pro duratione motus rei alicujus distinctæ, per quam aliæ motuum durationes mensurantur; diciturque propterea tempus externum, atque ex communi consuetudine duratio motus cælestis, ac præcipuè solaris dicitur tale tempus, quia scilicet ea utimur tanquam mensura quadam ad mensurandas, ac designandas alias durationes. igitur si procedat quæsitum de tempore *interno*, certissimum est, non unum tantum, sed multiplex haberi tempus, cum quilibet motus suam propriam habeat durationem independenter ab omni alio: si autem procedat sermo de tempore de externo, ut de facto procedere solet, quando inquiritur aliquid de tempore, dicendum est, hujusmodi tempus esse unum tantum *commune & universale*, quo omnes uti solent, veluti mensura quadam extrinseca ad alias durationes mensurandas. Illud autem tempus est duratio motus cælestis, ac præcipuè solaris. Primò, quia ut ex Aristotele loquitur D. Thomas, *est tempus ubique existens, idemque apud omnes, & omnia ambiens*; ideoque facile ab omnibus cognoscitur. Secundo, quia facile dividitur in annos, menses, dies, & horas. Tertiò, quia est maximè æquabilis & uniformis. Quapropter, quotiescumque de alicujus actionis, aut alicujus particularis motus duratione judicare volumus, illam comparamus cum motu cœli: imò motu etiam horologii, aliisque similibus instrumentis tanquam extrinsecis aliarum durationum mensuris non utimur, nisi ut prius per motum cœli mensuratis, aut veluti signis illius.

Quares tertiò, quotuplex sit duratio.

Respondeo, Duplicem esse durationem, ex prima sui divisione, nimirum successivam & non successivam: ex subdivisione verò esse durationes sive durationum genera numero sex. Duratio namque non successiva dividitur in quatuor, puta in æternitatem; ævum, seu æviternitatem; in *nunc* temporis discreti; & in *nunc* temporis continui, duratio autem successiva dividitur in duas, in continuam scilicet & discretam.

Quares quartò, In quo differant duratio successiva, & non successiva.

Respondeo. In eo differre durationem successivam à non successiva, quod illa ex natura sua habet intrinsecè successionem, non autem ista. Dixi autem, *ex natura sua*; quia si aliquid alicui succe-

succedat per accidens, & non ex propria natura, non propterea ei competit duratio quæ dicitur successiva, ut v.g. si existente aliquo quanto interveniat albedo, tunc inter quantitatem & albedinem, vel inter successionem unius & alterius non est per se successio, quia quantum est de se, possunt simul stare in esse & in fieri. Dixi insuper, quod habet duratio successiva successionem intrinsecè; habere namque successionem solum extrinsecè durationi convenit indivisibili, quæ nullam habet ex se successionem, utpote quæ coexistere potest durationi successivæ; sic æternitas coexistere potest toti tempori; & *nunc* temporis discreti coexistere potest toti alicui tempori continuo.

Quares quinto, in quo differant successio continua & discreta.

Respondeo, In eo differre, quod continua successio consistat in duratione successiva ejusdem numero actus, pertinetque præcipue talis successio ad durationem motus, & vocatur tempus continuum. Duratio vero successiva discreta consistit in duratione successiva circa idem subjectum diversorum actuum inter se incompossibilium, quorum quilibet in sua duratione est indivisibilis, quod quidem patet in actibus intellectus, quorum unus succedit alteri; ita tamen quod quilibet in se, & ipsius successio sit indivisibilis; pertinetque ista duratio ad tempus discretum, quia non solum ibi est dare plura, in quantum scilicet duo actus sunt plures quam unus, sed etiam est ibi dare plus & minus durare, quod pertinet ad tempus discretum.

Quares sexto, Et ultimo in quo differant *nunc* temporis discreti, & *nunc* temporis continui.

Respondeo, In eo primò differre, quod in tempore continuo *nunc* & tempus non plus sunt, quam tempus ipsum, ita quod nunc non faciat plus in duratione, sicut nec puncta in linea quantum ad longitudinem: in tempore autem discreto ly *nunc* facit plus in duratione, quia quodlibet nunc additum facit partem durationis. Secundò verò in eo differunt, quod *nunc* temporis continui non est nec esse potest pars ejus, quia omne continuum semper dividitur in continuum, & nunquam in indivisibilia simpliciter; at ly *nunc* temporis discreti est ejus pars, quia omne discretum resolvitur ad indivisibilia, sicut ad partes ejus. Et hæc quantum ad varios durandi modos, & varia durationum genera dicta sufficiant; atque tandem huic nostræ Physicæ universali finem imponant.

DE

DE

PHYSICA PARTICULARI.

PHYSICA particularis tres omnino in partes dividi solet. Ac prima quidem agit *de mundo*: Secunda autem *de rerum naturalium generatione & corruptione*: Ac tertia tandem *de ente animato*, sive *de anima*. Ut enim Physica universalis de ente mobili seu naturali in communi disputat: ita & hæc agit de variis illius generibus in particulari; quæ quidem genera sunt numero tria, puta ingenerabile & corruptibile, ut cæleste; quod non est mobile nisi motu locali: tum generabile & corruptibile seu elementare non vivens, quod est ens mobile, etiam alterationis motu: ac demum ens generabile & corruptibile vivens, seu animatum, quod est etiam mobile motu vitali. Quia verò ens naturale ut localiter mobile est latius quid, seu universalius, quam generabile aut corruptibile, sicut istud quam virtualiter mobile: mobile siquidem locale res omnes corporeas tum incorruptibiles ut cœlos, tum corruptioni obnoxias ut res sublunares; tum viventes ut plantas, brura & hominem, tum inanimes ut lapides & elementa suo ambitu comprehendit; cum illa localiter moveantur, aut moveri possint ex sua natura, ideo in prima huius physicæ particularis parte agemus de ente naturali ut localiter mobili, subindeque & de mundo seu universo, quod definit Aristoteles compagem è cœlo terraque coagmentatam, atque ex iis naturis quæ intra eam continentur: hæc enim omnia & singula conveniunt & adunantur in una ratione entis localiter mobilis, seu quatenus certam in universo sedem sibi vendicant, aut per motum localem acquirere possunt: quem tractatum quatuor libris de cœlo prosecutus est Aristoteles, sumptâ à præstantiori aut principaliori parte objecti nuncupatione. Sit igitur,

IN LIBROS DE MVNDO ET COELO.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum mundus potuerit esse ab æterno secundum entia permanentia.

PRamittendum primò, Pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindèque & vim habitura principii, puta quod *rei ab æterno productæ non repugnat potuisse esse sub nihilo, sed solum sub nihilo fuisse*: quod *virtus creativa Deo competit ab æterno*: quod *servatur conceptus creaturæ per esse ab alio cum dependentia*. Primo quidem rei ab æterno productæ non repugnat potuisse esse sub nihilo, sed solum sub nihilo fuisse, ideo namque repugnat rei prout ab æterno productæ produci absolutè loquendo ex nihilo, quia cum hoc stare nequit quod semper fuerit & pro semper duraverit: jam sic est, quod quamvis potuerit esse sub nihilo, modo sub nihilo non fuerit, adhuc verificatur quod semper fuerit & semper duraverit, ut per se patet: non ergo repugnat rei ab æterno productæ potuisse esse sub nihilo, sed solum sub nihilo fuisse. Quantum verò ad secundum, puta quod virtus creativa Deo competat ab æterno, ex eo evidenter patet, quod nihil habet Deus intrinsecum & intrinsecè in tempore quod non habuerit ab æterno; alias mutaretur intrinsecè in tempore: sed sic est quod creativa virtus est quid intrinsecum Deo, cum sit Dei perfectio; imò & est Deus ipse, cum Deus ut pote actus purus sit qua actualitas, & actualitas Dei utpote similiter purissima & denudata ab omni potentialitate sit sua activitas, in qua consistit creativa virtus: ergo creativa virtus

debet

debet Deo competere ab æterno. Denique quod salvetur conceptus creaturæ per esse ab alio cum dependentia, quod est tertium præmissum principium, ex eo patet quod præfatus ille conceptus entis ab alio cum dependentia non alteri quam creaturæ potest competere; ac proinde hoc ipso quod cum aliquo salvatur & stat quod sit aliquid ens ab alio cum dependentia, cum eodem stare debet quod sit creatura. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit

CONCLUSIO: *Nec ex parte creationis; nec ex parte creati effectus, seu creaturæ; nec ex parte Dei creantis implicare potest produci mundum ab æterno secundum entia permanentia.*

Probatur 1. Prima pars ex primo præmisso principio: *rei ab æterno productæ non repugnat potuisse esse sub nihilo, sed solum sub nihilo fuisse*: ergo non implicat ex parte creationis, produci mundum ab æterno. *Probatur consequentia*: non exigit creatio essentialiter producere ex nihilo sub quo res fuerit, sed solum sub quo potuerit esse: ergo hoc ipso quod rei ab æterno productæ non repugnat potuisse esse sub nihilo, sed solum sub nihilo fuisse, nec etiam repugnat ex parte creationis produci mundum ab æterno. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, id solum exigit creatio essentialiter, per quod distingui debet ab omni eo quod non est creatio; sed per ly producere ex nihilo sub quo res potuerit esse, sufficienter distinguitur creatio ab omni actione, quæ non est creatio: ergo non exigit creatio essentialiter producere ex nihilo, sub quo res fuerit, sed solum sub quo potuerit esse. *Major* est evidens; cum salvetur conceptus essentialis creationis, sicut est cujusvis alterius, per hoc quod habetur & salvatur id per quod distinguitur. *Probatur Minor*, omnis actio quæ non est creatio, & à creatione distinguitur, est tum processio in divinis, tum generatio in creatis: sed nec processio in divinis, nec generatio in creatis est vel esse potest productio ex nihilo sub quo res potuerit esse: ergo per ly producere ex nihilo sub quo res potuerit esse, sufficienter distinguitur creatio ab omni actione quæ non est creatio. *Major* conceditur & per se patet. *Probatur Minor*, & quidem primò quoad processionem in divinis: producere ex nihilo, sub quo res potuit esse, est producere rem potentem esse sub nihilo, sed processio divina non est nec esse potest productio potentis esse sub nihilo, ut per se patet: ergo non est processio in divinis, nec esse potest productio rei ex nihilo, sub quo potuerit esse. Jam verò,

Probatur eadem minor, quoad alteram partem, seu quantum ad generationem in creatis Productio ex nihilo sub quo potuit esse, potest esse productio rei ex nihilo sub quo fuit: sed non potest generatio in creatis esse productio rei ex nihilo sub quo fuit; cū sit essentialiter eductio rei ex subjecto, in quo potentialiter præexistebat: ergo non est nec esse potest generatio in creatis, sicut nec processio in divinis productio rei ex nihilo sub quo potuit esse: ergo per ly producere ex nihilo sub quo res potuit esse, distinguitur creatio ab omni actione quæ nō est creatio: ergo non exigit creatio essentialiter producere ex nihilo sub quo res fuerit, sed solum sub quo potuerit esse: ergo hoc ipso quod rei ab æterno productæ non repugnat potuisse esse sub nihilo, sed solum sub nihilo fuisse (quod est primum præmissum principium) nec etiam repugnat ex parte creationis, produci mundum ab æterno.

Probatur secunda pars conclusionis ex secundo præmisso principio: *salvatur conceptus creaturæ per esse ens ab alio cum dependentia*: ergo non implicat ex parte creaturæ, quod sit æterna, sive ab æterno producta. *Probatur consequentia*, potest creatura esse æterna, & tamen esse ab alio cum dependentia: ergo hoc ipso quod salvatur conceptus creaturæ per esse ens ab alio cum dependentia, hoc ipso etiam stare potest conceptus creaturæ cum hoc, quod sit æterna; seu, quod in idem redit, ex parte conceptus creaturæ non implicat, quod sit æterna. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, creaturam esse æternam est, creaturam esse, nec habere initium durationis: sed potest ab alio cum dependentia, nec tamen habere initium durationis: ergo & potest creatura esse ens ab alio cum dependentia, & simul æterna. *Major* est evidens. *Probatur Minor*, habere naturam aliquam principium originis seu causalitatis, est esse ens ab alio cum dependentia: sed potest natura aliqua principium habere originis sive causalitatis, nec tamen habere principium sive initium durationis; tum quia aliàs ex prioritate in natura colligeretur prioritas in duratione, quod est falsissimum, ut conceditur; tum quia si sol, ut notat D. Augustinus, esset ab æterno, verè haberet lux solis principium originis sive causalitatis, nec tamen haberet principium sive initium durationis: ergo potest aliquid esse ens ab alio cum dependentia, nec tamen habere initium durationis: ergo potest aliquid esse ens ab alio cum dependentia, & tamen adhuc esse æternum: ergo hoc ipso quod salvatur conceptus creaturæ per esse ens ab alio cum dependentia [quod est secundum præmissum principium] stat hoc ipso con-

conceptus creaturæ cum hoc quod sit æterna; seu, quod in idem redit, non implicat ex parte creaturæ quod sit æterna.

Probatur tertia pars conclusionis ex tertio præmisso principio: *virtus creativa competit Deo ab æterno*: ergo non implicat ex parte Dei creantis produci mundum ab æterno. *Probatur consequentia*, implicare aliquid ex parte Dei creantis est implicare ratione applicationis virtutis creativæ Dei: sed hoc ipso quod creativa virtus Deo competit ab æterno, implicare non potest applicatio creativæ virtutis pro æterno: ergo hoc ipso quod virtus creativa Deo competit ab æterno, implicare non potest ex parte Dei creantis produci mundum ab æterno. *Major* est certa; implicare namque effectum ex parte efficientis causæ, est implicare vel ex defectu virtutis in causa, vel ex implicantia applicationis talis virtutis, unde cum non possit aliquid implicare ex parte Dei creantis ex defectu virtutis, utpote quæ supponitur in Deo ab æterno, non potest consequenter ex parte ipsius implicare, nisi ratione applicationis talis virtutis, quæ quidem applicatio adhuc se tenet ex parte ipsius Dei. *Probatur Minor*, si virtus quæ ab æterno est, esset inapplicabilis pro æterno, esset inapplicabilis pro illo tunc pro quo est virtus: ideo non potest virtus esse inapplicabilis pro illo tunc pro quo est virtus: ergo hoc ipso quod ab æterno supponitur creativa virtus, implicare non potest applicatio ipsius pro æterno. *Major* est evidens. *Probatur Minor*, & quidem eodem medio aliter & aliter proposito. Primò, non potest virtus non aliter se habere ad applicationem pro illo tunc, pro quo est virtus, quam pro illo pro quo non est: sed taliter se habet pro illo tunc pro quo nondum est virtus, ut sit inapplicabilis, ut per se patet: ergo non potest virtus esse inapplicabilis pro illo tunc, pro quo est virtus. Secundò, quando negatio est causa & ratio negationis, affirmatio est causa & ratio affirmationis: ut patet inductione: sed quia pro aliquo tunc non est virtus, est causa & ratio negationis seu implicantiæ applicationis ipsius pro tali tunc; ergo & quod pro aliquo tunc sit virtus, esse debet ratio & causa ipsius applicabilitatis pro tali tunc: ergo non potest virtus esse inapplicabilis pro illo tunc pro quo est virtus: ergo hoc ipso quod ab æterno est creativa virtus, implicare non potest applicatio ipsius pro æterno: ergo hoc ipso quod virtus creativa competit Deo ab æterno (quod est tertium præmissum principium) implicare non potest ex parte Dei creantis produci mundum ab æterno.

Solvuntur objectiones.

Objicies, Et primò quidem ex parte creationis: quod petit essentialiter habere aliquid se prius, etiam in genere durationis, illud esse non potest ab æterno: sed terminus creationis petit essentialiter habere aliquid se prius, etiam in genere durationis: ergo impossibile est quod aliquid, hoc ipso quod est creationis terminus sit ab æterno. *Major* per se patet; cum id quod ita habet prius, incipiat, seu inde initium habeat durationis, id autem quod est æternum, non incipiat. *Probatur Minor*, quod transit de non esse ad esse, illud habet aliquid se prius, etiam in genere durationis: sed terminus creationis petit essentialiter transire de non esse ad esse: ergo creationis terminus petit essentialiter habere aliquid prius se, etiam in genere durationis. *Major* est certa, cum terminus à quo præcedat semper terminum ad quem; *Probatur Minor*, quod de se & essentialiter est non ens, non potest, ad hoc ut sit, non petere essentialiter transire de non esse ad esse: sed ipse creationis terminus est de se & essentialiter non ens; cum non sit ens nisi ab alio: ergo creationis terminus petit essentialiter transire de non esse ad esse.

Respondeo Negando Minorem: ut enim nuper dicebamus, petit tantum creatio essentialiter, quod sit productio rei ex nihilo, *sub quo* res potuerit esse, non autem *sub quo* res fuerit; atque ita cum id quod nusquam fuit sub nihilo, semper fuerit, & consequenter non cognoscat aliquid prius se in genere durationis, falsum est per consequens quod terminus creationis petat essentialiter habere aliquid se prius in genere durationis. Unde ad probationem nego absolutè majorem, aut claritatis gratia distinguo sic: si transeat de non esse sub quo fuerit Concedo, quod tunc habeat ejus *esse* aliquid prius: si autem transeat de non esse, non sub quo fuerit, sed sub quo solum potuerit esse nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Non igitur omnis transitus de non esse ad esse arguit prioritatem aliquam de genere durationis in non esse respectu illius, quod transit ad esse, quod quidem ostendo ego exemplo irrefragabili. Quæro namque ab adversariis, num illud omne quod est futurum transeat à non esse futurum ad esse futurum; cum nullum ex his, quæ futura sunt, sit de se & essentialiter futurum, sicut nullum ex his quæ sunt de se & essentialiter est, ex quo fit, inquiunt, quod transeat de non esse ad esse: sed sic est, quod quamvis omne futurum transeat de non esse futurum ad esse futurum,

Nota.

Nota.

non

non propterea ly futurum agnoscit ly non futurum tanquam aliquid prius se in genere durationis, cum omne futurum sit ab æterno futurum, ex eo scilicet quod ab æterno habetur determinatio in causâ primâ ad dandam ei existentiam in tempore: ergo & potest aliquid absolutè loquendo transire de non esse ad esse, absque eo quod non esse præcedat in genere durationis ipsum esse.

Instabis: ideò ergo non petit essentialiter creationis terminus habere prius in genere durationis; quia non petit essentialiter transire de non esse *sub quo* fuerit: sed falsum est, quod non petat essentialiter transire de non esse *sub quo* fuerit: ergo & falsum est, quod non petat essentialiter habere prius. *Probatur minor*, creationis terminus est de se & essentialiter non ens: sed non potest non fuisse sub eo quod est essentialiter: ergo non potest creationis terminus non transire de non esse sub quo fuerit; seu non fuisse sub non ente.

Respondeo negando minorem: sicut enim se habet non futurum ad illud quod transit ad esse futurum, ita & potest se habere ly non esse ad illud quod transit ad esse; cum in utroque debeat verificari transitus: sed ut verificetur transitus alicujus de non futuro ad esse futurum, non propterea requiritur quod prius fuerit sub non futuro, quam sub futuro, ut supra ostendimus, sed sufficienter intelligitur transitus ille, per hoc præcisè quod potuerit non esse futurum, seu per hoc quod accipiat esse futurum, cum potuerit non esse futurum; ex eo scilicet quod tunc intelligitur quasi exire extra se, seu extrahi ad statum quem non habet ex se, accipiendo scilicet esse futurum, quod non habet ex se cùm potuerit non esse futurum; ergo & ut verificetur, transire creationis terminum de non esse, non propterea requiri debet, quod transeat de non esse sub quo fuerit, sed solum sub quo potuerit esse; cum hoc ipso verificetur, quod exit aut quasi exit tale quid extra se, seu quod extrahitur ad statum quem non habet ex se, accipiendo scilicet *esse*, quod ex se non habet, cum potuerit esse sub non esse. *Nota.*

Unde ad probationem Distinguo majorem: creationis terminus est de se & essentialiter non ens loquendo in sensu negativo ita quod sensus sit: non est de se & essentialiter ens Concedo: loquendo in sensu positivo, ita quod sensus sit: creationis terminus est de se & essentialiter sub non ente, Nego majorem; & concessâ minori nego consequentiam, utpote quæ ita absolutè prolata procedit de non ente sumpto in sensu positivo. In hoc ergo falluntur & fallunt adversarii, quod putent,

Nota. creationis terminum esse de se & essentialiter non ens, loquendo in sensu positivo, quasi de se & essentialiter sit sub non ente, quod est falsissimum, aliàs nunquam poni posset sub ente, cum nihil possit poni sub opposito illius quod de illo essentialiter prædicatur in sensu positivo, ut patet ex inductione facta per omnia rerum genera: non igitur creationis terminus est de se & essentialiter non ens, quasi de se & essentialiter sit sub non ente, sed in sensu præcisè negativo, ita quod non sit ens de se & essentialiter: jam sic est, quod ut verificetur quod terminus creationis non est ens de se & essentialiter, non propterea requiritur, *Nota.* quod fuerit sub non ente, cum verificetur quod non est ens de se & essentialiter per hoc præcisè quod esse quod semper habuit, habuit ab alio, ad quod verificandum non opus est quod fuerit sub non ente, ut per se patet: non ergo ex eo quod creationis terminus non est de se & essentialiter ens, sequitur propterea quod fuerit sub non ente, seu quod transire debeat à non esse, sub quo fuerit.

Vrgebis: quomodo transit annihilatio essentialiter ab esse ad non esse sic & creatio transire debet à non esse ad esse: sed transit annihilatio ab esse, quod fuit ad non esse: ergo & transire debet creatio à non esse, quod fuit ad esse.

Respondeo negando majorem, seu majoris paritatem: ideò namque annihilatio transit essentialiter ab esse quod fuit ad non esse, quia id quod annihilatur est esse; & quidem *esse* quod fuit, non autem esse possibile, cum esse possibile inquantum tale jam supponatur nihilum subindeque annihilari nonpossit: at vero in creatione id quod creatur non est *non esse*, quin imò est ipsum esse quod creatur, ut per se patet: non ergo sequitur, quod sicut annihilatio supponit essentialiter esse quod fuit, ita & creatio supponere debeat non esse, sub quo creationis terminus non fuerit; cum non transeat creatio à non esse tanquam ab eo quod creatur, transeat verò annihilatio ab esse quod fuit tanquam ab eo quod annihilatur; quod si ulterius quæras, qua ratione dicantur creatio & annihilatio se habere modo oppositi, si utraque attingit esse, sive si & id quod creatur est esse, & id quod annihilatur est esse: ad hoc respondeo, adhuc differre in attingendo esse, quod attingit creatio esse *ut fit*; attingit verò annihilatio esse *ut non sit*.

Vrgebis iterum: creatio non tantum differt essentialiter ab annihilatione sed etiam à conservatione: sed sic est, quod si non transiret à non esse quod fuit ad esse, non differret à conservatione; cum non differat à conservatione, nisi quia est

pro-

productio rei cum novitate essendi, ad quod requiritur, fuisse productum terminum sub non esse: ergo debet creatio transire à non esse quod fuit ad esse, sicut & annihilatio ab esse quod fuit ad non esse.

Respondeo negando majorem: non enim differt creatio à conservatione essentialiter, sed accidentaliter solum, proindeque poni potest & supponi creatio quædam, quæ sit à conservatione omninò indistincta, cum accidentia sive accidentalia adesse possint & abesse sine rei destructione. Quod autem non essentialiter sed contingenter solùm differat creatio à conservatione adeo ut dari possit creatio quæ sit etiam conservatio; & conservatio, quæ sit creatio, ex eo colligo, quod creatio ex ratione suæ essentiali dicit & petit solùm, quod sit productio ex nihilo, sub quo res potuerit esse, cum per hoc præcisè, ut nuper dicebamus, distinguatur creatio ab omni aliâ actione, quæ non est creatio: atqui ut sit talis productio, indifferenter se habet, quod producatur res cum novitate essendi, aut sine tali novitate; cum novitas essendi requiratur solùm ad illud, quod producitur ex nihilo sub quo fuit, non autem sub quo solum potuit esse: ergo ad rationem essentialem creationis indifferenter se habet & merè accidentaliter, quod rem producat cum novitate essendi, aut sine tali novitate, sive quod sit prima & inceptiva illius productio, aut productio illius continuata: sed sic est quod ex hoc tantum capite deduci solet & assignari differentia creationis à conservatione, in eo scilicet quod creatio est productio rei prima & inceptiva, sive cum novitate essendi, cùm conservatio è contra præsupponat rem in esse, & sit continuata productio: ergo non differt essentialiter creatio à conservatione. Sed accidentaliter solum; proindeque creatio illa rei alicujus ab æterno, quamvis esset conservatio seu semper continuata productio, adhuc tamen esset essentialiter creatio, cum adhuc verificaretur, quod esset productio rei ex nihilo, sub quo res potuit esse. *Nota.*

Objicies secundò, contra secundam partem conclusionis: inter entia producta permanentia dantur corruptibilia, sed repugnat corruptibilia produci ab æterno: ergo ex parte entis permanentis producti repugnat productio sive creatio ab æterno. *Probatur minor*, entia corruptibilia finitam tantum & limitatam exigunt durationem: sed si essent ab æterno producta, non finitam sed infinitam exigerent durationem: ergo repugnat corruptibilia esse producta ab æterno. *Probatur minor*: quæ non possunt desinere, quin jam transierit infinita duratio, ea

non possunt non durare duratione infinita: sed talia corruptibilia ita ab æterno producta desinere non possunt, quin transisset jam infinita duratio: ut conceditur & per se patet: ergo si essent corruptibilia ab æterno, infinitam exigerent durationem.

Respondeo distinguendo minorem: sed non possunt corruptibilia esse ab æterno producta, loquendo de productione, quæ fiat conformiter ad eorum exigentiam & naturam, Concedo; loquendo de productione quæ de illis potest fieri absolutè Nego minorem & consequentiam. Verùm ergo, non potuisse entia corruptibilia produci ab æterno, & simul produci conformiter ad sui exigentiam & naturam; quia, ut benè probat argumentum, connaturaliter exigunt omnes res corruptibiles finitam & limitatam durationem; cum tamen infinitam haberent si essent ab æterno producta, ex eo scilicet quod quandocumque fuissent hujusmodi corruptibilia à Deo producta, jam ab æterno usque ad illud tunc in quo desinerent transisset infinita duratio: nihilominùs id non impedit, quo minus absolutè, licet non conformiter suæ naturæ fuerint ab æterno producta, cujus ratio est, quia licet res corruptibiles connaturaliter exigant durationem finitam: sicut tamen hoc non obstante eis non repugnat, à Deo per infinitam durationem conservari à parte post ita nec repugnare debet, conservari per infinitam durationem à parte ante. *Nota.*

Instabis: si possent absolutè produci res corruptibiles ab æterno, possent produci & homines: sed non possunt homines etiam absolutè loquendo produci ab æterno: ergo neque res corruptibiles. *Major* per se patet; cum sit homo constans ex contrariis, subindeque & corruptibilis. *Probatur minor*: non potest enim absolutè dari infinitum in actu; sed si essent homines ab æterno, daretur jam infinitum in actu: ergo non possunt homines etiam absolutè loquendo produci ab æterno. *Probatur minor*, si essent homines ab æterno, transissent jam infinitæ generationes: ergo jam fuissent infusæ infinitæ animæ: sed quævis infusa anima adhuc esset in actu; cùm sit ex sua natura incorruptibilis & immortalis: ergo si essent homines ab æterno, daretur jam infinitum in actu.

Respondeo negando minorem; ad cujus probationem distinguo minorem: sed si essent homines ab æterno, daretur jam infinitum in actu, si essent modo connaturali, seu mediis generationibus propagati Concedo: si essent absolutè, seu uno aliquo ex modis, quo esse possunt, Nego: licet igitur non possint homines produci ab æterno modo sibi connaturali & conformiter suæ natu-

naturæ, sive mediis generationibus ; & hoc maximè, quia si per generationes ab æterno propagarentur homines, qualibet durationè signata, infinitæ præteriissent hominum generationes, etiamsi illæ non contingerent nisi per annum aut per mille annos una post aliam; propterea quod ab æterno usque ad quamlibet durationem signatam infinities infinita millia annorum trãsissent; ac proinde cum ex quavis generatione aliquid remansisset in actu, puta anima geniti quæ est immortalis, relinqueretur per consequens infinitum animarum in actu, quod est impossibile: licet, inquam, non possint homines ab æterno produci tali modo sibi connaturali, ut scilicet mediis generationibus propagarentur, adhuc tamen possent absolutè produci ab æterno, qui scilicet adhuc posset homines aliquos in quodam determinato numero creare & formare ab æterno, absque eo quod oporteret, ipsos per generationes propagari, absolutè igitur, licet non conformiter ad exigentiam suæ naturæ, potuere tam homines quam aliæ res corruptibiles esse & produci ab æterno.

Objicies tertiò, contra tertiam partem conclusionis: ideo non implicat ex parte Dei creantis ; produci mundum ab æterno, quia ab æterno est in Deo creativa virtus, subindeque & applicabilis pro æterno: atqui fieri potest, quod sit ab æterno creativa virtus, nec tamen sit applicabilis pro æterno: ergo insufficiens est ratio illa, qua scilicet probatum fuit, non implicare ex parte Dei creantis produci mundum ab æterno. *Probatur minor*, facto decreto de non creandis aliis mundis, est adhuc in Deo creativa virtus ad illos: sed tali supposito decreto non est applicabilis talis virtus: ergo supponi potest creativa virtus pro aliquo *tunc*, absque eo quod sit applicabilis pro tali *tunc*.

Respondeo distinguendo minorem: atqui fieri potest, quod sit ab æterno creativa virtus, nec tamen sit applicabilis pro æterno, loquendo ex aliqua suppositione liberè facta Concedo: nec tamen sit applicabilis pro æterno, loquendo absolutè Nego. Verum ergo, fieri posse, quod sit pro aliquo tunc aliqua virtus, quæ tamen ex suppositione aliqua facta non possit applicari pro illo tunc ; sicut me sedente est adhuc virtus ad deambulandum, quam tamen in tali suppositione & reduplicationa sessionis implicat esse applicatam ; attamen quia quod in tali suppositione adhuc sit virtus, quamvis esse non possit applicata, hoc ideo est, quia absolutè loquendo fieri potest, quod non sit talis suppositio, subindeque & absolutè loquendo est adhuc applicabilis pro illo tunc, consequenter fit quod omnis virtus, quæ est completa pro aliquo tunc, debet saltem *absolutè loquendo* esse ap- Nota.

applicabilis pro tali tunc: sed sic est, quod si absolutè implicaret ex parte Dei creantis, quod mundus produceretur ab æterno, tunc virtus ejus creativa non esset applicabilis etiam *absolutè loquendo* pro tali tunc pro quo esset virtus, & quidem completa & sufficientissima, cum supponeretur completa ab æterno, & nihilominus esset *absolutè* impossibile, quod pro æterno applicaretur: ergo ex eo quod est in Deo creativa virtus ab æterno, verè deductum fuit & sufficientissimè probatum, quod sit applicabilis pro æterno, subindeque & quod potuerit mundus produci ab æterno.

Instabis: dato quod posset Deus solum producere in tempore, etiam absolutè loquendo, adhuc haberet creativam virtutem ab æterno: ergo ex eo quod est in Deo ab æterno creativa virtus, non sufficienter colligitur, posse applicari ad producendum pro æterno. *Probatur antecedens:* verificari nequit esse Deum ab æterno potentem ut producat in tempore, quin sit ab æterno in Deo productiva virtus: sed dato, quod solum posset Deus producere in tempore, adhuc verificaretur, quod esset ab æterno potens, ut produceret in tempore, ut per se patet: ergo ho. dato, quod posset solum Deus producere in tempore, adhuc haberet creativam virtutem ab æterno.

Respondeo negando antecedens, cujus quidem falsitas, præter quam quod ex dictis supra sufficienter colligitur, ex eo ulterius ostenditur, quod non est minus Deus potens, nec minoris virtutis in ratione agentis liberè, quam si ageret ex necessitate naturæ, ut conceditur & per se patet: sed si ageret Deus ex necessitate naturæ, & solum producere posset in tempore, colligeretur tunc, non esse in eo ab æterno virtutem, quamvis de illo diceretur ab æterno, quod posset producere in tempore; ergo semel admisso, quod posset Deus solum producere in tempore absolutè loquendo, non esset hoc ipso in Deo creativa virtus ab æterno; cum sicut agens ex necessitate naturæ agit ubi primum, & hoc ipso quod habet virtutem & potentiam agendi, ita & agens liberum possit, quandocumque voluerit, se applicare ad agendum, dummodo habeat virtutem sufficientem ad agendum. *Nota.*

Unde ad probationem distinguo majorem: verificari nequit esse aliquem ab æterno potentem ut producat in tempore, quin sit ab æterno in ipso productiva virtus, si quod producat in tempore hoc ex ejus proveniat libertate Concedo, quod hoc ipso sit tunc in eo ab æterno productiva virtus: si verò quod producat in tempore, hoc non ex libertate proveniat, sed potius ex impotentia ad producendum ab æterno, nego majorem, quod

scili-

scilicet hoc ipso quod de illo verificatur, quod est ab æterno potens ut producat in tempore, sit propterea in ipso ab æterno productiva & completa virtus, intellige *in actu & actualiter*, ut supponitur esse in Deo, cujus ratio est, quia ut supra dicebamus agens liberum, de quo est in præsenti sermo, potest quandocumque voluerit agere, dum modo habeat virtutem sufficientem ad agendum: sed ille qui ita esset ab æterno potens ut produceret in tempore, non ex libertate, sed potius ex necessitate & impotentia ad producendum ab æterno, non haberet quod posset agere ab æterno aut pro æterno, quantum vis vellet agere ab æterno & pro æterno: ergo non haberet ille ab æterno virtutem sufficientem ad agendum, loquendo in actu & actualiter, sed solum in potentia & ad modum receptivi, quatenus ab æterno haberet, quod posset in tempore recipere virtutem productivam, quo modo esse non potest nec supponi virtus productiva in Deo. *Nota.*

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo, favere omnino S. Doctorem præfatæ nostræ conclusioni, quod imprimis colligo ex his quæ habet *in opusc. 27.* paulo post medium, ubi dicit, *non repugnare, si ponatur causa producens effectum suum subito, quod non præcedat duratione suum causatum*: sed sic est, quod Deus est taliter causa, respectu entium permanentium quæ causat, ea scilicet producens subitò: ergo ex Divo Thoma non repugnat, quod non præcedat Deus duratione entia quæ causat permanentia; proindeque & quod talia entia ei ab æterno coexistant.

Secundò, hoc idem colligo ex his quæ habet *quæst. 3. de potentia, art. 14. ad 8.* ubi docet de ratione creationis solum esse principium habere originis & causalitatis, non autem principium inceptionis in duratione: sed sic est quod si produceretur mundus ab æterno, haberetur adhuc respectu illius principium originis causalitatis; si autem ab æterno creari non posset, tunc ipsius creatio non posset non habere principium inceptionis in duratione, ut per se patet: ergo ex D. Thoma non repugnat creari mundum ab æterno.

Tertiò, demum id colligo *ex 1. parte, quæstione 46. art. 1. ad primum*, & *ex 2. contra gentes, cap 38.* tum *ex quæstione tertia, de potentia, art. 14.* ubi rationes in contrarium solvit.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Vtrum potuerit Mundus esse ab æterno secundum entia successiva.

PRæmittendum primo, pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque vim habitura principii, puta quod *impossibile est, quod unus numero motus sit ab æterno:* Quod *impossibile est quod finiti numero motus sint ab æterno.* Quod *impossibile est, quod æternum seu id quod ab æterno est præcedatur ab alio duratione.* Primò quidem impossibile est, quod unus numero motus sit ab æterno, cujus ratio est quia hic numero motus ita constat priori & posteriori, ut posterius statim sequatur ad prius: sed sic est quod si hic numero motus esset ab æterno, id quod in illo esset prius, durasset per totam æternitatem antequam advenisset posterius; cum posterius non esset ab æterno, utpote habens aliquid prius in duratione, bene tamen prius, & inter id quod est æternum, & id quod ab æterno non est, mediet æterna & infinita duratio: ergo verissima est prima illa propositio, puta, quod impossibile est, quod unus numero motus sit ab æterno, sive quod entia successiva sint ab æterno secundum unum numero determinatum motum.

Quantum vero ad secundum, nimirum quod impossibile sit, quod præteriti motus numero finiti sint ab æterno; Ratio hujus est, quia sicut se habent motus futuri ad esse in æternum, sive ad hoc ut extendantur per æternitatem à parte post, ita & motus præteriti ad hoc ut fuerint ab æterno, seu per æternitatem extensi à parte ante: sed sic est quod motus futuri, qui essent numero finiti, durare non possent in æternum, seu per totam æternitatem extendi à parte post, cum hoc ipso quod essent finiti, deveniretur tandem ad ultimum; ergo nec præteriti motus, qui essent numero finiti esse possunt ab æterno. Denique quod æternum, seu id quod ab æterno est, præcedi non possit ab alio in duratione, quod est tertium præmissum principium, ex eo evidenter patet quod esse ab æterno idem est, ac semper fuisse: atqui si id, quod ab æterno est, præcederetur ab alio in duratione, tale quid non semper fuisset, cum daretur tunc signum aliquod durationis, illud scilicet in quo præcederetur, in quo non fuisset: ergo impossibile est, quod id quod ab æterno est

præ-

præcederetur ab alio priorítate durationis. His ergo tribus præmissis tanquam certis, & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione, & conclusionis ad eadem principia reductione sit.

CONCLUSIO : *Non potuit mundus esse ab æterno quantum ad entia successiva: sive repugnat motui, & unicuique creaturæ sub motu fuisse ab æterno.*

Probatur 1. ex primo præmisso principio: *Impossibile est, quod unus numero motus sit ab æterno*: ergo non potuit mundus esse ab æterno quantum ad entia successiva, sive quantum ad successionem motuum. *Probatur consequentia*, non potest dari ab æterno successio motuum, quin detur hoc ipso unus ex illis, qui sit ab æterno: ergo hoc ipso quod impossibile est, quod unus numero motus sit ab æterno, nec potuit hoc ipso fuisse mundus ab æterno quoad successionem motuum: *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, hoc ipso quod in tali successione motuum daretur unus, à quo hodiernus motus distaret infinitè, daretur hoc ipso unus ex illis qui esset ab æterno : sed si esset successio motuum ab æterno, daretur hoc ipso unus ex illis, à quo hodiernus motus distaret infinitè: ergo & daretur hoc ipso unus ex illis, qui esset ab æterno. *Major* est evidens; ille enim motus, à quo hodiernus distaret infinitè, hodiernum consequenter præcederet durátione infinita, quæ quidem æterna est & ab æterno; cum dari non possit duratio major, quam sit infinita. *Probatur Minor*, quanto plures præcesserunt motus ab hodierno, tanto major est distantia alicujus illorum ab hodierno, ut per se patet: sed si esset successio motuum ab æterno, præcessissent ab hodierno infiniti motus: ergo si esset successio motuum ab æterno, esset hoc ipso unus ex illis, à quo hodiernus distaret infinitè: ergo si esset successio motuum ab æterno, esset hoc ipso unus ex illis, qui hodiernum præcederet durátione infinita: ergo si esset successio motuum ab æterno, esset hoc ipso unus ex illis, qui esset ab æterno: ergo hoc ipso quod impossibile est, quod unus numero motus sit ab æterno [quod est primum præmissum principium] non potuit hoc ipso mundus esse ab æterno quoad successionem motuum, sive quantum ad entia successiva.

Probatur 2. ex secundo præmisso principio: *Impossibile est, quod præteriti motus finiti tantũ numero sint ab æterno*: ergo non potuit mundus esse ab æterno quantum ad successionem motuum, puta quantum ad circulationes cæli. *Probatur consequentia*, motus præteriti cujuscumq; successionis esse tantum possunt finiti numero: ergo hoc ipso quod præteriti motus finiti numero esse non possunt ab æterno, nec potuit hoc ipso mundus esse ab æter-

no

Nota seriò.

no quoad successionem motuum. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, non potest in successione illa præteritorum motuum dari primus & ultimus, & non esse finiti numero motus: sed in omni successione præteritorum motuum, quæcumque & quantacumque illa sit, datur & dari debet primus motus: ergo in omni successione præteritorum motuum, esse tantum possunt motus finiti numero. *Major* est evidens; in quibuscumque enim datur primum & ultimum, illa finita sunt, nec nisi finita esse possunt. *Probatur Minor*, quod necessarium esset ponere in futuris motibus, si deveniretur ad hoc quod essent præteriti, illud idem necessarium est ponere in jam præteritis; ut ex terminis patet: sed in futuris motibus omnis & cujuscumque successionis, si deveniretur ad hoc, ut essent omnes præteriti unus post alium, daretur in illis primus & ultimus, ut per se patet: ergo hoc ipso quod præteriti motus sunt præteriti successivè, seu unus post alium, dari debet in illis primus & ultimus: ergo in omni successione præteritorum motuum quæcumque & quantacumque illa sit, datur & dari debet primus & ultimus: ergo in omni successione præteritorum motuum, sunt tantum finiti numero motus: ergo hoc ipso quod impossibile est, quod præteriti motus finiti tantum numero sint ab æterno (quod est secundum præmissum principium) non potuit hoc ipso mundus esse ab æterno quantum ad successionem motuum, sive quoad entia successiva.

Probatur 3. ex tertio præmisso principio: *Impossibile est, quod id, quod ab æterno est præcedatur ab alio duratione*: ergo non potuit mundus esse ab æterno quoad successionem motuum, præsertim generationum. *Probatur consequentia*, si essent generationes ab æterno, præcederentur à generante duratione: ergo hoc ipso quod id, quod nequit id quod ab æterno est præcedi ab alio duratione, non potuit hoc ipso mundus fuisse ab æterno quoad successionem generationum. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, casu quo essent generationes illæ æternæ ex mari & fœmina creatis ab æterno perfectis in virtute generativa, præcederentur in tali casu etiam duratione à generante: sed si essent genetationes ab æterno possibiles, essent ita & taliter possibiles: ergo si essent generationes ab æterno, præcederentur in duratione à generante. *Minor* est certa, ut patebit ex notandis infra post finem probationis. *Probatur Maior*, præcederent mas ille & illa fœmina generationes duratione, si prius fuissent etiã prioritate durationis, quã genuissent; sed mas ille & fœmina ista ab æterno perfecti in virtute generativa prius fuis-

sent

sent quam generassent: ergo casu quo essent generationes illæ æternæ ex mari & fœmina ab æterno perfectis ad generandum, præcederentur in tali casu etiam durationem à generante. *Probatur minor*, agens per motum præexistit termino motus non solum naturæ sed durationis: sed mas ille & fœmina agerent per alterationis motum, & extra secus terminus talis motus est generatio: ergo mas ille & fœmina necessario præexisterent omni & cuilibet generationi etiam durationis: ergo casu quo essent generationes illæ ex mari & fœmina creatis ab æterno perfectis ad generandum, præcederentur in tali casu etiam durationem à generante: ergo hoc ipso quod impossibile est, quod id quod est ab æterno præcedatur ab alio in duratione [quod est tertium præmissum principium] non possunt generationes esse ita & taliter ab æterno, ex mari scilicet & fœmina ita ab æterno creatis, hæc consequenter esse absolutè possibiles ab æterno.

Notabis autem ad complementum probationis, suppositam fuisse in tertio argumento minorem illam tanquam certam, quod scilicet si essent generationes ab æterno possibiles, adeo ut extenderetur series sive successio generationum per totam æternitatem ex parte ante, quod essent hoc ipso ita & taliter possibiles, ut scilicet ortum haberent ex mari & fœmina creatis ab æterno perfectis in virtute generativa; cujus ratio est, quia duobus tantùm modis imaginari potest series illa seu successio generationum ab æterno, puta vel modo jam exposito, ponendo scilicet marem & fœminam creatos ab æterno perfectos in virtute generativa, ex quibus ortum haberent generationes omnes & singulæ; vel ponendo fuisse omnes homines genitos, quemlibet ab alio priore & sic semper, ita ut non esset devenire ad aliquem creatum & non genitum: sed sic est, quod si hoc secundo modo possibilis esset successio generationum ab æterno, esset etiam possibilis primo modo; cum mas ille & fœmina ita ab æterno creati perfecti ad generandum coextitissent cuilibet homini genito alio modo, proindeque & secundum ipsos ita creatos ab æterno potuisset generatio fuisse, quandocumque potuit fuisse secundum alios: ergo vera est illa minor, quod scilicet si essent generationes ab æterno possibiles, essent etiam possibiles modo illo exposito, ita quod ex mari & fœmina creatis ab æterno perfectis in virtute generativa ortum haberet ab æterno; sicque hoc ipso quod non sunt hoc modo possibiles ab æterno, ut ostensum fuit in probatione, nec sunt etiam hoc ipso absolutè possibiles ab æterno, ut dictum fuit in conclusione probationis.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1, fuisse mundum ab æterno secundum successionem

motuum, idem est, ac ante quemlibet motum, seu ante quamlibet partem motus fuisse aliam, & ante illam, aliam, absque eo quod unquam deveniatur ad primam: sed hoc non implicat: ergo nec implicat, fuisse mundum ab æterno secundum entia successiva, sive secundum successionem motuum, *Probatur minor*, quandocumque aliqua sunt ejusdem rationis, quod non repugnat uni, nec etiam potest repugnare alteri: sed partes motus sunt omnino ejusdem rationis, & huic vel illi parti non repugnat habuisse ante se aliam: ergo nec repugnat, quod ante quamlibet partem motus fuerit alia.

Respondeo ad hoc argumentum, quod est unicum adversariorum fundamentum, negando minorem, cujus quidem falsitas patet ex dictis supra in probationibus conclusionis. Ad probationem verò distinguo majorem: quandocumque aliqua sunt ejusdem rationis, quod non repugnat uni nec etiam repugnat alteri: loquendo de uno & de altero seorsim sumptis Concedo: loquendo de uno & de altero sumptis conjunctim Nego: & sub eadem distinctione minoris Nego consequentiam, vel distinguo similiter consequens; patet autem veritas hujus responsionis in hoc argumento; quod quidem retorqueo in adversarios. Etenim sicut non repugnat uni motui, vel uni parti motus habuisse alteram ante se, ita nec ei repugnat aliam habuisse post se, quia scilicet nulli repugnat secundum se aliam præcedere, & aliam sequi: sed sic est, quod quamvis huic vel illi, sive nulli repugnet secundum se aliâ sequi, est nihilominus impossibile quod omnes quæ possunt sequi sint se utæ, seu quod omnes, quæ possunt aliam habere post se, de facto habuerint, propter ea quod ly omnes accipiuntur *conjunctim*; cũ è contra ly hæc vel illa accipiantur divisim & seorsim: ergo & quamvis huic vel illi parti motus non repugnet aliam præcedere, seu non repugnet habuisse aliã ante se, est tamen impossibile, quod omnes quæ potuerunt præcedere præcesserint, seu quod omnes quæ possunt aliam habere ante se, habuerint ex eo scilicet quod ly *omnes* sumuntur *conjunctim*, cũ tamen ly *hæc vel illa* accipiantur & sumantur seorsim & divisim.

Instabis. quod est de ratione alicujus non potest ei non convenire sive seorsim sumpto, sive sumpto conjunctim cum aliis: sicut quia de ratione medii est, quod sit inter extrema, hoc etiam convenit omni medio sive seorsim sumpto, sive omnibus simul sumptis; sed est de ratione cujuslibet partis motus, v.g. cujuslibet circulationis cœli, quod ei non repugnet aliam habuisse ante se: ergo debet hoc ei convenire sive seorsim sumptæ, sive sumptæ conjunctim cum aliis.

Re-

Respondeo distinguendo majorem: quod est de ratione alicujus non potest ei non convenire sive seorsim sumpto, sive sumpto conjunctim cum aliis, si non procedat sermo de iis quæ accipiuntur successivè & ordine quodam, Concedo: si autem procedat sermo de iis quæ accipiuntur successivè, seu cum ordine unius ante aliud, vel unius post aliud, Nego majorem: procedit autem in præsenti sermo de iis quæ accipiuntur successivè & cum præfato ordine, cum sermo sit de partibus motus, puta de circulationibus & revolutionibus cœli, quarum una succedit alteri, eique successivè continuatur; atque ita quamvis uni vel alteri seorsim sumptæ non repugnet habuisse aliam ante se, hoc tamen omnibus simul & conjunctim sumptis repugnat; adeo ut falsum omnino sit, quod præcesserint omnes quæ potuere præcedere, sicut & falsum est, nec unquam verificari potest, quod secutæ sint omnes, quæ possunt sequi, quamvis uni vel alteri seorsim sumptæ non repugnet, aliam habuisse post se, quæ sic secuta. *Nota.*

Hujus autem fundamentalis ratio, quare scilicet in entibus quæ ita accipiuntur successivè & cum tali ordine, ea quæ sunt de ratione unius vel alterius seorsim sumpti, non propterea iisdem conveniant sumptis conjunctim, hujus, inquam, ratio est, quia hoc est peculiare in his, quæ accipiuntur successivè & ordine quodam, ut scilicet possit esse processus in infinitum *in accipiendo*, sed nunquam *in accepta esse*; neque in ante sumendo neque post: sed sic est, quod si id quod convenit uni vel alteri seorsim sumpto omnibus conveniret sumptis conjunctim, sicut est processus in infinitum *in accipiendo*, sic & esse posset processus ille *in accepta esse*; quandoquidem sicut non repugnaret, quod unum vel alterum habuisset aliud ante se quod præcessisset, ita nec repugnaret quod omnia aliud habuissent ante se, subindeque & omnia, & consequenter infinita quæ potuerunt præcedere præcessissent, atque ita esset quantum ad accepta processus in infinitum sicut & quantum ad accipienda, cum essent infinitæ acceptæ, sive quæ præcessissent: est ergo in entibus, quæ accipiuntur successivè & cum præfato ordine peculiaris ratio, ex qua scicet impeditur, ne id quod convenit uni vel alteri secundum se & seorsim sumpto, conveniat omnibus simul sumptis.

Vrgebis, ideo ergo repugnat, quod omnes partes motus aliam habuerint ante se quæ præcesserit, quia in entibus ita successivis repugnat processus in infinitū, quantū ad accepta sive in ante sumēdo, sive post: sed gratis & sine fundamento videtur asseri, repugnare in illis entibus processum in infinitū quoad accepta in ante sumendo: ergo nec debet asseri quod in entibus ita successivis

repugnet quod omnia entia, seu omnes motus conjunctim sumpti alium habuerint ante se, qui præcesserit, sive qui jam acceptus fuerit.

Respondeo negando minorem: ex eodem enim fundamento, ex quo probari solet, repugnare processum in infinitum in successione illa motuum v.g. revolutionum cœli à parte post, quantum ad accepta esse, seu quantum ad revolutiones quæ jam fuerint probatur similiter, & repugnare à parte ante, sive in ante sumendo. Etenim probare solent Philosophi, repugnare quod ex revolutionibus cœli v.g. accipiendis à parte post, infinitæ sint quæ secutæ fuerint, seu [quod in idem redit] omnes aliquando acceptæ sint, quia ex quo accipiuntur cum ordine, seu una post aliã, nõ possunt omnes esse acceptæ, quin hoc ipso sit una ultima claudens & includens omnes, quod quidem implicat in his quæ procedunt in infinitum: sed hæc eadem implicantia curritin revolutionibus accipiendis à parte ante, si omnes essent aliquando acceptæ; cum ex quo essent acceptæ cum præfato ordine, non possent omnes esse acceptæ, quin hoc ipso daretur una prima includens & claudens omnes alias; sicut in tota multitudine granorum acceptorum ordine quodam, ita quod unum fuerit acceptum ante aliud vel post aliud, & nullum aliter, necesse esset tunc dare aliquod primum granum ante quod nullum esset acceptũ; vel certè non omnia grana essent accepta, & hoc propter ordinem acceptionis unius post aliud vel ante aliud, ratione cujus ordinis unum includit & claudit aliud: Non ergo gratis & sine fundamento asseritur, repugnare in illis entibus quæ ita successivè & cum præfato ordine accipiuntur, repugnare inquam processum in infinitum quoad accepta esse, sive in ante sumendo, sive post; atque ita cum talis daretur processus in infinitum quoad accepta esse si omnes cælorum revolutiones verbi gratia, quæ potuerunt præcedere præcessissent; & omnes quæ potuerunt præcedere præcessissent, si ab æterno fluxissent, ex hoc etiam fundamento haberur non potuisse revolutiones cœli vel alios hujusmodi motus fluxisse ita successivè ab æterno.

Urgebis ultimo, si motus ille cœli non posset fuisse ab æterno, hoc esset propter impedimentum aliquod, quod esset vel ex parte moventis, vel ex parte mobilis, vel ex parte spatii: sed esse non potest impedimentum ex parte moventis, cum sit æternum, puta æternus Deus; nec ex parte mobilis; puta cœli, cum hoc possit esse æternum, ut ostensum fuit in quæstione præcedenti; neque etiam ex parte spatii, quasi oporteat dare signum aliquod à quo primo incipiat motus; cum motus cœli non sit

rectus

factus, sed circularis: ergo nihil impedit, quin motus ille cœli potuerit esse ab æterno.

Respondeo negando majorem: est enim aliud ex quo impeditur æternitas motus, ipsa scilicet natura motus, quæ quidem requirit ordinem partium, in quibus ita ordinatè acceptis necesse omnino est, dari primam & ultimam quantum ad accessos, ut ostensum fuit supra in superiori scilicet responsione, & in probando conclusionem; unde cum pugnet cum æternitate motus, quod habeant ejus partes acceptæ primam & ultimam, ex eo scilicet quod in quibuscumque est dare primum & ultimum illa sunt finita, ideo fit quod quamvis non impediatur æternitas revolutionum cœli ex parte moventis, vel ex parte mobilis, vel ex parte spatii, adhuc tamen sufficienter impediatur.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo, favere S. Doctorem præfatæ nostræ conclusioni, quod imprimis colligo cum Joanne à S. Thoma, ex his quæ habet *in Opusc.* 27. paulò ante medium, ubi ait: *Non repugnare si ponatur causa producens subito effectum suum, quod non præcedat duratione suum causatum; repugnare autem in causis producentibus effectum suum per motum, quia oportet quod principium motus præcedat finem ejus.* Hæc D. Thomas, ex quibus argumentor in primis sic.

Repugnat ex D. Thoma, produci ab æterno terminum aliquem, & produci per motum: ergo repugnat ex eodem quod terminus qui motum terminat sit ab æterno: sed mutatum esse est terminus motus: ergo repugnat ex D. Thoma dari ab æterno mutatum esse: sed impossibile est dari & reperiri motum sine mutato esse sicut & tempus sine instanti, & lineam sine puncto: ergo sentit S. Doctor, impossibile esse quod detur motus ab æterno.

Secundò, hoc idem colligo ex iis quæ docet 1. *part. quæst.* 46. *art.* 2. *ad sextum*, ubi sibi objecerat, quod si esset mundus [intelligeq; quoad permanentia] ab æterno essent transacti infiniti dies, ad quod respondet: *Quod qualiber circulatio transire potuit, quia finita fuit: in omnibus autem simul, si mundus semper fuisset, non esset accipere primam & ita nec transitum, qui semper exigit duo extrema.* Hæc D. Thomas, ex quibus sic arguere licet.

Fatetur D. Thomas, non posse esse transactas infinitas cœli circulationes collectivè, quia non est accipere primam: sed hoc est non dari motum ab æterno: ergo sentit D. Thomas, non

potuisse moveri cœlum ab æterno. *Probatur Minor*, hoc ipso quod circulatio illa, sub qua cœlum ab æterno creatum esset, infinita esset in duratione & permanentia, cœlum hoc ipso non esset successivè motum ab æterno, cum talis permanentia repugnet successioni: sed concedens D. Thomas non posse esse transactas infinitas cœli circulationes, quia non esset accipere primam concedit hoc ipso, circulationem sub qua cœlum creatum esset, infinitam esse in permanentia & duratione; cum illa caruisset principio, sive inceptione, aliàs esset prima, subindeq; productio illius ab æterno fuisset ejusdem conservatio per æternitatem: ergo hoc ipso quod fatetur S. Doctor non posse esse transactas infinitas cœli circulationes, quia non esset accipere primam, fatetur consequenter non potuisse ab æterno moveri cœlum quoad successionem variarum circulationum.

Tertiò, demum id colligo *ex 1. part. quæstione 46. art. 2.* ubi proponit sanctus Doctor argumentum contra seriem generationum hominum ab æterno, ex quo scilicet earum probat impossibilitatem, quia cum jam pertransiissent infinitæ generationes hominum, daretur infinitum animarum in actu, quod est & supponitur impossibile; cumque solutiones juxta diversos errores, mortalitatis videlicet animarum & transmigrationis animarum de uno corpore in aliud impugnasset: ipsum tamen argumentum insolutum relinquit, manifestè insinuans, illud convincere, impossibiles esse ab æterno hominum generationes. Ex quo argumentor sic.

Non minus sequitur aut sequi potest infinitum in actu ex generationibus aliorum entium, si essent ab æterno, quam ex generationibus hominum: sed quia ex generationibus hominum tale sequitur infinitum, sentiit D. Thomas impossibilem esse seriem generationum hominum ab æterno: ergo & idem sentire debuit de omnibus aliis generationibus & motibus. *Probatur Minor*, ideo ex generationibus hominum ab æterno sequeretur infinitum animarum in actu, quia infinitæ relinquerentur animæ in actu: sed genita per alias generationes etiam infinita essēt, ut supponitur, & possent sicut & animæ servari in actu: ergo non minus sequi potest infinitum in actu ex generationibus aliorum entium, si essent ab æterno, quam ex generationibus hominum.

Nota. *Probatur minor*, quæ rumq; sunt talia, quod nulli eorū repugnat esse; nec habent oppositionem ad invicem per quam uno posito destruatur aliud; nec habent successionis in esse necessarium ordinem, talia possunt servari & esse simul sicut & successivè: sed genita per generationes, sive sint generationes hominum, sive

leo-

leonum, sive aliorum, ita se habent, quod nulli eorum repugnat esse, ut patet; nec habent oppositionem ad invicem, per quam unum excludit aliud, ut similiter patet: nec habent successionis necessarium ordinem, ut etiam conceditur: ergo si essent generationes aliorum sicut & hominum ab æterno, & essent genitæ infinitæ, ut conceditur, & possent sicut & animæ simul esse in actu; quod cum neget D. Thomas, negat per consequens, posse seriem aliquam generationum sive hominum sive aliorum fuisse ab æterno.

Dices 1. quod afferens D. Thomas rationes eorum qui contra Aristotelem volunt demonstrare mundum esse ab æterno, solvit eas & ostendit non repugnare, quod mundus ab æterno fuerit: ergo in eo sensu admittit S. Doctor, esse mundum possibilem ab æterno, quo illum posuit Aristoteles: sed sic est quod posuit Aristoteles mundum cum motu ab æterno: ergo sentit Divus Thomas potuisse motum esse ab æterno.

Respondeo ipsum explicare D. Thomam 1. *part q. 46 art. 2. ad 8.* solum enim intendit potuisse mundum esse ab æterno secundum aliqua, non autem secundum omnia aut secundum statum quem nunc habet; unde & ibi concludit: *Nos autem intendimus universaliter, an aliqua creatura fuerit ab æterno.*

Dices 2. quod solvens S. Doctor *in quæst. 3. de potentiâ, art. 17.* unũ ex argumentis propositis, dicit, *Quod illa ratio non probat, quod motus semper fuerit, sed quod motus circularis possit semper esse*: Ergo agnovit ibi D. Thomas motum ab æterno possibilem.

Respondeo, quod ibi non loquitur S. Doctor assertivè, quod quidem colligo ex eo quod non dicat ibi, quod illa ratio illud efficaciter probat; quin imò oppositum dicat, subdit enim ibidem, *Quod ex Mathematicis non potest aliquid efficaciter concludi de motu*; atque ita cum præfata ratio ex qua dicit quod motus circularis potest semper esse, sit ratio procedens ex Mathematicis, evidenter sequitur, non ibi loqui S. Doctorem assertivè, cum illud dicat ob rationẽ, quam statim agnoscit inefficacẽ.

Dices 3 quod D. Thomas *quæst. 3. de potentia, art. 14. ad 9.* habet & asserit, non differre solum tempus & ævum ab æternitate, si essent ab æterno, quia carent principio durationis, sed quia admittunt successionem aliquam, qua caret æternitas: ergo admittit S. Doctor posse dari successionem ab æterno in illis durationibus, si fierent ab æterno

Respondeo negando consequentiam: admittunt enim tempus & ævum successionem formalem, vel virtualem, sed non pro-

omni statu, scilicet non pro illo signo quo carent initio durationis, ut si fierent ab æterno; unde non dicit ibi D. Thomas, quod successiva in hoc casu sunt ab æterno, *Sed etiamsi essent, adhuc haberent per quid differrent ab æternitate essentiali, quæ in nullo statu successionem admittit.*

Quares, an de facto fuerit mundus ab æterno.

Respondeo negativè: est enim articulus fidei, omnia à Deo in tempore producta fuisse & condita; quod quidem colligitur primo ex illo Geneseos *cap.* 1. ubi dicitur: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Licet enim triplicem habeat intelligentiam verbum illud: *In principio*, teste D. Thoma 1. *part. quæst.* 45. art 3. communior tamen est ea, juxta quam intelligitur initium temporis: Et ita D. vus Gregorius super Ezechielem *Homil.* 1. asserit: *Quod Moyses prophetavit de præterito*, dicens: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, in quo novitas mundi traditur. Item colligitur & ex illo Christi ad Deum Patrem Ioan. 17. *Clarifica me pater claritate quam habui priusquam mundus fieret* Licet autem hujus assignari non possit ratio, sed solum ex ipsis Scripturæ testimoniis colligi possit, ex eo scilicet quod productio mundi in tempore ex sola Dei voluntate dependet, ex quo fit, quod cum illius voluntas non nisi ex divinis Scripturis nobis innotescat, non nisi etiam ex sacris litteris desumi possit efficax hujus veritatis argumentum; Nihilominus possunt hujus assignari congruentiæ quædam; productio namque mundi in tempore non parum congruit, tùm ad hoc ut manifestius cognoscatur dependentia creaturarum à Deo; tum ut inferioritas earum ad Deum in duratione evidentius videatur; tùm etiam ut manifestum fiat, non fuisse mundum ex necessitate à Deo productum sed ex ipsius liberâ voluntate. Ex his autem,

Colliges primò, esse & fuisse Deum priorem mundo, nedum prioritate naturæ, sed etiam prioritate durationis. Neque propterea sequitur fuisse tempus ante mundum conditum, quia prius & posterius in duratione constituunt tempus, & ibi videatur esse prius & posterius in duratione ante mundum, hoc semel dato; quod præcesserit Deus nedum prioritate naturæ sed etiam duration s ipsum mundum conditum: Non, inquam, id sequitur; propterea quod Deus est quidem prior mundo duratione, non tamen duratione temporis, sed æternitatis, quia scilicet in æternitate ante tempus infinita est duratio, quæ virtualiter æquivalet pluribus durationibus imaginariis temporis nostri, secundum quas intelligimus

Nota.

mus Deum esse priorem mundo & priorem tempore nostro. Item.

Colliges secundò, quod quamvis positâ efficienti causâ, videatur, quod debeat tunc poni effectus: causa enim ad quam non sequitur effectus est causa imperfecta, alio scilicet indigens, ad hoc ut sequatur effectus; non propterea sequitur fuisse mundum à Deo ab æterno productum, licet sit Deus sufficiens causa ab æterno, finalis scilicet ratione suæ bonitatis, exemplaris ratione suæ sapientiæ, & effectiva ratione suæ potentiæ: Non inquam id sequitur; propterea quod sicut effectus sequitur à causâ agente naturaliter secundum modum suæ formæ, ita & sequitur ab agente per voluntatem & intellectum secundum formam ab eo præconceptam & definitam: unde licet Deus fuerit ab æterno sufficiens causa mundi, cum tamen fuerit causa illius per suam liberam voluntatem, non oportet per consequens quod fuerit mundus ab æterno, sed pro tempore solum, quo voluit Deus illum esse.

QUÆSTIO III.

De Mundo cælesti, sive de naturâ, proprietatibus, & efficientia cælorum.

QUia quæ de naturâ, proprietatibus, atque efficientia cœlorum inquiri solent à Philosophis, hodie uno ferè modo ab omnibus resolvuntur nec urgent argumenta quæ possent afferri in contrarium, ea propterea tranicurremus & resolvemus relictâ methodo quam in quæstionibus pertractandis hucusque servavimus, conclusiones scilicet deducendo & reducendo ad principia, nec non & objectiones singulas, pro evacuandis difficultatibus, suis instantis prosequendo. Igitur

Quæres 1. an cœli sint sola aliqua materia prima, vel aliqua solum substantialis forma.

Respondeo negativè; & primò quidem, quod non sit cœlum sola aliqua materia prima præterquam quod probari potest ex dictis in Physica universali, dum de natura materiæ primæ, ejusque dependentia à forma in existendo, potest præterea suaderi ex eo quod Sol de se est lucidus, Luna autem aliique planetæ lumine ferè tantum alieno collustrantur, unde & dicitur in Scriptura 1. Corinth. *15. Stella à stella differt in claritate.* Item

& habent inter se diversos effectus: ergo cœlestia differunt inter se essentialiter: atqui hæc diversitas, tum illa diversa activitas oriri non potest à materia prima, sed potius à diverso genere formarum substantialium: ergo non sunt cœlestia illa aliqua dumtaxat materia prima, sine forma substantiali. Quod autem nec sint aliquæ solum formæ substantiales absque materia, patet tum quia ut sublunares, ita perinde & cœlestes non sunt absque materia; tum quia quantitas & figura, cujusmodi reperiuntur in corpore cœlesti, sunt proprietates materiæ primæ, aut potius corporis conflati ex materia & forma, ut alibi ostendimus: non ergo corpora cœlestia sunt aut aliqua solùm materia prima, aut aliqua solum substantialis forma, sed composita quædam ex materia & forma, ut docet Aristoteles *in* 1. *de Cœlo.*

Notabis autem pro aliquibus solvendis ratiunculus, quæ possent afferri in contrarium, quod ideò Aristoteles *lib.* 3. *de generatione* reprehendit Diogenem, quod omnibus rebus attribueret materiam; quia de facto intelligentiæ materiam non habent, de quibus etiam agit, quando docet agentia in corruptibilia esse immaterialia, nec pati ab aliis; unde non propterea sequitur sentisse Aristotelem esse cælestia corpora immaterialia, quamvis sint & concedantur esse incorruptibilia. Neque dicas, quod ideò Aristoteles docet intelligentias esse agentia incorruptibilia, quia sunt sine materia: ergo videtur supponere agentia incorruptibilia, cujusmodi sunt cœli, esse sine materia ad hoc enim negatur consequentia. Vult enim tantum probare Aristoteles, intelligentias cœlorum motrices esse immateriales, quia, ut inquit, si constarent ex materia, essent animalia: falsum autem est consequens, inquit; quia si intelligentiæ essent animalia, deficerent tandem, nec proinde constans & æquabilis semper foret motus cœlestis, cujus contrarium experimur: cum ergo non colligat Aristoteles esse intelligentias agentia indefectibilia sive incorruptibilia ex eo quod sunt immaterialia, nisi quia si materia constarent, essent animalia, & hoc de cœlis non verificetur, quantumvis materia constent, nec etiam de iis verificari debet, quod sint immaterialia juxta mentem & sensum Aristotelis, quamvis ex eodem admittantur & sint incorruptibilia.

Quares secundò, utrum corpora cælestia sint elementaria aut composita ex elementis; & consequenter an sit sol aliquis ignis aut aliqua flamma, quæ halitibus è terra suscitatis alatur.

Respondeo cum Aristotele negativè, ut enim mox dicemus corpora cœlestia sunt incorruptibilia, quod elementaribus non competit. Item omni corpori elementari per se competit motus ali-

aliquis localis rectus, aut sursum aut deorsum, unde ad proprium locum sese veluti restituat, si extra positum fuerit; ut patet experientia: sed sic est quod cœlo nullus competit motus, nec sursum nec deorsum, cum proprio ex loco avelli nequeat naturaliter. Sic etiam consequenter dicendum est, Solem non esse ignem aut flammam aliquam, quæ halitibus è terra suscitatis alatur. Quod quidem confirmari potest ex eo quod explicari non potest qua ratione & quo modo sufficiens copia vaporum, eaque tam regulariter & tam constanter illi suppeditaretur ad tantam distantiam, unde eandem semper magnitudinem retineat plusquam centies & sexagesies majorem globo terræ.

Notabis autem pro quibusdam solvendis ratiunculis, quod quamvis ex scriptura Eccles. cap. 43. dicatur sol exurens & radios igneos exsufflans, non propterea colligi debet esse solem formaliter igneum, ad hoc enim satis est, quod virtualiter & eminenter vim ignis contineat, unde & potest dici ignis quidam virtualis. Quin & tropicè à poëtis appellatur ignis ob apparentiam igneam quam habet. Quod etiam non raro aliis quoque astris attribuunt, cum tamen verè non sint ignis; siquidem effectus naturæ igneæ consentaneos non habent. Sic enim perinde ac ignis lumine proprio non lucent: sic luna humectat; atque ita de aliis, quæ igni non competunt: non igitur habet sol proprietates & proprios effectus ignis, proprietates namque ignis sunt esse calidum & siccum in excellenti gradu: tum per calorem proprium sibique formaliter inexistentem calefacere & inflammare; qui effectus sunt quidem corporis solari communes cum aliis corporum naturalium generibus, sed tamen diversa ratione ab eo procedunt; non enim sol hoc modo per proprium calorem formalem eos effectus attingit, unde nec illi competunt sub ea ratione qua sunt proprii ignis. Neque illud arguunt facultates illæ, quæ videntur circa discum solarem: tales namque facultates sunt tantum apparentes: nec oriuntur isthæc phænomena nisi ex vaporibus, qui per aërem agitantur.

Quæres tertiò, Utrum cælestia corpora sint viventia.

Respondeo Negativè cum Aristotele, nec non & S. Augustino 1 *retractat. cap.* 2, hoc autem probat Aristoteles, quia nullum corpus homogeneum est animatum: anima enim ut ostenditur in libris de anima est actus corporis organici; cælestia autem corpora, quantum quidem observare licet, sunt corpora homogenea. Item si cœlum esset vivens, haberet saltem vitam vegetativam, quæ supponitur ad sensitivam: At si vegetativam haberet, opus illi foret alimento, & quidem magna in copia; quod

est

est inintelligibile, cum inintelligibile sit, unde tale subministraretur alimentum. Neque etiam intelligibile est, vitam habere sensitivam, aut rationalem; non quidem sensitivam, quia essent in eo oculi, aures, aliique sensus: sed neque rationalem, quia esset capax meriti aut demeriti, virtutis aut vitii: quod de stellis scripsit Origenes, & inter illius errores numerari solet. Nullam ergo habet cœlum animam, nullamque vitam. Quare notabis consequenter, cœlum ex hac parte esse naturæ inferioris ad res quascumque animatas: quia gradus vitæ ut sic superior est ad gradus alios naturæ; siquidem ex gradu vitæ sequuntur operationes, quæ ex natura sua perfectiores sunt, quibuscumque aliis perfectionibus naturalibus; modusque agendi viraliter est de se præstantior quam non vitalis, cum agere vitaliter sit seipsum movere, sive moveri ab intrinseco: quanquam secundum quid seu ratione perfectionum accidentalium aliquarum, Cœlum dici potest perfectius, quam aut musca aut res aliæ similes.

Notabis autem pro quorumdam solutione quæ possent in contrarium afferri, quod quamvis cœli sint causæ efficientes multorum effectuum sublunarium etiam viventium; nec effectus debeat esse nobilior causa sui productiva, non propterea dicendi sunt viventes & animati; istud enim commune dictum, quod scilicet effectus non debet esse nobilior causâ, verum est de causa per se & per virtutem sibi propriam effectus productiva, non autem per virtutem quæ est tantum alterius causæ propria, quæque agit solummodo dispositivè in productione viventis: sol autem v. g. non habet esse causa per se & per virtutem propriam principaliter productiva in productione ranæ; neque ranam producit nisi dispositivè; quatenus solum producit dispositiones & virtutes accidentales ranæ generantis proprias, per quas immediatè generatur rana. Neque dicas quod homo non concurrit nisi dispositivè ad generationem hominis, cum anima rationalis terminativè solum producatur per creationem; nec tamen hoc impedit, quominus dicatur attingere gradum viventis tanquam causa, quæ gradum viventis formaliter in se contineat: ergo à pari idem de cœlo est æstimandum, ad hoc enim negatur paritas; quia scilicet dispositiones ad formam hominis geniti dicuntur propriæ virtutes generantis, perinde ac virtutes dispositivæ ad formam equi, dicuntur propriæ virtutes generantis equi. At virtutes dispositivæ ad formam ranæ, & ipsius productivæ, non sunt propriæ cœli sed tantum ranæ; licet producantur à cœlo: quomodo enim si quis homo non pictor conficeret penicillum, aliaque pictoris pro-

propria instrumenta, aut faber ferrareus malleum & cultrum, quæ sunt instrumenta propria statuarii. Ita per proportionem cœlum producit virtutes, quæ sunt propriæ dumtaxat generantis ranæ, cum dicitur concurrere ad generationem ranæ.

Quares quartò, Utrum cœlestia corpora de se & naturaliter, seu ex principiis intrinsecis sint incorruptibilia.

Respondeo affirmativè. Non enim aliam ob causam mundus iste elementaris debet esse corruptibilis, nisi quia est materia mixtorum innumerabilium, quæ in eo generantur: cum ergo in mundo cœlesti nulla hujusmodi fiat generatio, nihil est cui dicatur corruptibilis; potest & hoc confirmari ex eo quod cœli ab initio suæ creationis eodem in statu absque ulla sui corruptione perdurarint, cum tamen in ijs sint astra perfectissimæ, atque intensissimæ activitatis, à quibus ea quæ minbra sunt procul dubio absumi debuissent: quod profectò signum est certissimum nativæ ipsorum incorruptibilitatis. Si enim, ut scribit Aristoteles, astra essent naturæ igneæ, ob eam quam habent magnitudinem ac densitatem, facilè possent mundum universum absumere: ergo à fortiori absumpta forent v. g. corpora soli obertantia, ipsaque luna tam multis partibus sole minor, si essent de se corruptibilia, adde quod talis cœlorum incorruptibilitas est maximè eorumdem fini consentanea; cum sint causæ universales, quæ suo influxu contineant perficiantque inferiora; unde consequenter debent esse incorruptibiles, ne illa rerum inferiorum gubernatio & perfectio deficiat. Dixi autem esse cœlos incorruptibiles, non tantum ab extrinseco, seu defectu agentis naturalis à quo corrumpantur; sed etiam ab intrinseco, quatenus caloris & frigoris, aut aliarum ejusmodi corruptivarum qualitatum non sunt subjectum naturaliter capax. Alioquin sic naturaliter destrui possent; quod repugnat Doctrinæ superiori.

Notabis autem pro quorumdam solutione, quæ possent in contrarium objici, quod maculæ solares & lunares; tum cometarum cœlestium generationes, aliaque similia phænomena non propterea cœli corruptionem aliquam substantialem arguunt, licet generatio unius non sit nisi ex corruptione alterius, ut vulgò ajunt: Maculæ namque illæ solares non sunt nisi apparentes, eæque tantum contingunt ex opacis quibusdam corporibus, quæ disco solari obertant; lunares autem maculæ non orjuntur nisi ex luce inæqualiter per ipsum corpus lunare diffusâ, eo quod perfectè rotunda non sit. Jam verò quod attinet ad cometas, dato quod præter elementares, seu qui ex halitibus ter-

est inintelligibile, cum inintelligibile sit, unde tale subministraretur alimentum. Neque etiam intelligibile est, vitam habere sensitivam, aut rationalem; non quidem sensitivam, quia essent in eo oculi, aures, aliique sensus: sed neque rationalem, quia esset capax meriti aut demeriti, virtutis aut vitii: quod de stellis scripsit Origenes, & inter illius errores numerari solet. Nullam ergo habet cœlum animam, nullamque vitam. Quare notabis consequenter, cœlum ex hac parte esse naturæ inferioris ad res quascumque animatas: quia gradus vitæ ut sic superior est ad gradus alios naturæ; siquidem ex gradu vitæ sequuntur operationes, quæ ex natura sua perfectiores sunt, quibuscumque aliis perfectionibus naturalibus; moduscque agendi viraliter est de se præstantior quam non vitalis, cum agere vitaliter sit seipsum movere, sive moveri ab intrinseco: quanquam secundum quid seu ratione perfectionum accidentalium aliquarum, Cœlum dici potest perfectius, quam aut musca aut res aliæ similes.

Notabis autem pro quorumdam solutione quæ possent in contrarium afferri, quod quamvis cœli sint causæ efficientes multorum effectuum sublunarium etiam viventium; nec effectus debeat esse nobilior causa sui productiva, non propterea dicendi sunt viventes & animati; istud enim commune dictum, quod scilicet effectus non debet esse nobilior causâ, verum est de causa per se & per virtutem sibi propriam effectus productiva, non autem per virtutem quæ est tantum alterius causæ propria, quæque agit solummodo dispositivè in productione viventis: sol autem v. g. non habet esse causa per se & per virtutem propriam principaliter productiva in productione ranæ; neque ranam producit nisi dispositivè; quatenus solum producit dispositiones & virtutes accidentales ranæ generantis propriæ, per quas immediatè generatur rana. Neque dicas quod homo non concurrit nisi dispositivè ad generationem hominis, cum anima rationalis terminativè solum producatur per creationem; nec tamen hoc impedit, quominus dicatur attingere gradum viventis tanquam causa, quæ gradum viventis formaliter in se contineat: ergo à pari idem de cœlo est æstimandum, ad hoc enim negatur paritas; quia scilicet dispositiones ad formam hominis geniti dicuntur propriæ virtutes generantis, perinde ac virtutes dispositivæ ad formam equi, dicuntur propriæ virtutes generantis equi. At virtutes dispositivæ ad formam ranæ, & ipsius productivæ, non sunt propriæ cœli sed tantum ranæ; licet producantur à cœlo: quomodo enim si quis homo non pictor conficeret penicillum, aliaque pictoris pro-

propria instrumenta, aut faber ferrareus malleum & cultrum, quæ sunt instrumenta propria statuarii. Ita per proportionem cœlum producit virtutes, quæ sunt propriæ dumtaxat generantis ranæ, cum dicitur concurrere ad generationem ranæ.

Quares quartò, Utrum cœlestia corpora de se & naturaliter, seu ex principiis intrinsecis sint incorruptibilia.

Respondeo affirmativè. Non enim aliam ob causam mundus iste elementaris debet esse corruptibilis, nisi quia est materia mixtorum innumerabilium, quæ in eo generantur: cum ergo in mundo cœlesti nulla hujusmodi fiat generatio, nihil est cui dicatur corruptibilis; potest & hoc confirmari ex eo quod cœli ab initio suæ creationis eodem in statu absque ulla sui corruptione perdurarint, cum tamen in ijs sint astra perfectissimæ, atque intensissimæ activitatis, à quibus ea quæ membra sunt procul dubio absumi debuissent: quod profectò signum est certissimum nativæ ipsorum incorruptibilitatis. Si enim, ut scribit Aristoteles, astra essent naturæ igneæ, ob eam quam habent magnitudinem ac densitatem, facilè possent mundum universum absumere: ergo à fortiori absumpta forent v. g. corpora soli obtrantia, ipsaque luna tam multis partibus sole minor, si essent de se corruptibilia, adde quod talis cœlorum incorruptibilitas est maximè eorumdem fini consentanea; cum sint causæ universales, quæ suo influxu contineant perficiantque inferiora; unde consequenter debent esse incorruptibiles, ne illa rerum inferiorum gubernatio & perfectio deficiat. Dixi autem esse cœlos incorruptibiles, non tantum ab extrinseco, seu defectu agentis naturalis à quo corrumpantur; sed etiam ab intrinseco, quatenus caloris & frigoris, aut aliarum ejusmodi corruptivarum qualitatum non sunt subjectum naturaliter capax. Alioquin sic naturaliter destrui possent; quod repugnat Doctrinæ superiori.

Notabis autem pro quorumdam solutione, quæ possent in contrarium objici, quod maculæ solares & lunares; tum cometarum cœlestium generationes, aliaque similia phænomena non propterea cœli corruptionem aliquam substantialem arguunt, licet generatio unius non sit nisi ex corruptione alterius, ut vulgò ajunt: Maculæ namque illæ solares non sunt nisi apparentes, eæque tantum contingunt ex opacis quibusdam corporibus, quæ disco solari obtrant; lunares autem maculæ non oriuntur nisi ex luce inæqualiter per ipsum corpus lunare diffusâ, eo quod perfectè rotunda non sit. Jam verò quod attinet ad cometas, dato quod præter elementares, seu qui ex halitibus ter-

terrestris accenduntur in suprema aëris regione, alii etiam fuerint interdum visi in ipsa regione cœlesti, qui longe minorem efficerent parallaxim quam luna & sol; quique ab ipsa quoque luna & sole occultarentur: hoc, inquam, dato & supposito respondeo cometas illos, vel ex materia cœli addensata, vel ex pluribus stellis simul conglobatis ministerio angelorum præter communem rerum ordinem formari, ut sint futurarum calamitatum prænuntii, ac veluti prodromi; juxta illud commune proverbium: *nunquam visus terris impunè cometes.*

Quæres quintò, Utrum moveantur cœli ab aliquo principio seu virtute motiva sibi intrinseca.

Respondeo negativè contra nonnullos, qui volunt motum illum cœlorum esse à principio ipsis intrinseco & nativo in ordine ad bonum universi, tanquam ad finem & terminum; atque ita, inquiunt, ut iis ineat intrinsecè virtus agendi universalis, per quam concurrunt ad generationes rerum sublunarium, ita quoque ajunt, habere debent principium motus, per quem illa virtus agendi ad varias mundi partes subinde pro naturalium generationum exigentia debitè applicetur. Sed in contrarium militant rationes duæ sequentes. Primò quod non haberet illa virtus motrix cœlo intrinseca, unde potius determinaretur in unam partem, quam in aliam: perinde enim est cœlo etiam ad bonum universi, quod moveatur ab Oriente in Occidentem, aut è contra. Secundò, quia assignari non posset unde & quomodo motus ille cœlestis posset esse tam varius ac multiplex. Nam, ut patet inductione, motus naturalis rerum saltem inanimatarum, fit semper ad eundem locum, & quidem per simplicem lineam unam & eandem; cum tamen motus Planetarum non modo est ab Oriente in Occidentem, sed præterea ab uno tropico ad alium, quem ubi attigit regreditur ad oppositum. Item Planetæ modo sunt terræ viciniores, modo remotiores nunc directi, nunc veluti retrogradi. Quin imò vix exprimi potest quam innumerabiles perflexus ac mæandros agitetur Planeta quem Martem vocant; & sic de aliis, quæ videntur fieri non posse nisi per artem quandam, summamque sapientiam.

Unde dicendum est consequenter, motum cœlorum esse à principio extrinseco, nempe ab aliqua formâ seu natura intelligente, ipsis ut loquuntur, assistente. Atque hæc quidem naturâ intelligens non potest solum esse humana; nam defatigaretur tandem ita cœlos movendo: ac proinde motus ille non foret tam æquabilis & perpetuus, superest ergo ut sit ab aliqua pura intelligentia, nempe vel immediatè à Deo, vel ab Angelis, qui sin-

singulos orbes cœlestes per motum lationis, ut vorat Aristot. devehant circa terram. At quamvis ut scribit D. Greg. Deus ipse mundum regat per seipsum, quem per seipsum condidit; tamen in ejusmodi administratione duo sunt consideranda; primum est dispositio & ordinatio rei cujuscumque in suum finem. Secundum est, externa illius dispositionis executio. Ac primum quidem est immediatè à Deo: secundum autem solet etiam à Deo aliis committi. Nam ut patet inductione, Deus nunquam facit solus & immediatè per seipsum; quod potest fieri per aliquam creaturam, ut hoc modo magis bonitatem suam communicet, magisque sese glorificet in ipsis creaturis. Sic igitur concludendum est, moveri cœlos ab Angelis. Qui quidem cum sint pars hujus universi, hoc saltem pacto cum cæteris totius mundi partibus habere debuerunt connexionem seu commercium. Itaque est communis sententia philosophorum cum Aristotele, qui hac ferè una ratione assecutus est cognitionem *intelligentiarum*, quas *Angelos* vulgò appellamus. Notandumque est ex dictis cœlos de se esse indifferentes ad motum & quietem; motumque illum cessaturum post diem judicii, quia cessabunt generationes rerum sublunarium propter quas institutus est. Interim tamen Angeli pro suo libero arbitrio motum hunc sustinere, sicque ordinem universi perturbare non possunt. Quia pro suo in Deum amore & obedientia, officium illud sibi demandatum nequeunt vel ad momentum dimittere. Neque propterea distrahitur Angelus à Beatifica Dei visione, quæ est illius beatitudo: nec enim quidquam illi jucundius esse potest, quam implere Dei voluntatem, etiam si per totam æternitatem movendis astris destinaretur. Quod per proportionem dicitur de nostris tutelaribus Angelis.

Notabis autem quod quamvis ita ab extrinseco moveatur cœlum, adhuc naturalis sit ei talis motus: ut enim aliquid sit alicui naturale, sufficit quod ad illud habeat principium passivum per modum naturalis inclinationis; ideo namque est naturalis materiæ receptio cujuslibet substantialis formæ, quia est in ipsa materiâ principium passivum & naturalis inclinatio: sed sic est quod habet cœlum in se intrinsecum principium passivum per modum naturalis inclinationis ad suum motum; tum quia habent naturaliter figuram rotundam aptissimam ad circularem motum; tum quia creavit Deus orbes cælestes ut suo circulari motu influant in universa sublunaria: ergo adhuc eis naturalis est talis motus, licet sit à principio activo intrinseco.

Quæres sextò, Quænam sit corporum cælestium efficientia.

Respon-

Respondeo primò, Quod cum cœli inter corpora omnia naturalia supremum dignitatis ac perfectionis locum obtineant, debent consequenter habere maximam, eamque universalissimam agendi virtutem, cui cætera quoque inferiora subordinantur & à qua in agendo perficiantur; tum quia esse est propter operari, & modus operandi proportionatur modo essendi; tum quia in eo præcipuè sita est mundi præstantia, quod habeat partium suarum unitatem cum subordinatione inferiorum ad superiores; quamobrem, ut ajunt *sol & homo generant hominem*. Ita videmus per accessum aut recessum solis, plantas & animalia reddi aut inertia, aut magis disposita ad generandum. Nec aliam ob causam natura vacuum tantopere abhorret, nisi ut inferiora virtutem & influxum hac ratione recipiant à superioribus, unde compleantur ad suos effectus; notandumque est cœlum ad multos effectus sublunares influere non tantum ut causam *universalem*, sed etiam ut particularem. Sic enim vulgò ajunt metalla aliaque similia fossilia generari à cœlo, cum eorum causa particularis alia non possit assignari. Sic Lunæ tribuuntur æstus maritimi; sicque illius ætatem observant hortulani & agricolæ, ut semina terræ committant, ut serant, ut amputent arbores, &c. Item ab astris ubertas aut sterilitas; sanitas aut varii generis morbi plerumque proveniunt. Item animalia imperfecta & insecta, quæ ex materia putri generantur, ut mures, muscæ, serpentes, & vermes à cœlo prodeunt tanquam à causa efficiente & particulari. Sic enim cœlum dispositiones omnes requisitas ad formam imperfecti animalis de facto producit eo modo quo supra explicuimus; non tamen potest cœlum esse causa particularis perfectorum animalium, puta canis, equi, leonis, &c. docet enim experientia, hæc non procreari nisi ex semine; ac proinde non potest cœlum adæquatè producere dispositiones eorum immediatè productivas, sed tantum inadæquatè & concurrendo cum causis particularibus.

Respondeo secundò, Non posse cœlum seu astra directè agere in voluntatem nostram, illam per se inflectendo, seu determinando ad aliquid, aut volendum aut nolendum. Et hoc est de fide. Non enim potest potentia materialis loquendo naturaliter agere in subjectum spirituale, cum nihil possit in illud influere & imprimere, ratione disproportionis, quæ esset tunc inter receptivum & illud quod per hujusmodi influxum deberet recipi. Nihilominus possunt astra influere etiam directè in humani corporis temperiem, majorem in nobis copiam aut bilis, aut sanguinis, aut humoris melancholici excitando, unde etiam effi-

efficiamur procliviores vel ad iram vel ad amorem vel ad tristitiam, &c. Quo pacto dicuntur astra indirectè agere in nostram voluntatem, quatenus scilicet voluntas libera pro connexione quam habet cum appetitu sensitivo in eodem hominis individuo, valde prona est ad ipsi assentiendum; cum tamen simul possit illum cohibere; ut de facto præstant viri sapientes & probi, qui eam ob causam dicuntur *astris dominari*.

Respondeo tertiò, quod cœli seu astra in hæc agunt inferiora per qualitates sensibiles. Nam patet experientia, quod agant per lumen; tum per calorem, qui calor maximè generatur per lumen à sole, aliisve astris diffusum; quam ob causam de se est major æstus interdiù, quam noctu: patetque experientia, quemadmodum per aggregationem radiorum solarium, quæ fit beneficio speculi refrangentis, procreatur calor intensus, imò & ignis; tunc que etiam sentiri solet æstus major ubi fit radiorum solarium perfectior reflexio. Nihilominus probabilissimum est, quod præter lumen & calorem, quæ sunt qualitates sensu perceptibiles, aliæ sint, quas vocant *occultas influentias*, per quas cœli in hæc agunt inferiora. Quod quidem ex eo patet, quod cum agens debeat esse conjunctum passo, saltem per qualitatem ab eo diffusam, explicari non posset quomodo cœlum concurreret ad generationem metallorum, & innumerabilium hujusmodi mixtorum, quæ perficiuntur in visceribus terræ, quo lumen aut calor ab eo procedens non permeat. Item nec Solis aut Lunæ sive lumini sive calori tribui potest æstus Maris, qui sæpè est vehementissimus perfrigida tempestate, aut etiam Sole & Lunâ in Mare vix quidquam luminibus profundentibus. Neque vero asylum est ignorantiæ, hoc pacto de qualitatibus occultis, id est quæ nullo sensu percipiuntur, statuere; cum aliæ innumerabiles qualitates ita occultæ per effectus certissimos se se prodant; sic enim necesse est derivari à magnete in ferrum qualitatem aliquam occultam. Talis est qualitas narcotica, quam ex se profundit torpedo; aliæque similes de quibus egimus in præcedentibus, dum de actione in distans.

Respondeo quartò, probabile esse, motum localem in corporibus cælestibus, esse tantum conditionis instar, unde ad varias mundi partes applicentur pro varietate generationum sublunarium, quæ fieri debent; adeò ut motus ille non habeat rationem virtutis per quam agunt. Etenim vis illuminandi in Sole v. g. est independens à motu, nec minus lucebat, aut calorem inducebat terris, cum stare est jussus à Iosue, & sic de aliis: nõ ergo se habet motus ille cœlorũ ad instar virtutis, sed cõditionis.

COROLLARIUM.

De astrorum numero, figura, qualitatibus, maculis, eclipsibus, & astrologia judiciaria.

Quæres primò, de Astrorum numero & figura.

Respondeo quantum ad primum, quod duplex est stellarum genus, Aliæ dicuntur fixæ & inerrantes; quia eadem inter se distantias, situs, ac positiones servant; cujusmodi sunt firmamenti stellæ. Aliæ autem, quæ propriè appellantur Planetæ, sunt errantes; cum eadem inter se & cum stellis firmamenti habitudines non serveut. Sic enim Luna v. g. modo accedit ad Solem; modo longissimis intervallis ab eo recedit. His autem suppositis dico, quod ex stellis fixis quæ Cœlo sereno commodè usu percipi possunt, numerari ab Astronomis soleat tantum 1022 quanquam sit concedendum alias esse multo plures, quæ quidem per tubum opticum observantur à recentioribus; sicque explicatur illud Abrahamo dictum: *numera stellas si potes*; at notandum est, Astronomos, ut res tota facilius comprehenderetur, stellas hujusmodi conspicuas omnes redegisse in certos Asterismos, seu constellationes, ex pluribus stellis veluti constitutas; quas etiam appellant imagines, eo quod illius rei, cujus nomen sortitæ sunt, figuram aliquo modo repræsentent. Sunt autem illæ imagines seu constellationes omnino 48. inter quas primum dignitatis locum videntur tenere 12. signa Zodiaci; quæ solent his versibus comprehendi, quorum prior Septentrionalia, posterior verò Australis continet:

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo.
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Ar extra Zodiacum ad partes Septentrionales numerantur constellationes 21. reliquæ autem ad plagam Australem attinent. Cæterum ex iis constellationibus, quæ circa polum Septentrionalem convertuntur, præcipuè considerati solet *ursa minor*

nor septem omnino stellis conspicua, quarum tres per modum caudæ cujusdam ad quatuor alias conf- quuntur. Harum ultima dicitur polaris, quia polo vicinior est, nec ab eo nunc distat, nisi duobus ferè gradibus. Vocatur autem & *stella maris*, quia nautæ ad illam intendunt, ut rectum in navigando cursum teneant. Quantum autem ad stellas errantes, seu planetas, ille sunt numero septem, puta Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus, quarum infima seu vicinior terræ est Luna, remotior autem Saturnus, qui est immediatè sub firmamento. Iam verò quantum ad astrorum figuram, de quâ supra quæsitum fuit.

Respondeo 2. astra esse figuræ Sphæricæ. Quod quidem probatur de Luna; quia si superficies illius, quæ saltem nobis obvertitur, esset plana; tota simul illuminaretur, quotiescumque à sole radios excipit: cum autem è contra paulatim & successivè prout à sole magis recedit illuminetur circulariter; signum est eam esse rotundam. Ergo à pari probabilius est, stellas alias esse rotundæ figuræ; cum illa sit figura omnium præstantissima, debeaturque consequenter corporibus similiter præstantissimis, hôc autem confirmatur de Venere & Mercurio: nam beneficio tubi optici deprehenduntur eodem modo illuminari, ac Luna. Confirmatur etiam de sole, quandoquidem illius sphæreitas causa esse debet, cur lumen per rimas etiam irregulares ab eo immissum, & in planum perpendiculariter incidens affectet semper figuram orbicularem seu sphæricam.

Quæres secundò, de qualitatibus & effectibus planetarum. *De Sa-*

Respondeo Saturnum qui est à nobis remotissimus, esse frigidum & siccum: intellige in effectu, sicut in aliis planetis, ex vicinitate ejus remittitur calor Solis. Ex conjunctione ejus cum Iove clarior efficitur, cum naturaliter sit pallidus. Nocivus est ex sui natura, ipsoque dominante tantam habet virtutem tamque nociam, ut si influat in inferiora fœtus nascatur mortificatus, aut debilis: plus autem nocet retrocedendo quam procedendo. Moratur sub quolibet signo triginta mensibus; ex quo sequitur quod cursum suum compleat triginta annis.

Iupiter verò est clarus, & quasi ad instar lactis candidus, in qualitatibus est benè temperatus, quia calidus est & humidus. In superiori parte suæ abscidis temperat malitiam Saturni. Cum ascenderit in circulum Saturni contrahit pallorem, licet sit clarus. In quolibet signo moratur per annum & ita complet cursum suum in duodecim annis.

Mars è contra calidus est & siccus, & ideò nocivus, ex pro- *De Marte*

pria natura homines incitat & provocat ad bellandum; ex interpositione tamen Iovis & Veneris ejus nocivitas reprimitur, igneus apparet & radiosus, sub quolibet signo moratur quadraginta diebus.

De Sole. Sol verò calidus est & luminosus, communis est omnibus, nube celatur; solus per se lucet, quod nulli syderi magis competit, unde & nomen accipit; stellas illuminat, quas tamen per præsentiam suam apparentia luminis privat. Medius est planetarum, odiosus ægris oculis sed amabilis puris, tempora distinguit; testea consolidat; gelida resolvit; flores aperit; fructus maturat; corpora diaphana penetrat; non quiescit; visum retundit; vapores elevat; hemisphæria vicissim perlustrat, appropinquans nobis æstatem facit, recedens vero hyemem efficit, oculus est mundi; sub quolibet signo moratur 30. diebus & decem horis; unde & cursum per annum facit motu proprio, sed diem perficit motu primi mobilis.

De Venere. Venus est lucifer, calidus & humidus; malitiam Martis temperat: semper comitatur solem: cum autem præcedit dicitur lucifer, & quando sequitur dicitur vesper: colorem aut quasi colorem habet candentem & refulgentem, electro similem. Inter sydera plus splendet; completque cursum suum in 348. diebus.

De Mercurio. Mercurius verò semper cum sole graditur, numquam ab eo plus 30. gradibus distans: colorem seu quasi colorem habet radiantem: raro propter vicinitatem solis cernitur. Influit ad eloquentiam; aquis dicitur dominari & præesse seminibus; completque cursum in diebus 338.

De Luna. Demùm quantum ad lunam, hæc est quæ noctem illuminat, lumen mutuat, infima est inter planetas; eclipsim patitur & efficit: Regina cœli appellatur, quia Sol tanquam medius planetarum participat omnium proprietates, & eas ad Lunam cum lumine suo transmittit: ipsa verò Luna quæcumque à Sole sicut recipit, sic influit. Unde quia per eam taliter planetarum virtutes recipimus, merito Regina cœli appellatur; ex quibus patet, quod quando Luna primum intenditur, optimum est semina jacere, quia tunc virtutes planetarum quas inferioribus influit, incipit colligere; frigida est & humida: solem præcedens minuitur, sed eundem sequens crescit; signa autem Zodiaci quolibet mense percurrit.

Quares 3. de Solis & Lunæ maculis & eclipsibus.

Respondeo quantum ad primum apparere non modo in Luna sed etiam in Sole ipso maculas; quas quidem ut sine ulla offen-

sione

sione oculorum contempleris, excipiendi sunt perpendiculariter radii solares in aliquo plano, puta in charta per tubum aliquem opticum: vel saltem, hoc tibi erit satis si facto foramine exiguo seu rima intra cubiculum excepetis Solis radium perpendiculariter cadentem supra aliquod planum; tunc enim apparebunt tibi maculæ modo plures, modo pauciores obterare ad discum solarem. Cum autem eædem non sint, nec eodem numero, aut eadem in parte, signum est, eas non inhærere ipsi soli; nec esse veras maculas, sed tantum apparentes; nec aliunde oriri, nisi ex planetis quibusdam, seu corporibus opacis, quæ circa ipsum solem deferantur; fortasse ad nimias ipsius vires retundendas propter bonum universi.

Contra autem maculæ lunares veræ sunt, ipsique inhærent Lunæ. Nam eædem semper apparent, eandemque sedem servant: quanquam aliud nihil sint illæ maculæ, quam lux inæqualiter diffusa, ex eo quod Luna non sit perfectè rotunda; sed potius in ingentes quosdam veluti montes protuberet. Quod beneficio tubi optici idonei facilè dignoscitur, tunc maximè ubi ipsa crescit. Jam verò quantum ad eclipsim.

Respondeo Solis eclipsim esse apparentem luminis defectum in sole ex apta interpositione Lunæ inter aspectum nostrum & corpus solare. Dixi apparentem esse illum luminis defectum, quia tunc nulla sui luminis parte privatur Sol, licet contra nobis appareat. Dixi etiam oriri ex ipsa interpositione; hæc enim eclipsis contingit tantum, Luna existente vel in capite vel in cauda Draconis, vel saltem si non multum ab iis abfuerit. Atque hinc colliges Solarem eclipsim non posse quidem fieri nisi in illa coniunctione luminarium, id est in novilunio; nec tamen fieri in novilunio, nisi tunc Luna in metas ecliptica inciderit. Ex quibus colliges mirabilem omninò & contra naturæ ordinem fuisse illam solarem eclipsim, quæ Christo Domino patiente contigit. Tunc enim erat plenilunium; quare Luna mutato cursu in contrarias partes, regressa est ad Solem, ut ipsum nobis occultaret: quod Divus Dionysius Areopagita *in Epistola ad Policarpum* testatur se vidisse. Notabis autem posse observari eclipsim Solarem sine offensione oculorum, si uteris illa methodo, quam modo tradebam ad maculas ipsius Solis contemplandas. Item notabis sic posse te dimetiri quantitatem eclipsis, si diametrum orbis illius lucidi, quem juxta hanc methodum in plano exceperis, si inquam illam diametrum ex more divisteris 12. in partes æquales quas vocant *digitos aut puncta*.

Eclipsis autem Lunæ est verus luminis defectus in Luna ortus ex idonea interpositione terræ inter Solem & ipsam Lunam; fit enim tunc, quando Luna est Soli diametraliter opposita, ac proinde cum existit vel sub capite, vel sub cauda draconis, eo modo quo jam exposui; tunc enim rectè dicitur Luna ingredi in umbram terræ. Notabis autem Lunarem ejusmodi eclipsim non contingere nisi in plenilunio, quamvis non contingat in omni plenilunio, cum in omni plenilunio non habeat sufficientem oppositionem cum sole. Quin imò notabis fieri posse, ut Luna in diametrali oppositione & sufficienti, non ideo tamen patiatur eclipsim, si à terra fuerit remotior. Item licet reperiatur intra metas eclipticas, *id est* intra eam latitudinem, in qua potest pati eclipsim, nec in totam terræ umbram incurrat, non erit eclipsis totalis, sed tantum ex parte, & ad breve temporis spatium. Notabis denique, id esse discriminis inter eclipsim Solis ac Lunæ, quod eclipsis Lunæ est universalis per totam terram, ita ut absolutè & pro omnibus regionibus ipsius lumen deficiat; Solis vero eclipsis non ita est universalis potestq; apparere deficiens in uno climate, non autem in alio. Qui scilicet eclipsis Solis dependet ex aspectu nostro, qui quidem aspectus diversus est pro diversis climatis; Lunæ verò eclipsis dependet tantum ex umbra terræ, quæ quidem umbra pro omni climate semper est eadem.

Quæres ultimò, De Astrologia judiciaria, seu de iis quæ ex cœli aspectu prædici possunt,

Præmittendum est ad quæsiti resolutionem duplicem esse astrologiam scientificam; alteram quidem Physicam de natura & proprietatibus corporum cœlestium; alteram autem Mathematicam de eorum magnitudinibus & motibus. Sed alia præterea est Astrologia, quæ vulgo dicitur Astromantia, seu divinatrix aut judiciaria, ejusque studiosi communiter appellantur Astrologi, vel judiciarii, aut etiam Planetarii, tum Mathematici & Genethliaci, quia nativitates hominum & horoscopos considerare solent, ut ex iis, de reliqua vita judicent. Quamobrem supponunt primò, diem artificialem, sicut & noctem dividi in horas duodecim, quas vocant *inæquales*, quibus singulis addicti sunt proprii planetæ. Item cœlum universum dividunt quoque duodecim in partes æquales, quas *domos cœlestes* nominant; harum autem domorum primam vocant *Angulum Orientis*, aut *Horoscopum*, ipsaque est pars, in qua est signum exortivum & *ascendens*, ut vocant, influitque, ut quidam volunt, in temperiem & constitutionem illius qui tunc nascitur. Secundum ajunt esse *domum facultatum & bonorum mobilium*: atque ita per proportionem de aliis,

aliis, quæ cum futilia sint, & stultitiæ plenissima, non est cur nos detineant, his igitur prætermissis:

Respondeo 1. Ex Genesi cap. 1. ista quidem astra à Deo condita, ut sint in signa & tempora, nempe ad designandas anni varias tempestates, & temporum varia intervalla. Item possunt etiam ex syderum inspectione prænunciari pluviæ, siccitates, morbi, tempora sementi idonea: sunt enim effectus naturales qui ab astris dependent: potuitque satis observari, quidnam hic aut iste planeta in tali cum aliis habitudine portendat. Quanquam hæc certò aut sine erroris formidine prædici non possint, sed tantum cum aliqua probabilitate: tum quia satis compertæ non sunt astrorum omnium quæ unquam in circumitantia vites; tum quia ista supponunt dispositionem materiæ causasque multas particulares, quæ effectum vel promovere vel impedire possunt; neque in nostram cognitionem cadunt.

Respondeo 2. Potuisse Deum uti astris tanquam signis quibusdam ex instituto, quibus res futuras, etiam à libero arbitrio dependentes prænunciaret. Sed ejusmodi astrorum significatio nobis comperta esse non posset, nisi facta ab ipso Deo revelatione. Nihilominus non constet, rem à Deo sic institutâ fuisse, nec probabile est mentem suam revelasse iis tantum circulatoribus, & præstigiatoribus, qui judiciariam Astrologiam profitentur, unde

Respondeo 3. Et ultimò, nec effectus fortuitos, qualis est Thesauri inventio; nec eos qui à libero arbitrio dependent, cognosci ex astris per vim aliquam iis insitam ullatenus posse. Etenim vis naturalis astrorum nec habet nec habere potest connexionem cum operationibus liberæ nostræ voluntatis: aut certè cum astra sint agentia naturalia, illos nostræ voluntatis effectus inferrent necessariò. Ergo sic destrueretur libertas; adde quòd cum voluntas nostra sit potentia spiritualis, hanc directè afficere agens corporeum non potest. Respondent aliqui, satis esse, quod astra influant in nostrum temperamentum, unde possit ex iis intelligi, quibus affectibus simus obnoxii, & consequenter quid sit à nobis agendum. Sed contra est primò, quia ex dictis supra, nihil certo scitur ab Astrologis de viribus aut efficientia siderum; nec sola concurrunt ad temperiem nostri corporis. Deinde quamvis res ita se haberet, non propterea sequeretur inde quidquam statui posse de iis quæ spectant ad fata, ad mores, ad eventus fortuito à libera nostra voluntate dependentes: hæc enim inter se nullam habent connexionem infallibilem & necessariam. At confirmatur præterea nostra responsio. Quia in tali casu potius habenda esset ratio conceptus, quã nativitatis; tunc enim

potius quando formatur fœtus, tale accipit temperamentum. Deinde si tota vis est in ortu primo, quidni omnes sub eodem horoscopo geniti eadem sortiuntur fata ? quidni simul cum Alexandro aut Cæsare, multi sunt nati aut Alexandri aut Cæsares ? Cur Esaii & Jacob simul parentis in utero conformati, simulque nati, vixere tamen sorte dispari ? Hæc igitur repugnant omni Philosophiæ & experientiæ ; nec ortum habuere nisi a rudibus hominibus, credulis, antiquis, quæ postea viri impii, adulatores principum & circulatores, olim etiam dæmonum cultui addicti, omnique dedecore infames, foverunt, auxerunt & in numerum scientiarum turpiter induxerunt.

Huc accedunt aliæ species artis judiciariæ, qualis est Physiognomia, non quidem naturalis & Physica [de qua in libris de anima] sed Astrologicâ, quæ perfectâ corporum constitutione de uniuscujusque moribus, ac futuris eventibus pronunciat, quatenus ab astris illa creduntur proficisci. Quod maximè profitetur *Chiromantia*, inspectis manuum lineis, aut tuberculis. Huc etiam accedunt figuræ, quas Talismanicas vocant ; aut alia similia stolidissimorum hominum deliramenta. Quæ omnia summorum Pontificum decretis, ac politicis legibus proscribuntur. Quare non tantum Philosophiæ, sed etiam pietati ac legibus tum divinis tum humanis repugnant.

Dices, quod eveniunt sæpe numero, quæ ab Astrologis prædicuntur : ergo eorum non sunt contemnenda vaticinia. Sed ad hoc respondetur primò cum Divo Augustino, quod ex sexcentis vix unum reperitur verum ; nec mirum est, quod interdum, tam multa effutiendo, verum aliquid fortuitò eloquantur. Deinde, respondeo contingere variis modis, ut futura interdum verè nuncientur ab Astrologis. Ac primò quidem fieri potest, ut ex occulto fædere cum dæmone, ab eo per certos instinctus hauriant, quæ ex locis remotioribus tardius sciri debuerant ; aut quæ ipse futura prævidet ex præparatione proxima causarum ad aliquid agendum. Item ad fovendum superstitionem, omni arte atque industria procurat ipse Dæmon, ut ea eveniant, quæ jactantur ab Astrologis ; Deo etiam in pœnam sceleris ultrò illud permittente. Quam ob causam sæpe à principibus vel exilio pulsi, vel morte damnati sunt illi judiciarii.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Mundo Elementari sive de Elementorum numero, qualitatibus & quiete in proprio loco.

CUm ea, quæ de Mundo Elementari agitari solent apud philosophos, uno & eodem modo ferè ab omnibus resolvantur, sintque sufficienter resoluta ubi primùm fuerint declarata, ideo relicta & ibi sicut & in superiori quæstione solita methodo, quæsita tituli aliquibus responsionibus breviter sed tamen sufficienter declarabimus: igitur.

Quæres primò, Quid & quotuplex sit Elementum.

Respondeo quantum ad primum, quod elementum sumptum prout hic sumitur, pro iis scilicet corporibus, quæ mixtum componunt, constituuntque mundum hunc sublunarem, quem ideo elementarem appellant, definitur communiter *corpus simplex, ex quo sunt alia, seu in quod alia resolvuntur; ipsum autem non resolvitur in alia simpliciora corpora.* Primò quidem dicuntur elementa corpora simplicia, quod quidem non ita intelligendum est, ut scilicet composita non sint ex materia & forma substantiali, nec differant inter se nisi per formas accidentales, ut docuit Galenus. Nam citra formam substantialem talia componentem explicari non posset, quomodo aqua calida, v. g. sese reducat ad suum frigus: sed dicuntur elementa corpora *simplicia*, respectivè ad corpus mixtum, quod quidem componitur ut dicemus ex elementis; adeo ut retineat elementorum qualitates saltem refractas; cum tamen alia elementa ex iis hoc modo non resultent. Item dicuntur elementa esse, in quæ alia, scilicet mixta resolvuntur. Sic enim lignum, caro, aliaque similia, ubi comburuntur, aut quacumque tandem alia ratione corrumpuntur, abeunt partim in flammam & pulverem; partim in fumos seu in aërem; tum in spumam seu aquam, quæ inde segregatur. Cum è contra aqua quæ est, ut dicemus unum ex elementis, ubi in ignem convertitur, qui est alterum elementum, tunc ignis nihilominus non habet in se nisi proprias qualitates ignis, & ubi corrumpitur non resolvitur aut in aquam aut in aliud elementi genus. Jam verò quantum ad numerum elementorum,

Respondeo secundò, Quod elementa non plura aut pauciora quam quatuor mundum hunc sublunarem componunt, terra scilicet, aqua, aër, & ignis. Ratio autem hujus divisionis est, quia singulis elementis competere debent duæ ex primis qualitatibus; videmus enim quod ignis proprietas est calor & siccitas cum summa levitate: quod aëris proprietas est calor & humiditas, adjuncta minori levitate: quod aqua habet humiditatem simul cum frigore & gravitate: Terra denique frigus cum siccitate, quam sequitur gravitas summa: ergo cum singulæ ex combinationibus primarum qualitatum sint proprietates alicujus elementi, quod dicitur de hujusmodi combinationibus quantum ad numerum, pari modo statuendum est de numero elementorum: sed combinationes illæ primarum qualitatum nec plures nec pauciores sunt, quam quatuor: ergo & totidem sunt & esse debent elementa, ea scilicet quatuor, quæ jam enumerata sunt, & quæ omnino percipiuntur à nobis; puta terra, aqua, aër & ignis, quæ quidem quatuor elementa talem inter se servant situm & ordinem, ut terra ad mundi centrum posita sit; terra autem diversis partibus excavata, aquas continet, cum quibus unum efficit Globum. At Globus ille terraqueus, ambitur aëre undequaque circumfuso, ut patet experientia. Ac tandem Sphæra ignis supra locum tenet ad Lunæ concavum. Nam datur de facto *ignis*, ut patet experientia de nostro igne usuali; & de ignibus subterraneis; nec probabile est, totum elementum ignis hoc pacto extra locum sibi debitum existere, cum nulli alteri naturali corpori hoc contingat: ergo de facto existit supra aërem in loco sibi debito. Quemadmodum enim terra pro summa sua gravitate postulat locum infimum; ita ignis inter cætera elementa, pro sua levitate, per quam ascendit semper supra aërem, de facto etiam postulat suum habere locum supra aërem: & sic verificatur id quod refert scriptura, puta quod jussu Eliæ ignis de cœlo descendit.

Notabis autem pro quibusdam solvendis ratiunculis, quæ solent objici contra ea quæ diximus & dici solent de Sphæra ignis sub concavo Lunæ, quod quando Arist. 4. *Meteororum c.* 4. dicit hujusmodi ignem propter consuetudinem vocari ignem, & non esse ignem quod solum intendit Philosophus, non esse ignem nostro usuali & impuro similem, non autem quod non sit simpliciter ignis. Neque frustra & sine utilitate sic supra aërem existeret: sic enim est utilis saltem ad constituendum & integrandum hunc mundum elementarem. Neque obstat, quod in eo loco non habeat pabulum: ignis namque de se non indiget pabulo ut con-

conservetur, tempe cum est in proprio loco; nam perinde ac aliæ substantiæ, per se in rerum natura conservari potest; & de facto sic apud nos conservatur aliquamdiu intra puros ferri candentis, fuitque per artem antiquis olim cognitam, diu conservatus in sepulchro Tulliæ Ciceronis filiæ . . in quo reponibus Pauli III. Pontificis maximi reperta est ardens lucerna, quam consequenter annos circiter 1550. ita perdurasse oportuerat. Quod autem ignis ille elementaris non luceat noctu, nec à nobis visu deprehendi possit, sicut noctu videtur candela accensa, hoc ideo est, quia obstat nimia ejus raritas, qualis in flamma candelæ non reperitur, quia materia crassiori nutritur; denique nec propterea sequitur quod ignis ille deberet absumere aerem, tum demum mundum universum: quomodo scribit Aristoteles, quod si astra forent ignea, ex iis arderet mundus universus: ignis enim ille pro sua raritate parum habet activitatis in aerem, qui etiam illi pro sua humiditate multum resistit. Deinde cum aliquid aeris una ex parte in ignem convertitur, tantumdem ignis convertitur in aerem ex alia.

Quæres secundo, quo perfectionis gradu singulis elementis conveniant propriæ qualitates.

Respondeo esse ignem calidum & siccum in summo: aërem vero calidum & humidum citra summum, seu in remisso: aquam humidam in summo, & frigidam citra summum: terram denique frigidam in summo, & ficcam in remisso. Primo quidem est ignis calidus in summo, quod quidem ex eo patet, quod summè omnium calefacit: ex hoc autem calore in summo ortum habet & siccitas in summo; cum quo major est calor eo certum potentior sit, ut consumat vel evaporet humidum, subindeque ut siccitatem causet, atque ita omnino consumat humidum & siccitatem causet consequenter in summo, hoc ipso quod supponitur calor in summo. Jam vero quod sit aer calidus & humidus in remisso ex eo colligitur, quod cum calor sit causa levitatis & raritatis, quæ quidem duæ qualitates competunt aëri, debet cõsequenter aër esse calidus: non potest autem esse calidus in summo, cum calor in summo sit proprietas ignis, ut dictum fuit: ergo est aër calidus in remisso: sed sic est quod quilibet caloris gradus est suo modo consumptivus aut evaporativus humiditatis: ergo cum sit aër ex sui natura humidus, tum quia de facto humectat, præsertim ubi est purior, & non habens exhalationes siccas sibi admixtas; tum quia ex sui natura facile terminabilis est terminis alienis, in quo consistit ratio & quidditas humidi non nisi in remisso est talis, calidus scilicet & humidus.

Jam vero aqua est humida in summo & frigida citra summũ, quod

quod quidem quantum ad primum ex eo colligitur, quod debet humiditas aquæ vel aëri competere in summo : sed magis habet aqua de humiditate quam aer, cum quia magis humectat quam aer, qui etiam aliquando exsiccat, nunquam tamen aqua; tum quia ut dicebamus calor etiam in remisso qui quidem supponitur in aere non potest non evaporare & consumere aliquid de humiditate: ergo debet aquæ competere humiditas in summo; unde ulterius sequitur non esse aquam frigidam nisi in remisso; cum frigiditas in summo non sit compatibilis cum summa humiditate, eo quod summum frigus constringit & effluere facit humidum; tandem dicitur terra frigida in summo, & sicca in remisso. Etenim frigiditas in summo competere debet vel terræ vel aquæ; unde cum non conveniat aquæ, ex eo scilicet quod non est compatibilis cum summa ejus humiditate, debet consequenter convenire terræ; & ideo profundiores speluncæ frigidissimæ sunt, quod signum est quod in visceribus ubi elementum est in naturali dispositione, est frigidissimum. Quod autem siccitatem non habeat terra in summo gradu, sed citra summum, ex eo patet, quod unaquæque qualitas elementaris inesse debet duplici elemento, uni in gradu summo & alteri citra summum, quia scilicet in eo gradu, in quo una qualitas alicui convenit elemento est propria passio ipsius, adeoque nequit in eodem gradu alteri convenire : ergo cum igni conveniat ut diximus in summo, quia summus calor est magis incompossibilis cum aliqua humiditate, quam summum frigus, non nisi citra summum habere potest terra siccitatem.

Notabis autem pro quibusdam solvendis, quæ in contrarium afferri possent, quod quando dicit Philosophus, ignem esse magis calidum quam siccum: & sic per proportionem de aliis elementis, ideo sic loquitur Aristoteles quod in singulis elementis una ex illis qualitatibus speciali modo suos effectus exerceat, sitque magis sensibilis, non autem quod nullum elementum suas habeat qualitates in æquali gradu. Item quod quamvis terra sit summè frigida, non propterea debet magis frigefacere, quam aqua, etiam si sit densior aqua : illæ namque qualitates magis quidem agunt in subjecto, si tamen cætera sint paria. Unde aqua magis frigefacit quam terra, licet, sit terra frigidior, propterea quod propter suam humiditatem magis applicatur aquæ & magis sese insinuat in poros corporis, quam terra. Notabis tandem, quod quando siccum definitur illud quod facilè terminatur termino proprio, difficilè alieno: humidum è contra quod facilè terminatur termino alieno, difficilè proprio, intelligendæ

gendæ sunt definitiones illæ de sicco & humido, cæteris quoad raritatem aut densitatem paribus ; nam alioquin si siccum sit rarum, & humidum densum, fieri poterit ratione raritatis aut densitatis, ut illud difficilius terminetur termino proprio, & illud facilius: & sic contingit in terra comparative ad ignem; & in aere comparativè ad aquam: terra namque licet minus sicca quam ignis, ob suam tamen maximam densitatem & soliditatem facilius terminis propriis contiaetur, quam ignis: aer autem ex opposito licet minus humidus, tamen propter majorem raritatem difficilius terminatur termino proprio.

Quæres 3. quæ sit natura primarum hujusmodi elementarium qualitatum.

Respondeo rectum Aristotele, quod si considerentur hujusmodi qualitates in ordine ad generationem mixti, has habent proprietates, per quas etiam definiti seu describi solent. Primo calor seu calidum dicitur esse id quod per se *congregat homogenea*, id est ea quæ sunt ejusdem rationis & naturæ, aut quæ habent eandem liquationem, ut plumbum & stannum ; aut possunt venire in compositionem unius naturæ ; qua ratione multi cibi veniunt in compositionem ejusdem Chyli. *Heterogenea vero disgregat*: quomodo si quid liquefiat, partes graviores simul fundum petunt, leviores sursum ascendunt, sicque ab iis segregantur.

Secundò autem frigus *de se* homogenea simul atque heterogenea congregat. Dum enim aqua vel cera congelatur, lapides, paleæ, aliaque similia admixta constringuntur: per accidens tamen disgregat homogenea: ut quando lapides nimio ex frigore disrumpuntur, quatenus videlicet partes aliæ ad alias per vim frigoris nimirum comprimuntur, aut vi rarefactionis ab invicem separantur.

Tertiò, humiditas est per quam res proprio termino de se terminari non possunt, facile autem terminantur termino alieno; hoc patet in aqua & in aere: facilè enim accipiunt figuram illius rei qua includuntur; ex se autem nullam propriam habent, nisi forte ex congelatione, ut in aqua, sed hoc per accidens est. Præterea vero hæc humidi est virtus, ut simul liget & quasi continuet inter se partes in mixto.

Quartò denique siccitas est per quam de se res propriis terminis facilè terminantur, difficile autem alienis, ut patet in terra & lapide. Quamquam *per accidens* & aliunde, nempe ex nimia raritate & tenuitate habeat ignis ut propriis terminis non terminetur, facile autem accipiat alienos.

Respon-

Respondeo 2. præfatas qualitates esse ex natura sua tum positivas, tum activas qualitates; & quidem primo quod positivæ sint, probatur de frigore contra Cardanum. Quia si frigus foret tantum aliqua privatio, non generaret aliud frigus, non pareret sensui voluptatem aut dolorem; item calor non haberet contrarium, nihilque obstaret quin produceretur in instanti, perinde ac lumen; tandem si frigus & siccitas essent tantum privationes, terra veram & propriam qualitatem non haberet; nec ignis & aër agerent ad invicem, quia contrarietatem non haberent. Neque Aristoteles aliquando vocat frigus privationem caloris, nisi in sensu causali, quatenus illum expellit, non autem in sensu formali. Quod autem sint omnes activæ, quamvis non æqualiter probatur ex eo quod in doctrina Aristotelis omnia elementa sunt activa & passiva ad invicem: quod non contingeret, si qualitates illæ omnes non essent activæ. Item experientia constat quod corpora sale condita, propter salis exhalationes siccas exsiccantur, servanturque ab humiditate, ratione cujus putrefierent. Contra vero quæ sicciora sunt ea videmus variis modis humectari; cum tamen humiditas illa ita humectans & superans nimiam illam siccitatem neque oriatur à calore, siquidem reperitur in aqua simul cum frigore etiam intenso; neque à frigore cum reperiatur in aere simul cum calore: sunt ergo humiditas & siccitas qualitates activæ. Neque ex Aristotele vocantur duæ illæ qualitates *passivæ*, nisi quatenus in generatione mixti siccum & humidum quasi patiuntur tantum à calore aut frigore, quia calor & frigus in agendo primas partes tenent; humiditas namque & siccitas non sunt multum activæ nec ad magnam distantiam; sive defectu virtutis in agendo, sive eo quod sibi invicem maximè resistant; unde videmus quod ab aqua frigus etiam intensissimum expellitur, non autem humiditas; quod per proportionem dicendum est de siccitate terræ; & ita magis sunt ad resistendum quam ad egendum; nec de sa institutæ sunt illæ qualitates, nisi ad continuandas aut continendas seu terminandas partes mixti.

Respondeo 3. istas quatuor qualitates inter qualitates elementares esse ex natura sua & vocari *primas*, quia ex natura sua non oriuntur ex aliis qualitatibus, ex iis vero aliæ oriuntur, ut gravitas & levitas in ipsis elementis, quomodo præterea in mixtis corporibus oriuntur & aliæ generis diversi, quæ idcirco appellantur *secundæ qualitates*, puta color, odor, sapor, aliæque innumerabiles, per quas exercetur sympathia & antipathia inter res naturales, aut per quas specifici effectus tam diversi existunt.

Ne-

Neque obstat, quod ex lumine oriatur calor: Quia hic agitur de rebus elementaribus; lumen autem non est qualitas propria elementorum, cum sit communis cœlo. Item siccitas oritur quidã à calore, sed per accidens tantum dicitur calor exsiccare, quatenus scilicet ab eo partes humidæ rarefiunt, & redduntur leviores; quo pacto resolvuntur in vaporem, relictis solum partibus siccis. Notabis autem easdem vocari *primas tactiles & sensibiles*; quatenus si quid tangimus, illæ primo & per se tactu percipiuntur. Item notabis, eas etiam dici *primas contrarias*; quia ratione tantum illarum elementa exercent contrarietatem ad invicem. Nam substantiæ ut sic juxta Aristotelem nihil est contrarium. Nec alioquin sine illis contrarietatibus elementa generationibus naturalibus servire potuissent, nec reperiri in aliis corporibus temperamenta idonea.

Quares 4. quæ sit natura gravitatis & levitatis elementorum.

Respondeo 1. gravitatem quæ definiri solet principium motus naturalis deorsum in corpore gravi, & levitatem quæ est principium motus sursũ in corpore levi, esse ex natura sua distinctas & à re gravi & levi; nec non & à primis qualitatibus. Constat quãtum ad primum de homine. Non enim ipsius gravitas idem esse potest cum anima, quæ spiritualis est; nec cum materia prima quæ de se indifferenter reperitur modo in corpore gravi, modo in levi; idem etiam constat in aqua & terra, dum in halitus resolvuntur, deposita propria gravitate. Alioquin, si gravitas idem esset cum re gravi, sequeretur manente eadem re debere eandem manere gravitatem. Quod autem nec sint idem realiter cum primis qualitatibus ex eo patet, quod ferrum candens verbi gratia, factã mutatione in primis illis qualitatibus eandem retinet gravitatem. Item nec sunt idem cum raritate aut densitate: Nam glacies aqua densior fit nihilominus levior, unde & ipsi aquæ supernatat. Huc adde, beatorum corpora primas qualitates & densitatem eandem retinere sine ulla gravitate: gravitas ergo & levitas sunt qualitates rebus elementaribus realiter superadditæ, & ab alio genere qualitatum realiter distinctæ; ita quod levitas oriatur maximè à calore, juncta raritate, ut patet in igne & aere, tum in aqua & terra, quando in halitus resolvuntur: contra autem gravitas præcipuè oritur à frigore, juncta densitate, ut patet in terra & aqua.

Respondeo 2. gravitatem & levitatẽ duas esse qualitates à se invicem realiter distinctas; sunt enim ad effectus per se oppositos & contrarios, nempe ad mõtum *sursum* & *deorsum*. Itẽ gravitas

&

& levitas per se sunt ex principiis oppositis; nam ut jam dictum fuit levitas de se est à calore juncta raritate; contra vero gravitas est à frigore juncta densitate: ergo distinguuntur realiter ab invicem duæ illæ qualitates: gravitates tamen perinde ac levitates in diversis elementis non distinguuntur specie; satis enim est, ut differant secundum magis & minus. Quomodo gravitas terrea semper de se intensior est quam aquea, unde & grave terreum semper tendit infra aquam. Notabis demum, quod licet aer non sit summè levis, nihil tamen admixtum habet de gravitate; frustra enim esset; unde commune illud dictum, puta quod quantum deest de uno contrario, tantum debet esse de alio, intelligendum venit, quando scilicet deest secundum illum gradum quo connaturale est subjecto; non autem intelligendum est quod tantum debeat esse de alio, quantum deest de uno absolutè & secundum totam latitudinem quam habere potest spectato: & sic concedi quidem debet, quod quantum deest aeri de calore, humiditate aut levitate connaturali, tantum adesse debet de contrariis, non verò quantum deest de hujusmodi qualitatibus remissis supra gradum in quo connaturales sunt.

Quæres 5. & *ultimo*, utrum quiescant elementa in proprio loco; adeo ut in illo nec levitent nec gravitent.

Respondeo, nullum elementum in suo loco naturali aut gravitare aut levitare; sicque nec aquam contra terram gravitare, nec illam premere; nec etiam aerem contra ignem levitare. Pro quo notandum est & supponendum, corpus grave non gravitare nisi quando est supra levius se, nec levitare levia nisi quando sunt infra grave aut minus leve, ut patet experientia: ea enim quæ in aqua fluitant, fundum non petunt, nec in eam immerguntur, nisi juxta proportionem, quâ superant gravitatem illius fluidi; eamque ob causam ferrum & lapides fluctuant in hydrargyro seu argento vivo: sed sic est quod elementum in proprio loco, si grave sit non est supra levius se, nec est infra grave aut minus leve, si sit leve elementum, ut per se patet: Ergo nullum elementum habet in proprio loco gravitare aut levitare. Quod confirmari potest, ex eo quod frustra id fieret, cum illæ qualitates motivæ non ordinentur nisi ad constituenda elementa in propriis locis; ergo cum sit rerum omnium lex communis, ut obtento fine in eo quiescant, non est cur elementa in propriis locis supposita motum aut nisum ad motum ultra habere debeant.

Ex his autem ulterius infertur, partes unius elementi non gra-

gravitate aut levitate in alias partes ejusdem elementi, modo sint homogeneæ, id est iisdem affectæ qualitatibus & sub eadem raritate aut densitate; tum quia grave ut dictum est, non gravitat nisi in leve aut minus grave; tum quia si partes aquæ inferiores premerentur à superioribus, condensarentur iste, nec fieri etiam posset quin urinatores sentirent magnum pondus sibi incumbens: non igitur pars una elementi gravitat aut levitat supra alias partes ejusdem elementi; & ideo qui aquam hausit situla, nullam in ea tollenda sentit resistentiam quamdiu est intra aquam: contra autem, quando est extra aquam.

Notabis autem pro quibusdam solvendis experientiis quæ contrarium afferri possent, quod quamvis cymba aut situla vacua quæ in aqua innatabat, ubi postea repletur aqua, fundum petat, non propterea sequitur quod aqua ut talis premat in aquam, subindeque & quod pars una elementi in aliam ejusdem rationis & gravitatis premat & gravitet: talis namque cymba aut situla vacua innatabat ob aerem quem continebat. Tum postea aqua accedens, cum cymba aut cum situla quæ est gravitatis terreæ unum constituit agens totale diversæ gravitatis à gravitate aquea, inde consequenter mitum non est si fundum petat, cum sit tunc magis gravis & diversæ gravitatis. Qua etiam de causa si homo vas gestet aqua plenum, sentit ipsius pondus, tuncque per accidens aqua in illum premit, quatenus facit unum agens totale cum gravitate terrea vasis.

QUÆSTIUNCULA.

An qualitates contrariæ elementares possint se simul compati in eodem subjecto.

RESPONDEO *primò*, quod loquendo de qualitatibus illis contrariis elementaribus in gradibus intensis, possunt divinitus in eodem simul reperiri subjecto; adeo ut de potentia Dei absoluta fieri possit, simul reperiri frigus in summo cum summo calore; hujus autem fundamentalis ratio est, quia si aliquid obstaret, id esset quia cum ex propria natura contrariorum unum petat expellere aliud, unum consequenter contrarium subjectum informat cum privatione alterius, ex quo videtur sequi, non esse minus incompossibilia, quam privativè opposita: atqui quod una contraria qualitas putà frigus subjectum informet cum privatione alterius puta caloris, potest divinitus impe-

diri: ergo fieri potest divinitus, quod contrariæ illæ qualitates in gradibus intensis, in quibus maximè contrariæ sunt simul reperiantur in eodem subjecto. *Maior* conceditur. *Probatur Minor*, ubi non importatur privatio nisi secundariò & consecutivè ad informationem, fieri potest divinitus, quod informet forma seu qualitas sine privatione alterius: sed non importat qualitas elementaris contraria privationem alterius nisi secundario & consecutivè ad ipsius informationem: ergo impediri potest divinitus, ne talis contraria qualitas subjectum informet cum privatione alterius. *Major* est certa; cum enim privatio ita solum secundariò & consecutivè se habens ad formam informantem, non sit de pertinentibus ad essentialia informationis, non est cur non possit divinitus esse præfata informatio sine tali privatione; sicut nec negatur, posse duas quantitates penetrari, & non se expellere à loco, quia expulsio illa est effectus dumtaxat secundarius. *Probatur minor*, & quidem duplici medio.

Primò, privatio quam dicit una qualitas respectu contrariæ qualitatis est privatio expulsiva, sive expulsio aut fundata in expulsione, cum fundetur supra rationem contrariorum, ad quæ pertinet se mutuò expellere: sed privatio illa expulsiva sequitur & consecutivè se habet ad qualitatem ut informantem, cum omnis expulsio sequatur ad causam expellentem: ergo non importat qualitas illa contraria privationem alterius nisi secundariò & ut consecutivè se habentem ad ipsius informationem.

Secundò, privatio illa quam dicit calor verbi gratia respectu frigoris, seu una contraria qualitas respectu alterius potest tantum se habere ad qualitatem ut informantem vel consecutivè & secundariò, ut jam dictum est, vel præsuppositivè & ut prærequisita ex parte subjecti ad ejus receptionem: non enim potest privatio seu privativum se habere per modum informantis, & sic si à qualitate informante requiritur, potest tantum requiri, vel præsuppositivè & ut prærequisita, vel consecutivè, ut jam fuit expositum: sed privatio quam dicit contraria qualitas elementaris respectu alterius verbi gratia calor respectu frigoris non potest se habere ad calorem præsuppositivè & ut prærequisita ex parte subjecti ad ejus receptionem; cum calor ut recipiatur prærequirat solum ex parte subjecti quod sit in potentia calidum, in quo quidem nulla importatur privatio frigoris, quin imo potius importatur privatio caloris: ergo privatio illa quam dicit calor respectu frigoris seu una contraria qualitas elementaris respectu alterius, se habet solum secundariò ad

qualita-

qualitatem informantem, & ut consequens ad ipsius informationem; subindeque impediri potest divinitus ne informet hujusmodi qualitas cum tali privatione contrariæ qualitatis, & sic fieri potest divinitus quod etiam in gradibus intensis possint esse simul. Jam vero quantum ad gradus remissos.

Respondeo 1. quod loquendo de qualitatibus contrariis elementorum in gradibus remissis, possunt illæ etiam naturaliter esse simul. Hujus autem ratio à priori est, quia istæ qualitates latitudinem habent in crescendo: ergo debent etiam habere latitudinem in expellendo: sed latitudo illa in expellendo in eo consistit, quod aliquid contrariæ qualitatis possit esse in subjecto, antequam alia opposita sit omnino & totaliter expulsa: ergo debet una contraria qualitas secundum aliquem vel aliquos sui gradus esse posse cum altera, subindeque & esse cum alterâ in remisso. Adde quod dari non potest actio & reactio, nisi habeat agens qualitatem unam qua agat, & contrariam recipiat, quâ patiatur: ergo tunc debent esse simul contrariæ illæ qualitates in subjecto: sed non in gradibus intensis, quia ipsa actione & repassione debilitantur & temperantur: ergo debent tunc esse simul in gradibus remissis, vel saltem una in gradu excellenti, & altera in minus perfecto.

Dices primò, contra primam resolutionem: non magis nec intimius forma una substantialis importat privationem alterius, quam qualitas contraria elementaris privationem alterius qualitatis: quin imo magis videtur importari privatio illa in qualitatibus contrariis, cum ex eo quod qualitates illæ se expellunt & excludunt, se consequenter excludant substantiales formæ: sed forma una substantialis ita & taliter importat privationem & exclusionem alterius, ut etiam divinitus non possint esse simul: ergo idem dicendum est de qualitatibus contrariis, saltem in gradibus intensis, in quibus scilicet sunt omnino contrariæ.

Respondeo distinguendo majorem: non magis nec intimius forma una substantialis importat privationem alterius, quam qualitas contraria elementaris privationem alterius qualitatis: loquendo de formis substantialibus & qualitatibus in se & secundum se Concedo: loquendo de illis non secundum se sed comparativè ad subjectum quod afficiunt & informant Nego majorem. Ratio autem hujus solutionis est, quia privatio, quam importat forma una substantialis respectu alterius se habet præsuppositivè ad illam ut informantem, & ut præequisitam ex parte subjecti, ut talem recipiat formam; propterea quod se

habent substantiales formæ ut dantes primum esse seu esse simpliciter, adeoque supponunt & prærequirunt ex parte subjecti non dari in eo priorem aliquam formam dantem prius esse, in quo quidem importatur privatio alterius formæ; unde cum privatio illa alterius formæ ita prærequisita ex parte subjecti non pertineat ad dispositionem, cum privatio non sit aliquid positivum, quale debet esse disponens & determinans, debet per consequens pertinere ad habilitatem & capacitatem subjecti; sicque ita intimè importatur privatio illa in subjecto substantialis formæ, subindeque & à substantiali forma ut efficiente & informante subjectum, ut etiam divinitus informare non possit sine tali privatione ut præsuppositâ, cum sine ea non sit capacitas in subjecto ut dictum fuit: sed sic est, quod non currit hæc ratio in qualitatibus contrariis elementorum; ut enim dictum fuit in responsione ad quæsitum, calor non prærequirit ex parte subjecti nisi quod sit in potentia calidum, in quo quidem nulla importatur nec explicatur privatio frigoris: ergo quamvis secundum se sumptæ formæ substantiales non intimius importent privationem sui invicem quam contrariæ qualitates, etsi tamen magis & intimius importent comparativè ad subjectum quod informant, non est per consequens pari modo Philosophandum in præsenti de formis substantialibus, & sic de cæteris, quæ ita privationem præsupponunt ex parte subjecti, ac de qualitatibus contrariis elementorum.

Dices secundò, una contraria qualitas non habet aliam expeliere nisi in genere causæ formalis, cùm se expellant ut in subjecto, & non sint in subjecto nisi ut formæ: ergo ipsa informatio unius contrariæ qualitatis est etiam formalis expulsio alterius: sed cum expulsione stare non potest & permanere forma expulsa: ergo nec cũ informatione unius stare potest forma altera.

Respondeo distinguendo consequens: ergo ipsa informatio unius contrariæ qualitatis est etiam formalis expulsio alterius, ita quod sit talis formalis expulsio consecutivè & secundario Concedo: ita quod sit talis formalis expulsio primario & essentialiter Nego: & concesso subsumpto nego ultimam consequentiam, sensus autem solutionis est, quod forma etiam in genere informandi suos habet effectus secundarios, sicut extensio substantiæ in ordine ad locum dicitur effectus formalis secundarius quantitatis: formalis quidem quia causatur ex informatione & communicatione ipsius quantitatis; secundarius verò quia consequitur ad extensionem ejusdem substantiæ in ordine ad secundæ sicut non repugnat, quod ipsa quantitas substantiam

in-

informet sine tali extensione in ordine ad locum, quamvis illa sit effectus formalis, propterea quod non est nisi effectus secundarius; ita similiter cum expulsio contrariæ qualitatis, quamvis sit effectus formalis qualitatis informantis, non sit tamen effectus, nisi secundarius & consecutivè se habens ad qualitatem ut informantem, ut supra probavimus, & consequenter sit, quod possit contraria qualitas informare divinitus subjectum sine tali expulsione contrariæ qualitatis, in tali autem casu utraque qualitas suũ simpliciter denominabit subjectum positivè, cum utraque supponatur in gradu intenso, non tamen denominabit cũ privatione alterius, quia hæc impeditur divinitus, & sic denominabitur tunc subjectum calidum & frigidum, non tamen calidum & non calidum.

Dices tertiò, impossibile est, moveri aliquid motibus contrariis: nec enim fieri potest quod accedat aliquid simul & recedat: sed si duæ contrariæ qualitates poni possent in eodem subjecto, moveretur illud motibus contrariis, cum talia acquirendo moveretur ad contrariate: ergo impossibile est, quod duæ contrariæ qualitates fiat ita simul in eodem subjecto.

Respondeo distinguendo majorem: impossibile est, moveri aliquid motibus contrariis, si sint motus contrarii penes accessum & recessum circa eandem formam vel eundem terminum Concedo: si autem sint & dicantur contrarii motus penes acquisitionem contrariarum formarum ut supponuntur in præsenti Nego majorem. Verum quidem, quod ubi agitur de motibus contrariis penes accessum & recessum circa eandem formam, sicut sunt v. g. generatio & corruptio respectu ejusdem, non possunt tales motus etiam divinitus jungi simul, cum ibi esse unius sit hoc ipso non esse alterius: at ubi sunt & dicuntur motus contrarii, quia sunt ad contrarios terminos sive, quia sunt acquisitiones formarum contrariarum, cum tunc pari modo philosophandum sit de motibus contrariis ac de formis ad quas sunt motus, non est unde negetur posse idem subjectum moveri motibus ita & taliter contrariis, si semel sit ostensum, posse idem subjectum simul subesse contrariis formis.

Dices quartò, contra responsionem ad secundum, quod qualitates contrariæ etiam remissæ sunt verè contrariæ; alias tota contrarietas qualitatum consisteret in gradu, non autem in entitate qualitatum: ergo etiam ut remissæ participare debent definitionem contrariorum: sed contraria ex sui definitione habent se mutuo expellere, non autem se simul compati: ergo non possunt qualitates remissæ, hoc ipso quod contrariæ sunt se simul naturaliter compati in eodem subjecto.

Respondeo distinguendo subsumptum: sed contraria ex sui definitione habent se mutuo expellere, ita quod sensus definitionis sit quod in aliquo sui statu habent se mutuo expellere. Concedo ita quod sensus definitionis sit, quod pro omni sui statu debent se mutuo expellere. Nego; sicut ergo homo dum adhuc infans verè est homo & verè participat definitionem hominis, quamvis pro statu infantiæ non sit ratiocinativus, propterea quod etiam pro statu infantiæ verificatur quod pro aliquo statu sit ratiocinativus, licet non pro omni statu: ita similiter philosophandum est in præsenti, & dicendum, quod ipsæ qualitates contrariæ etiam in remisso participant definitionem contrariorum, quodque ratione entitatis & non tantum ratione status exercent contrarietatem; ita tamen quod ratio contrarietatis sit quidem in entitate, requiratur autem intensio & remissio tanquam conditio & status pro modo expulsionis, sive pro exercenda expulsione illa quæ sequitur ad contrarietatem; & sic non absolutè se expellunt in quocumque gradu, quamvis in omni gradu contraria sint, non quidem defectu illius quod est ratio contrarietatis, habent enim pro omni statu entitates contrarias, sed defectu status sive conditionis pro tali exercenda expulsione requisitæ.

COROLLARIUM

De variis ad elementa in particulari pertinentibus.

Quæres primò, circa elementum terræ quid sentiendum sit de sententia illa copernici statuentis, nec firmamentum nec solem motus illos habere; quin potius ipsum solem in centro mundi sic esse dispositum; ut circa illum Tartaqueus Globus Sphæra Lunæ inclusus agitetur.

Respondeo esse hujusmodi dicendi modum omnino repudiandum; quod quidem imprimis colligitur ex sacræ scripturæ authoritate, de qua dicit D. Augustinus, *in secundo super Genesim ad literam*: quod major est scripturæ sacræ authoritas quam omnis ingenii nostri capacitas. Legimus enim psal. 103. *Terram esse fundatam super stabilitatem suam; nec inclinari in sæculum sæculi.* Item legimus Ecclesiast. 1. *oriri solem & occidere & ad locum suum revérti. Gyrare per meridiem & flecti in aqui-*

aquilonem ; & lustrare universa in circuitu. Item legitur Iosuë 10. *justus est sol stare :* denique Isaiæ 38. dicitur *reversus decem lineas per gradus quos descenderat.* Quia vero intelligentia locorum ejusmodi sacrorum ab adversariis in alienum sensum detorquebantur : ideò non semel eorum doctrina ab inquisitione Romana proscripta est tanquam fidei & scripturæ contraria. Eamque ob causam Galilæus insignis Mathematicus decreto illius inquisitionis fuit carceri mancipatus, ut scribit Spondanus ad annum 1633. nec posteà propugnatores habuit ; nisi vel socios aliquos ad ostentationem vel hæreticos in contemptum Romanæ Ecclesiæ. Probatur autem insuper falsitas hujus opinionis ratione Physicâ, ex eo scilicet quod terræ moles cum tantæ sit gravitatis non videtur esse illi motui idonea ; quin potius ex eo statuendum est, infimum tenere in mundo locum ad quem videmus tendere omnia gravia ; adde quod in tali hypothesi Copernici fieret, ut aëris obsistentis contrarietas sentiretur, in terræ motu adeò vehementi : Item quod facis accensæ flamma in oppositam partem distraheretur uti videmus contingere, quando quis facem accensam gestans velocius currit : item & quod lapis sursum projectus in eundem terræ locum non recideret.

Notabis autem pro quorumdam solutione quæ possent objici, in contrarium frustra quidem esse tot cœlorum & tam multiplices motus, si hæc omnia per motum solius terræ præstare possent eodem modo & unusquisque naturæ proportionato : actum pugnet contra naturam corporis gravis ita moveri, ideò quamvis hæc omnia absolutè præstari possent per motum terræ solius, non propterea frustra sunt tot illi cœlorum tamque multiplices motus. Unde ad id quod dicunt, quod perfectibile quærit potius perfectivum, movetur que ad ipsum ex propria illi indigentia, non autem perfectivum debet moveri ad perfectibile ; neque verò, ut ajunt, ignis ad carnem coquendam solet circa ipsam converti, sed potius caro circa ignem : ad id, inquam, responderi debet perfectivum etiam aliquando accommodari perfectibili, & ad ipsum moveri, quando scilicet illud rei natura, & sapientiæ ordo postulat, ut de facto postulat in præsenti.

Quæres secundò, de magnitudine terræ & de variis illius regionibus secundum profunditatem.

Respondeo primò, quod quamvis terræ Globus absolutè loquendo sit moles quædam ingens ; respectivè tamen ad cœlum firmamenti est instar puncti cujusdam. Ita vulgo Mathematici cum Aristotele. Ratio est quia nobis apparet dimidia pars cœli, periadè ac si essemus in centro mundi. Item stellæ firmamenti,

quamvis nonnullæ sint centies majores quam terræ Globus, non apparent tamen nisi veluti quædam puncta lucida: ergo à fortiori existimandum est illud de terrâ, comparativè ad firmamentum. Ita si quis ex firmamento spectaret partem ipsius firmamenti diametraliter oppositam, nihil ipsi obstaret terra; quo pacto caput aciculæ longe positum non impedit quo minus candelam aut obiectum aliud simile totum perfecte prospiciatur.

Respondeo secundò, quod maximus terræ ambitus, qui quidem variis modis haberi potest, desumi potest & commodius desumitur ex elevatione poli duorum locorum, puta urbium duarum ab invicem ita distantium sub eodem meridiano, ut polus in uno loco sit magis elevatus vel uno gradu, vel aliqua parte gradus unius tibi nota v. g. quarta parte, ex qua possis concludere de toto gradu. Hæc autem suppositâ observatione, deprehenderunt periti Geometræ uni gradui cœlesti respondere in terra omnino triginta leucas Gallicas; quare ut totus habeatur circuitus graduum 360. numerus iste multiplicandus est per triginta; sicque fient 10800. leucæ Gallicæ pro maximo terræ ambitu.

Respondeo tertiò, molem hanc terræ universam si sumatur secundum profunditatem, vulgo dividi in tres regiones; quarum quidem prima dicitur ea quæ citima est superficiei. Secunda est infra, in qua ut plurimum fiunt generationes lapidum, metallorum, &c. in qua etiam reperiuntur meatus & veluti canales, per quos è mari devoluntur aquæ ad generationes fluviorum ac fontium. Item ad hanc pertinent & ignes subterranei, postea verò & terra pura usque ad centrum, in quo esse constitutum carcerem damnatorum credimus.

Quares tertiò, de fœcunditate terræ.

Respondeo 1. terram de se, pro sua siccitate & frigiditate esse infœcundam. Quare ut educandis fovendisque stirpibus redderetur idonea, debuit omnifariè ex parte fieri porosa, & pervia vapori calido & humido, simulque aëreo quos appellare solent spiritus vegetabiles; porro vapor & spiritus hujusmodi supeditatur maximè ex aquis subterraneis, vi caloris subterranei in eas agentis. Eamque ob causam ubi frigore hyberno terræ superiores poros constringente, vapores subterranei foràs prodire nequeunt, tunc melius aluntur propaganturque stirpium radices. Unde notabis ligone & aratro solere terram inverti, ut illi vapori & spiritibus fiat permeabilis. Quamobrem etiam ros & pluviales aquæ ob ejusmodi spirituum admixtionem irri-

gan-

gandis agris sunt imprimis utiles. Item nix illo turgens spiritu, terramque ut loquitur sacra scriptura, instar lanæ vestiens, unde halituum expirationem impediat, non parum confert ad illius fœcunditatem. Notabis etiam stercoratione & simo quasi impinguari; sic enim plures accipit spiritus vegetabiles, cum uberiori humido veluti radicali & fixo, verum non debet esse pinguior instar argillæ cujusdam: alioquin spiritu vegetabili concipiendo apta non foret ipsumque potius suffocaret.

Respondeo 2. Terram quantum est de se, ut communem rerum penè omnium matrem, ita panspermiam quamdam, seu plantarum ferè omnium semina continere virtualiter. Quod quidem ex eo patet, quod si ex locis profundissimis erueris, soliqueexposueris terram prorsus virginem, & ad quam vegetabilis naturæ semina pervenire non potuerint, videbis tandem ex ea numerosam prolis herbaceæ propaginem exilire; nec quamliber, sed potius ipsi climati seu regioni consentaneam; ut herbarum cultoribus frequenti experimento compertum est, illudque petitur maximè ex climate seu ex cœli aspectu: cum pari modo in omnes terræ regiones non influat. Quamobrem etiam plantæ, quæ sub una cœli plaga fœcundissimæ sunt & fructus salutiferos producunt, in aliis sunt steriles aut pestilentes habent fructus, ut tritum est de malo persico. Notabis autem solere transplantari arbores, eas maximè quæ nascuntur ex semine ut felicius crescant; tum quia cum semen ad proferendum germen exiguas admodum vires habeat, non debet altè in terram defodi, alioquin erumpere & exercere caput nequiret: quam etiam ob causam radices non habet nisi in suprema superficie terræ. Grandiores verò arbores debent altius radices immittere, ac proinde alium in locum sunt transplantandæ; tum etiam quia cum spiritus vegetabiles alendæ stirpi necessarii, maxima ex parte priori in loco jam exhausti sint, ideo fieri debet transplantatio in alium. Quomodo etiam prodest novam subinde terram plantis circumponere; dum ex remotioribus partibus alimentum sibi quærere possint.

Quares quartò, de contractis aquæ qualitatibus & salubritate.

Respondeo primò, aquam, licet de se frigida sit, tum odoris ac saporis expers, contrarias tamen qualitates facilè contrahere. Hinc multis in locis scaturiunt aquæ calidiores, quando per subterraneos meatus spiritibus calidis obsitos, imò & ignium subterra dilitescentium calore torridos transmittuntur, iolentque iis morbis depellendis esse utiles, qui frigoris noxa contra-

huntur. Sic enim sulphurata aqua, ideſt quæ per tractus sulphureos transmeat, nervorum vitia; alluminata & bituminata paralysim curat: quod in fontibus Barbonis contingit. Aquæ autem pugienſes, alkæque minerales, eo quod nitro abundent, renum calori temperando, curandis lienis obſtructionibus, aliſque ſimilibus deſerviunt. Porro ſalcedinem contrahunt ex mixtione ſicci terreſtris indigeſti, aduſtique, vel ubi ſuccum aliquem ſalſum ebibunt, aut ſalis mineras prætervadunt, quæ ita ſunt ſub terris multæ, ut ſe quoque in ſuperficiem producant, & in colles etiam monteſque aſſurgant, ut ſcribit Gaſſendus.

Reſpondeo ſecundò, aquam ſalubrem & maximè potabilem eam eſſe, quæ tenuis, pellucida, levis ſaporum odorumque omnino expers fuerit: ea enim dicitur defæcatior a terrena concretione; quæ conditiones illi aquæ potiſſimum conveniunt, quæ celerius calefit, frigefitque; ſoletque oriri ex iis locis ubi abundat tuphus. At fontanæ aquæ, cum in perpetuo ſint motu præſtant putealibus; iſtæ enim eo quod minus agitentur ſenporem contrahunt.

Quares quintò, de regionibus aëris.

Reſpondeo totum aërem tres in regiones ſolere dividi. Prima eſt infima quæ nos ambit & porrigitur uſque ad eam partem in qua radiorum ſolarium reflectio terminatur, & in qua ſolent nubes conſiſtere; eo quod vapor à terrâ exſtatus, ob majorem aëris ſuperioris tenuitatem ac levitatem nequeat ulterius tendere. Hæc autem vocatur ſecunda aëris regio; nam reliquum ſpatium ad ſpærâ ignis uſque pertinens vocatur ſuprema aëris regio

Quares ſexto, & ultimo de elemento ignis.

Reſpondeo primum dignitate inter elementa eſſe ignem. Quod quidem probatur ipsâ naturâ judice, quæ ſupremum omnium ipſi locum attribuit; ſic enim fieri videmus, ut quæ præſtantiora ſunt locum obtineant eminentiorem: adde quod præſtantiſſimam omnium habet proprietatem vimque agendi perfectiſſimam ex calore ſicco: Quamobrem natura ipſius dicitur ſpeciali modo fæcunda, cum ſimilem generet, minimiſque ex ſcintillis ioſinfinitum creſcat. Nec dicas, quod terra & aqua longè majorem habent fæcunditatem, pluresque ad tuendam animalium vitam pariunt utilitates: id enim probat quidem quod in ratione cauſæ particularis ſunt perfectiora igne, non autem ſecundum rationem ſpecialem elementi ut ſic in eo poſitam, quod elementa mundum conſtituant, tum naturalibus generationibus deſerviant. Iſtud verò longè præſtantiori modo præſtat ignis. Nam ad totum naturalium generationes concurrit per virtutem

tem quasi opificem; cum alia elementa ferè tantum ad eas concurrant in genere causæ materialis.

Respondeo secundò, Quod ubi ignis sursum tendit, ideo solere acuminari in figuram pyramidis, quia tenuiores ejus partes celeriùs ascendunt, crassiores ab imò vel à lateribus fulæ resistunt. Conceptus autem in pulvere sulphurco intra vasa tormentaria ideo prorumpit foras cum impetu Globum propellens, ac tam latè personans; ut debitam sibi raritatem acquirat. Tandem variis interimitur modis, ac primo quidem sciplo per macrorem & quasi sponte, vel deficiente pabulo, vel quando spirare non potest. Item per flatum vehementiorem quo dissipatur. At suffocatur infusâ aquâ nimiâ, non modo quia ipsius naturæ est directè contraria, sed quia etiam obstruit materiæ ignitæ poros, ex quibus particulæ jam dispositæ ad formam ignis recipiendam erumpant. Aquâ autem marinâ non ita facilè extinguitur, quia pinguor est propter immixtas exhalationes.

IN LIBROS DE ORTV ET INTERITV, SIVE DE GENERATIONE & Corruptione.

Ordo Doctrinæ.

TOTUM quod pertinet ad ens mobile motu generationis & corruptionis comprehendit Aristoteles duobus libris; in quorum primo exponit & explicat mutationes ad generationem & corruptionem pertinentes; unde & in eo imprimis explicat & definit generationem substantialem, nec non & mutationem oppositam, sive corruptionem; tum & ipsam explicat alterationem, quæ propinquius ad generationem ordinatur; quæque genericè est una, dividitur vero in tres species, quæ sunt alterario simplex, intensio, & remissio. Item in eodem agit libro de reactione & repassione: tum de condensatione & rarefactione, tum denique de mixtione; tales namque mutationes

tiones sunt de pertinentibus ad generationem & corruptionem, in secundo autem libro descendit philosophus ad explicandum corpora, quibus istæ conveniunt mutationes, quæ sunt elementa & corpora mixta, & circa quæ tria præcipuè considerat; & quidem primo circa elementa quibus qualitatibus prædita sint, quod nos supra in quæstione de mundo elementari resolvimus. Secundo verò circa mixta ostendit quomodo temperata sint. Tertio denique circa omnia, quæ corrumpuntur, hoc unum inquirit, an videlicet possint iterum reproduci, hoc ipso quod semel desinunt esse. Sit ergo in priorem librum.

QUÆSTIO PRIMA.

De generatione, utrum in generatione & corruptione corporis naturalis fiat resolutio usque ad materiam primam.

Quid sit generatio.

PRamittendum primò, Pro habenda notitia naturæ & quidditatis generationis, subiadeque & corruptionis, definiti generationem ab Aristotele, *lib 1. textu 23. mutationem totius in totum nullo sensibili subjecto remanente ut subjecto eodem*, in qua quidem definitione notabis circa primam partem, generationem hanc substantialem dici *mutationem totius in totum*, puta ligni in ignem, ad quod tamen necesse non est, ut totaliter pereat substantia, quæ mutatur; sufficit enim si desinat esse tale totum substantiale, sola desinente vel separata forma substantiali, remanente materia prima. Quia verò generatio ista hoc ipso quod est, & dicitur *mutatio*, connotat terminos *à quo* & *ad quem*, tum *subjectum in quo fit illa mutatio*; Quæ quidem tria, ut dictum fuit in physica universali, vocantur principia intrinseca generationis, ideo circa terminum ad quem de quo inquiri solet in hoc tractatu, notabis eum communiter dici, qui attingitur effectivè per actionem generativam: duplex est, alter quidem terminus *qui*, vel *ut quod*, ille nimirum qui ultimatè attingitur, & in quo sistit generatio; quale est ipsum totum seu compositum à partibus distributivè sumptis distinctum: alter verò terminus ut quo, qui est forma totius constitutiva, qua veluti mediante, attingitur totum. Sic enim dicitur generari equus, homo, lignum, &c. quatenus in materia disposita producitur

De termino ad quem Generationis.

forma

forma verbi gratia aut equi, aut hominis aut ligni : cum hoc tamen discrimine quod forma substantialis, quæ materialis est, attingitur quidem *terminativè*, quatenus per actionem generativam educitur ex potentia materiæ, seu producitur in materia, ut anima equi, dum generatur equus ; at in homine non attingitur nisi *dispositivè*, quatenus vi generationis tales inducuntur dispositiones, quæ de se talem formam exigant.

Jam verò quantum ad posteriores præfatæ definitionis particulas, pura *nullo sensibili subjecto remanente ut subjecto eodem* notabis, subjectum sensibile eo in loco aliud nihil esse, quam substantiam corpoream compositam, seu totum substantiale ; idemque est ac subjectum sensibile *ut quod*, licet non fiat proximè sensibile nisi per accidentia, quæ idcirco dicuntur esse sensibilia *ut quo*. Sicut enim substantia creata, quæ de se est activa *ut quod* non fit tamen proximè activa nisi per superadditas potentias accidentales, quæ idcirco dicuntur activæ tantum *ut quo* ; ita per proportionem substantia corporea, cui tanquam propriétas essentialis competit, ut sit sensibilis, illam tamen sensibilitatem proximè & in actu secundo habere non potest, nisi per accidentia, quæ propterea vocantur ibi sensibilia *ut quo* ; & sic dicimur sentire *ut quod* ipsum ignem calefacientem, videre solem radiantem, audire campanam sonantem & sic de aliis.

Præmittendum secundò, Ex Aristotele 8. *physicorum* generationem unius esse corruptionem alterius, & contra corruptionem unius esse generationem alterius. Quæ tamen propositiones non sunt accipiendæ in sensu formali ; repugnat enim, idem esse formaliter corruptionem & generationem. Quamobrem accipiendæ sunt tantum in sensu causali, vel consecutive, quia scilicet ad generationem formæ unius substantialis, debet fieri corruptio alterius. Nempe cum illa sit natura materiæ primæ, quæ est ipsius generationis subjectum, ut nec viribus agentium naturalium possit corrumpi, nec possit saltem naturaliter existere sine omni forma, aut etiam sub pluribus simul existere ; ideo debet illam generationis & corruptionis vicissitudinem admittere ; eamque maximè ob causam integra stat semper hæc rerum universitas. Item quæ dispositio accidentium contraria est uni formæ substantiali, ac proinde ipsam destruit, conveniens est alteri ipsamque inducit. Sic calor & siccitas in intenso gradu contraria sunt formæ ligni, inducuntque formam ignis. Ita æstus immodicus in corpore animato destruit dispositionem animæ consentaneam, unde necesse est consequenter interire anima, & aliam induci formam.

Quo sensu generatio unius sit corruptio alterius.

Verum

Expenitur quæsti titulus.

Verum hic gravis quæstio est, num recedente forma substantiali in præfata corruptione, simul intereat quantitas cum omnibus aliis accidentibus corporis illius, quod constituebat quantum; ac proinde, quemadmodum vulgò loquuntur, num hoc pacto fiat resolutio usque ad materiam primam, quæ scilicet nuda prorsus remaneat, ut nova subeat forma substantialis, à qua nova quantitas, aliaque prorsus accidentia emanent eo instanti quo introducitur; ut docent Thomistæ: an verò remaneant in genito tum quantitas, tum alia, maxima ex parte, accidentia quantitati immediatè inhærentia, quæ fuerant in corrupto, ut docent alii, illi præcipuè qui dicunt, ipsum totum sive compositum esse tantum subjectum denominationis, non autem inhæsionis respectu quantitatis, aliorumque accidentium materialium, sed ea immediatè inhærere ipsi materiæ primæ, quæ quidem cum remaneat incorrupta in generatione & corruptione compositi, non est, inquiunt, cur omnia perire debeant accidentia, & fieri resolutio usque ad materiam primam.

Præmittendum tertiò, Pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque vim habitura principii, puta quod *non prædicatur substantia materialis completa de materia, sed solum de composito*: quod *non potest forma informare, & non communicare effectum formalem*; quod *subjectum quantitatis habet ex vi illius posse recipere ubi divisibile, & occupare divisibiliter locum*. Ratio autem primi est, quia ex actu & potentia substantiali materiali resultat substantia materialis completa, cum ex illis resultet unum ens completum, quod quidem aliud non est quam substantia materialis completa: sed sic est quod solum compositum materiale est ens, constitutum ex actu & potentia substantiali materiali; materia autem non importat nisi potentiam: ergo substantia materialis completa non prædicatur de materia sed solum de composito: Jam verò quantum ad secundum, non est ratio minus evidens, propterea quod forma habet suum communicare effectum per hoc & hoc ipso quod seipsam communicat; ex hoc enim quod anima se communicat alicui subjecto, habetur per hoc præcisè ly animatum, quod est formalis ejus effectus: Ergo cum impossibile sit, quod sit forma informans, & quod seipsam non communicet, ut patet ex terminis, nec etiam fieri potest, quod sit forma informans, & quod suum non communicet formalem effectum. Denique quod subjectum quantitatis habeat ex vi illius posse recipere ubi divisibile & occupare divisibiliter locum, quod est tertium præ-

præmissum principium, ratio est quia ab eo omni quod habet partes extensas localiter potest occupari, quia immò & de facto occupatur locus divisibilis & divisibiliter, ut patet ad oculum: sed sic est quod subjectum & quidem inhæsionis ipsius quantitatis habet ex vi illius [si nimirum relinquatur suæ naturæ] habet inquam extensionem partium in ordine ad locum, sive sit tantum extensio illa effectus formalis secundarius quantitatis, sive primarius, ut volunt plures ex adversariis: Ergo subjectum quantitatis habet ex vi illius posse recipere ubi divisibile, & occupare divisibiliter locum. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione, an scilicet in generatione & corruptione compositi fiat resolutio usque ad materiam primam, adeo ut omnia omnino pereant accidentia quæ erant in corrupto; seu quod in idem redit, an compositum quod corrumpitur, sit subjectum omnium omnino accidentium materialium: sit

CONCLUSIO: *Non est materia prima subjectum accidentium materialium, sed solum compositum; subindeque & in generatione & corruptione compositi omnia omninò pereunt præexistentia accidentia, in quo quidem consistit resolutio usque ad materiam primam.*

Probatur primò Ex primo præmisso principio: *non prædicatur substantia materialis completa de materia, sed solum de composito*: Ergo non est materia prima subjectum accidentium materialium, sed solum compositum. *Probatur consequentia*, sola substantia completa habet esse subjectum accidentium: Ergo hoc ipso quod non nisi de composito prædicatur substantia materialis completa, solum etiam compositum habet esse subjectum accidentium materialium. *Probatur antecedens*, illud solum est subjectum [etiam inhæsionis & non tantum denominationis] accidentium, quod ipsis subsstat: sed sola substantia completa habet posse subsstare accidentibus: Ergo sola substantia completa habet esse subjectum accidentium. *Major* per se patet: per hanc enim vocem *subsstare* non aliud intelligendum venit, quam sustentare accidentia, dando illis esse & subjacendo eis, quod quidem non potest debitè intelligi de subjecto denominationis, sed intelligi debet de propria receptione, sustentatione, & physica inhæsione, ut ex terminis constat. *Probatur Minor*, sola substantia completa est directè ponibilis in prædicamento, ut docetur unanimiter in Logica; cum ea prædicetur de ente completo verbi gratia de corpore, de quo tamen prædicari non potest substantia incompleta, ut per se patet: sed sub-

substare accidentibus non convenit nisi substantiæ quæ ponitur directè in prædicamento ; cum inter proprietates quæ de ea assignantur, una sit quod possit recipere accidentia & sustentare, & quod sit receptiva contrariorum : Ergo sola substantia completa habet posse substare accidentibus : Ergo sola substantia completa habet esse subjectum etiam inhæsionis accidentium Ergo hoc ipso quod non prædicatur substantia materialis completa de materia, sed solum de composito , [quod est primum præmissum principium] non est materia prima subjectum accidentium materialium, sed solum compositum , adeoque in corruptione compositi omnia consequenter pereunt accidentia materialia , subindeque & fit resolutio usque ad materiam primam.

Probatur secundò, Ex secundo præmisso principio : *non potest forma informare & non communicare effectum suum formalem* : Ergo non est materia prima subjectum aliquorum vel etiam alicujus accidentis materialis, sed solum compositum. *Probatur consequentia*, si esset materia prima subjectum alicujus accidentis substantialis, forma quæ eam informaret non posset suum communicare effectum formalem : Ergo hoc ipso quod non potest forma informare & non communicare effectum formalem, nec potest hoc ipso materia prima esse subjectum aliquorum vel alicujus accidentis. *Probatur antecedens*, effectum formalis substantialis formæ est tribuere *esse* substans omnibus aliis *esse* : sed si esset materia subjectum alicujus accidentis , substantialis forma quæ adveniret & informaret , non tribueret ei *esse* substans omnibus aliis *esse* : Ergo si esset materia prima subjectum alicujus accidentis, informaret substantialis forma non communicando suum effectum formalem. *Minor* est evidens: si namque esset materia subjectum v.g. quantitatis, cum substantialis forma adveniret materiæ jam quantæ , & consequenter quantitati jam sustentatæ , non posset per consequens tribuere esse, quod tali substaret quantitati, eam scilicet sustentando. *Probatur Major*, forma quælibet substantialis est simpliciter & absolutè loquendo substantialis: Ergo ly *esse*, quod est ejus formalis effectus , esse debet simpliciter & absolutè loquendo aliis substans : sed *esse* , quod non substat omnibus aliis , sed aliquibus tantum, non est simpliciter & absolutè loquendo *esse substans* ; cum ex hoc quod aliquibus substat , & aliis non substat, possit ex æquo dici non substans, sicut & substans : Ergo effectus cujuslibet substantialis formæ, est esse, quo substat omnibus aliis *esse* : Ergo si esset materia prima ex se subjectum aliquorum

Nota.

vel

vel alicujus accidentis, non tribueret ei substantialis forma suum effectum formalem: Ergo hoc ipso quod nulla potest forma materiam informare, non communicando suum effectum formalem [quod est secundum præmissum principium] nec potest hoc ipso materia esse subjectum aliquorum vel alicujus accidentis; sed hoc soli competere potest composito, atque ita ad corruptionem compositi perire debent omnia omnino accidentia.

Probatur tertiò, ex tertio præmisso principio; & quidem specialiter de quantitate, de qua videtur esse specialior difficultas. *Subjectum quantitatis habet ex vi illius posse recipere ubi divisibile, & occupare divisibiliter locum*: Ergo totum compositum, non autem sola materia habet esse subjectum quantitatis. *Probatur consequentia*, posse recipere & acquirere ubi divisibile, atque occupare divisibiliter locum soli potest composito competere, non autem materiæ primæ: ergo hoc ipso quod subjectum quantitatis habet ex vi illius posse recipere ubi divisibile & locale, non materia sola sed ipsum totum compositum habet esse subjectum quantitatis. *Probatur antecedens*, illud tantum habet posse acquirere ubi divisibile & locale, quod mutatur de loco in locum divisibilem: sed hoc non convenit nisi composito, non autem soli materiæ: Ergo posse acquirere ubi divisibile & locale soli potest composito competere, non autem materiæ primæ, *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*. Illud tantum habet posse mutari de loco in locum quod habet potentiam loco motivam: sed solum compositum, non autem sola materia habet potentiam loco motivam; cum diversa potentia motiva sit propria differentis formæ, & differentis essentiæ, ut gravitas qua fit descensus, & levitas, qua fit assensus: Ergo solum compositum non autem sola materia habet potentiam loco motivam: Ergo solum compositum, non autem sola materia habet mutari posse de loco in locum divisibilem: Ergo posse acquirere ubi locale & divisibile soli potest composito competere, non autem soli materiæ: Ergo hoc ipso quod subjectum quantitatis habet ex vi illius posse acquirere ubi divisibile, & occupare divisibiliter locum, (quod est tertium præmissum principium) solum etiam compositum habet hoc ipso esse subjectum quantitatis; ac proinde corrupto in generatione & corruptione substantiali composito perire debet & quantitas, & consequenter omnia omninò accidentia, in quo quidem consistit resolutio usque ad materiam primam.

Notabis autẽ, tres præfatas probationes procedere & concludere

dere de subjecto inhæsionis & non rantũ denominationis, cum prima & secunda procedant de subjecto, quod *subsistat* & ly *subsistare* non possit debitè intelligi de sola denominatione seu intelligi debeat de propriâ receptione, & sustentatione, & physicâ receptione: tertia autem procedat de subjecto quantitatis, quod habet ex vi illius posse acquirere ubi divisibil, & ly *acquirere* ex propria significatione subjectum denotet inhæsionis & physicæ receptionis, non autem solùm denominationis.

Notabis 2. pro quadam solvenda instantia quæ fieri possit contra primam probationem, quod quamvis anima rationalis sit subjectum accidentium spiritualium; in ipsa enim subjectantur Intellectus & voluntas, & actiones intelligendi & volendi, nec tamen videatur anima esse substantia completa, non propterea sequitur, posse similiter materiam primam esse subjectum accidentium corporalium, quamvis non sit materia substantia completa: anima namque rationalis habet modum substantiæ completæ, quatenùs ipsa habet per seipsam existentiam & subsistentiam, quam potius ipsa communicat materiæ & composito: Quod non habet ipsa materia; neque enim est completa in substantia, neque in modo atque ita verum semper est, quod dictum fuit in prætatâ probatione, quod scilicet subjectum accidentium supponit pro substantia completa, cum ipsa anima rationalis, ex qua colligi videtur oppositum, non sit subjectum accidentium nisi in quantum modũ habet substantiæ completæ

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, si quantitas, subindeque & alia accidentia subjectaretur in toto cõposito, subjectaretur in partibus compositi simul & unitim sumptis: sed non potest quantitas saltẽ in homine subjectari in partibus cõpositi simul sumptis: Ergo non est universaliter verum, subjectari quantitatem in toto composito, nec consequenter quod ad corruptionem compositi periri debeant omnia omnino accidentia, seu fieri resolutio usq; ad materiã primam. *Major* est certa; cum compositum non distinguatur à partibus unitim sumptis, nisi penes implicitum & explicitũ rationem nostra. *Prob. minor*, si in homine subjectaretur quantitas cũ aliis accidentibus in utraque parte compositi, subjectaretur in subjecto seu forma spirituali: sed non potest quantitas nec consequenter alia accidentia corporea & materialia subjectari in subjecto seu forma spirituali: Ergo nec in partibus humani compositi utitim sumptis. *Probatur minor*: Quantitas est extensiva & divisa sui subjecti: sed non potest quantitas extendere & divide-

videre formam spiritualem; cum hæc ex propria ratione sit indivisibilis & extensa: Ergo non potest quantitas subjectari in subjecto seu forma spirituali.

Respondeo negando minorem; ad cujus probationem distinguo majorem: si in homine subjectaretur quantitas in utraque parte compositi: subjectaretur in forma spirituali, tanquam in subjecto adæquato & incompleto concedo: tanquam in subjecto adæquato & completo nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Licet igitur non possit quantitas & sic de cæteris accidentibus corporeis, recipi in subjecto adæquato quod sit complete & totaliter spirituale; qua de causa recipi non potest in angelo; potest nihilominus recipi & subjectari in subjecto composito, cujus una pars est corporea formaliter, & altera formaliter spiritualis, proindeque recipi potest in anima spirituali tanquam in subjecto inæquato: cujus ratio est quia subjectum inadæquatum quantitatis nihil aliud arguit in anima rationali nisi esse actum corporis physici organici, & consequenter quanti, quod quidem sicut habet anima absque dependentia à corpore in essendo, ita & potest exercere munus subjecti incompleti absque dependentia vel imperfectione vel extensione vel divisibilitate proveniente à quantitate extensa & divisibili: sicut enim sustentat anima rationalis proprietates & actiones sensitivas materiales, divisibiles & extensas absque materialitate formali & formali extensione vel divisibilitate, ita & sustentare potest inadæquate sine divisione vel extensione quantitatem extensam & divisibilem: Non ergo repugnat subjectari accidens corporeum & quantum inadæquate in anima sive in composito humano cujus pars una est corporea formaliter; & altera formaliter spiritualis, & solum corporea eminenter: licet repugnet, recipi & subjectari in Angelo vel in subjecto, quod sit complete & totaliter spirituale; propterea quod nihil est in tali subjecto, cui possit communicare effectum suum formalem, puta esse formaliter extensum, corporeum, & divisibile, cum in eo nihil sit nisi spirituale & consequenter indivisibile & inextensum. *Nota.* *Nota.*

Instabis: inintelligibile est, recipi quantitatem in aliquo etiam ut in subjecto inadæquato, & illud non denominare quantum: sed anima rationalis in composito humano non denominatur quanta: Ergo inintelligibile est, recipi quantitatem in anima rationali ut in subjecto inadæquato.

Respondeo negando majorem, cujus quidem instantiam habeo (meo judicio) irrefragabilem. Quæro namque ab argu-

ente, num accidentia operativa materialia recipiantur etiam in materia ut in subjecto inadæquato; sed sic est quod non propterea denominant materiam operativam sive operantem. Non enim verificatur nec dicitur, quod materia calefaciat vel ficcet, sed ignis est qui hæc facit; nec de materia verificatur quod frigefaciat vel humectet: sed aqua est quæ hæc facit; nec materia est, quæ videt, audit, vel sentit, sed conjunctum seu compositum ipsum vitale hæc omnia facit. Unde & per istas operationes & potentias operativas, & per hujusmodi accidentia, quæ experimur & sentimus, venimus in cognitionem substantialis compositi & formæ illud constituentis, potius quam in cognitionem solius materiæ: Ergo à pari facilè intelligitur recipi quantitatem in anima tanquam in subjecto inadæquato, in sensu supra exposito, nec tamen animam denominate quantam, extensam & divisibilem.

Objicies secundò, dispositiones ad generationē compositi sunt accidentia: sed hujusmodi dispositiones non recipiuntur in composito sed in sola materia: Ergo non omnia accidentia subjectantur in composito, nec consequenter corrumpi debent omnia ad corruptionem compositi. *Probatur minor*, in eo recipiuntur & subjectantur dispositiones, quod denominatur dispositum; sed sola materia videtur denominari disposita: Ergo hujusmodi dispositiones recipiuntur in sola materia, non autem in composito.

Responsio negando minorem; ad cujus probationem nego similiter minorem. Pro quo notandum est duplicem in generatione compositi distingui dispositionem, alteram quæ vocatur antecedens, & alteram quæ vocatur consequens vel concomitans ut verbi gratia calor dum est in aqua aut in ligno est dispositio ad ignem generandum, sed antecedens & quasi remota: calor autem magis intensus, qui consequitur ad formam ignis, dicitur dispositio consequens vel concomitans. Iam sic est quod utraque hæc dispositio, tum antecedens, tum concomitans recipitur in toto composito, & non in sola materia; & utraque hæc dispositio denominat totum compositum & utramque partem, & non solam materiam, quamvis diversimode: Nam loquendo de dispositione antecedente, puta de calore, qui primo recipitur in ligno, certum est per eam disponi materiam, sed ut orbetur forma ligni, & introducatur in ea forma ignis, unde & disponitur ut recipiat formam generandam: Item & per eandem dispositionem antecedentem disponuntur compositum & forma ligni vel aquæ, sed ad destructionem;

De dispositionibus generationis & earundem subjecto.

nem; non enim bene se habet aqua vel forma aquæ cum calore, quia destruit calor in aqua dispositionem connaturalem ejus qua bene se habet, quæ est frigiditas. Jam vero loquendo de dispositione consequenti sive concomitanti formam genitam, certum etiam est recipi in toto composito illudque denominare dispositum: vocatur enim dispositio subsequens vel concomitans, quia subsequitur ad formam vel formam concomitatur; unde generans, qui primo & per se producit substantialem formam, subsequenter vel secundariò aut concomitanter producit hujusmodi accidentia seu dispositiones, & proprietates, & sic verificatur illud commune dictum: qui dat formam, dat consequentia ad formam: sed sic est, quod ista dispositio disponit totum compositum, & disponit materiam & disponit formam: bene enim se habet cum calore illo intenso forma ignis & compositum ignis, unde & forma & compositum disponuntur per calorem conformiter ad suam naturam, ut bene conservetur, ut duret & ut operetur operationes sibi connaturales: item & materiam disponit calor ille, ut scilicet retineat, conservet, & sustentet introductam formam: Ergo sive sit sermo de dispositionibus antecedentibus generationem compositi, sive de consequentibus sive concomitantibus ipsum compositum genitum, dicendum est eas recipi in toto composito, & non in sola materia, nec non & totum compositum denominare dispositum, & utramque partem, non autem solam materiam.

Instabis: dispositiones disponunt ad introductionem formæ, Ergo illud tantum disponere debent, in quo debet introduci forma: sed forma non introducitur nisi in materia: Ergo sola debet materia disponi, subindeque & sola subjectare accidentia dispondentia.

Respondeo negando primam consequentiam, subindeq; & secundam, quæ non infertur nisi ex prima: ex hoc enim quod dispositiones disponunt ad introductionem formæ non tantum sequitur quod disponere debeant & afficere id, in quo debet introduci forma, sed etiam id quod præexigit destrui ut talis introducatur forma, & ita disponere debet calor ipsum compositum & formam ligni, non quidem ad receptionem; seu ut ipsa recipiant formam quæ gigni debet, sed ad destructionem, & ut ipsa materia orbata tali forma possit aliam generandam recipere: placet autem hoc responsum confirmare argumento, quod retorqueo ego in adversarios: arguo autem sic: calor frigiditas, humiditas siccitas & alia hujusmodi acciden-

Nota. tia activa disponunt ad introductionem diversarum formarum substantialium: atqui præfata accidentia hoc ipso quod activa sunt, recipi non possunt in sola materia, sed solum in composito quod est subjectum activum, non autem materia; unde & juxta diversitatem compositorum dantur diversa accidentia activa, ut verbi gratia substantiæ graves habent potentiam accidentalem activam qua descendunt deorsum, & substantiæ leves, qua ascendunt sursum, insuper ignis, qua calefaciat & siccet; aqua vero qua humectet & frigefaciat, & sic de omnibus aliis: Ergo vulgare illud argumentum quo probare solent adversarii accidentia recipienda esse in materia, quia disponunt illam ut recipiat formam, nihil omnino concludit; siquidem præfata accidentia dispositiva sunt ut plurimum & majori ex parte activa, debentque recipi in subjecto activo, quod non est materia.

Objicies 3. & quidem specialiter de quantitate in eo subjectatur & recipitur quantitas, ad quod subsequitur velut proprietas: sed quantitas subsequitur ad solam materiam velut proprietas: ergo in sola materia debet quantitas subjectari, non autem in toto composito. *Probatur Minor*, omnis proprietas sapit naturam illius cujus est proprietas; sed quantitas naturam sapit materiæ primæ, cum potentialis sit & receptiva aliorum omnium accidentium materialium: Ergo quantitas subsequitur ad solam materiam tanquam proprietas.

Respondeo negando minorem: quantitas enim est proprietas subsecuta ad totum compositum; cum totum compositum sit materiale & corporeum; & corporeum ut corporeum sit radix quantitatis. Ita sentit D. Thomas 1. *p. quæst. 7. art. 3.* ubi ait quantitatem inter alia accidentia sequi ad formam, quod quidem ex eo patet quod juxta diversitatem formæ obtinent substantiæ viventes & non viventes diversam magnitudinem & parvitatem in quantitate. Consequenter videmus, quod figura, quæ est terminus & modus quantitatis subsequitur ad formam; & juxta diversitatem formæ solent esse diversæ figuræ; unde homo diversam habet figuram, ab ea quam reliqua habent animalia, & hæc etiam inter se diversas habent figuras, sicut etiam plantæ, & fere omnes aliæ res, tam viventes, quam non viventes, quæ scilicet diversas habent formas. Ratio autem hu-
Nota. jus doctrinæ S. Doctoris est, quia quantitas est quædam forma & quidam actus de genere accidentis: Ergo originari debet à substantiali forma & ab actu substantiali, qui per se & simpliciter atque absolutè dicitur & est forma & actus.

Insta-

Instabis: ideo ergo originatur quantitas à forma potius quam a materia, quia est actus quidam: sed quantitas non tam dicenda est actus quam potentia: Ergo non debet dici quantitas originari à forma, sive a toto per formam specificè constituto, sed a materia sola. *Probatur minor*, illud quod actuat ut actuabile reddat & faciat, non tam dicendum est actus, quam potentia: sed quantitas materiam & formam actuat, ut eas actuabiles reddat in ordine ad alias accidentales formas: Ergo quantitas non tam dicenda est actus, quam potentia.

Respondeo negando minorem ad cujus probationem distinguo majorem, illud quod potius actuabile reddit, non tam dicendum est actus quam potentia: si actuabile reddat in ordine ad actum primum & substantialem Concedo: si autem actuabile reddat in ordine ad actus secundos & accidentales, ut de facto actuabile reddit quantitas, Nego majorem, quod scilicet illud quod ita actuabile reddit non tam dicendum sit actus quam potentia. Ratio autem hujus solutionis est, quia actuabilitas in ordine ad actum primum & substantialem est actuabilitas materiæ, & puræ potentiæ, ut per se patet, cum nullum adhuc præsupponat actum, ac proinde quod ita facit actuabile debet esse simpliciter loquendo potentiale quid & magis habere de ratione potentiæ quam de ratione actus. Econtra verò actuabilitas in ordine ad actus secundos & accidentales est actuabilitas non puræ potentiæ, sed potius entis in actu & compositi, cum talis actuabilitas præsupponat actum primum, qui quidem constituit rem simpliciter in actu; unde quod ita reddit actuabile magis habet & habere debet de ratione actus quam de ratione potentiæ; & sic cum quantitas non aliter reddat actuabile, quàm in ordine ad actus secundos & accidentales, debet per consequens non tam dici potentia quam actus, nec tam debet se tenere ex parte materiæ quam ex parte compositi ut pote quod illud est, quod fit & denominatur actuabile in ordine ad actus secundos & accidentales; qua de causa appellari solet materia secunda, ad differentiam materiæ primæ, quæ cum actuabilis sit ab actu primo est consequenter de se pura potentia & materia prima. *Nota.*

Urgabis: non potest, aut certè non solet sensus decipi circa accidentia per se sensibilia; sed per sensus patet eandem quantitatem, figuram, gravitatem, & alia hujusmodi accidentia quæ erant in vivente, manere in cadavere: ergo non subjectabantur hujusmodi accidentia in composito quod corruptum fuit, sed in materia quæ remansit.

Respondeo negando minorem, puta quod ad sensum & per sensum manifestum fiat eandem manere quantitatem, figuram, gravitatem & alia hujusmodi sensibilia accidentia; cujus ratio est, quia distinguere inter individuationem hujus & illius accidentis, à solo intellectu fieri potest, & percipi, *idem* namque & *diversum* sunt passiones entis ut est objectum intellectus, & Metaphysica per se talia considerat; & ideo sunt extra proprium objectum sensus. Unde sicut si Deus toto tempore præcedente instans determinatam conservaret albedinem, & immediatè illam destrueret, & aliam ejusdem gradus in eodem subjecto produceret, sicut inquam, in hoc casu haud dubiè non perciperet sensus desitionem unius albedinis & introductionem alterius, nec consequenter utriusque distinctionem, ita philosophandum est in præsenti. Non ergo eadem numero manent accidentia in genito quæ erant in corrupto, aut in cadavere, quæ erant in vivente, sed similia tantum, & tantum eadem specie.

Nota. *Urgebis* iterum inintelligibile est, quod possit organizatio subitò & quasi in instanti induci in materia dum separatur anima, quæ non nisi per longa tempora fuit in eadem materia inducta, dum erat anima introducenda: sed si eadem numero accidentia, quæ erant in vivente non manerent in cadavere, sed similia tantum & eadem specie, tunc organizatio, quæ non nisi per longa tempora fuit inducta in materia per virtutem patris in semine decisam, ut introduceretur anima, tunc subito & in instanti in separatione animæ induceretur in materia organizatio similis; cum in eo instanti quo fit cadaver reperiatur organizatio, quæ quidem cum non sit in hoc casu eadem numero cum præcedenti, debet tunc consequenter subito fieri, & in instanti: ergo inintelligibile est quod non maneant in cadavere eadem numero accidentia quæ erant in vivente, sed similia tantum & eadem specie.

Respondeo negando majorem: id enim facile intelligitur si ad hoc unum advertat intellectus, puta quod quandocumque accidentia non corrumpuntur per se, seu per agens aliquod inducens in materia accidentia opposita seu oppositas dispositiones; sed per accidens solum corrumpuntur ad corruptionem subjecti, ut fit in præsenti casu, quod tunc necesse est quod ad corruptionem talium accidentium adveniant statim & subitò in eadem materia similia accidentia ad introductionem novæ formæ, absque eo quod requiratur aliquod agens particulare quod intendat ea producere, nec successivum tempus quo inducantur;

Nota.

ducantur; cujus quidem doctrinæ ratio est, quia ex hoc quod talia accidentia quæ ita corrumpuntur per accidens seu ad corruptionem subjecti existunt in subjecto quod corrumpitur, est consequenter disposita materia ad eorum receptionem; eumque non sit nec supponatur in tali materia aliquid contrarium eis, quod agat per se in illa, nec supponatur aliquod agens inducens dispositiones oppositas, alias tunc corrumperentur per se & non tantum per accidens, quod est contra suppositionem factam, ideo necesse est quod ubi corrumpitur subjectum, subindeque & accidentia, necesse inquam est quod statim & subitò alia adveniant accidentia omnino similia in introductione formæ, absque eo quòd aliquod requiratur agens particulare quod intendat ea producere, nec successivum tempus quo inducantur. Ideo namque in prima organizatione corporis animalis, quæ scilicet fit virtute seminis, requiritur & agens particulare quod talia producat accidentia seu talem organizationem, & successivum tempus quo inducatur, quia cum tunc materia sit indisposita respectu talium accidentium *propter dispositiones oppositas*, necesse est per consequens, materia successivè disponatur per aliquod agens, quod possit & debeat oppositas dispositiones paulatim expellere, & ea quæ requiruntur ad organizationem causare: sed sic est quod quando corrumpuntur accidentia sive organizatio per accidens solum & ad corruptionem subjecti, tunc non est materia indisposita ad similia accidentia & ad organizationem similem *propter dispositiones oppositas*, ut supponitur; alias præfata accidentia corrupta fuissent per se, & non tantum per accidens ad corruptionem subjecti, ut dictum fuit: ergo quando corrumpuntur accidentia & consequenter organizatio per accidens tantum & ad corruptionem subjecti, tunc ad adventum similium accidentium & organisationis similis, nec requiritur successivum tempus quo inducantur, nec agens aliquod particulare quod talia intendat producere, seu quod destinatum sit ad eorum productionem, sed possunt & debent similia resultare in materia; & quidem subito.

Nota.

Objicies ultimo idem numero fuit corpus Christi vivum & mortuum: sed si in corruptione seu in separatione formæ specificæ fieret resolutio usque ad materiam primam dici non posset corpus Christi idem numero vivum & mortuum: ergo non fit in corruptione & generatione resolutio usque ad materiam primam. *Major* colligitur ex verbis illis Christi Domini: *Solvite templum hoc & in tribus diebus reædificabo illud*, in quo qui-

dem dicto cum loquatur de templo corporis sui, ut notat Evangelista, & idem numero demonstretur per ly *hoc*, quod indicat corpus vivum, & per ly *illud*, quod indicat corpus mortuum, evidenter sequitur, quod idem numero remanserit corpus Christi vivum & mortuum. *Probatur Minor*, non potuit corpus Christi esse idem numero nisi per eandem numero formam; sed si fieret resolutio usque ad materiam primam, nulla prorsus remaneret forma eadem numero in mortuo quæ esset in vivo, ut patet ex terminis: ergo si talis fieret resolutio, dici non posset corpus Christi idem numero vivum & mortuum.

Respondeo distinguendo majorem sic: idem numero fuit corpus Christi vivum & mortuum, loquendo de identitate suppositi, seu hypostasis concedo: loquendo de identitate totali, naturæ scilicet & suppositi, nego. Licet igitur idem semper fuerit suppositum & eadem subsistentia corporis Christi sive in vita, sive post mortem, propterea quod id quod semel assumpsit principaliter verbum divinum, nunquam dimisit; unde & symbolo fidei dicitur de filio Dei, quod sepultus est & descendit ad inferos, quod certè dici non posset, si corpus quod sepultum fuit, & anima quæ ad inferos descendit, aliud habuissent suppositum, quam divinum: licet, inquam corpus Christi idem semper manserit identitate suppositi, & in vita & post mortem, non tamen propterea sequitur, quod idem remanserit identitate totali, id est tum suppositi, tum materiæ & formæ, etiam loquendo de forma corporeitatis, & consequenter de formis accidentalibus quæ ad talem consequuntur formam; quin immo oppositum omnino sequitur ex verbis illis Christi Domini supra relatis, ubi scilicet loquens Christus de corpore suo dixit: solvite templum hoc &c. Quod quidem hoc argumento omnino efficaciter & evidenter ostenditur. Etenim significavit Christus per illa verba, quod corpus suum esset solvendum, cum loqueretur de templo corporis sui: atqui si habuisset materia corporis Christi aliam corporeitatis formam, quam animam, quæ mansisset post mortem, fuisset quidem tunc humanitas ejus soluta, nimirum per separationem animæ, sed minimè solutum fuisset ejus corpus, quia mansisset semper in hoc casu corporeitatis forma unita & coæva materiæ: ergo non verificarentur præfatæ illa Christi verba, si in morte ejusdem Christi Domini non fuisset facta resolutio usque ad materiam primam, seu si remansisset aliqua corporeitatis forma unita & coæva materiæ. Unde idem quidem numero demonstravit Christus,

Nota.

per ly hoc & ly illud, non tamen propter eandem numero formam, quæ fuerit in hoc & illo, sive tum in vita tum post mortem, sed propter eandem materiam & eandem hypostasim.

Instabis: Si non remansisset corpus Christi idem identitate formæ, sed identitate solum hypostasis & materiæ, alia advenisset post mortem forma in tali materia: sed hoc dici non potest ergo nec dici potest, quod non remanserit idem numero corpus etiam identitate formæ. *Probatur Minor:* si nova advenisset forma post mortem Christi in materia illa Christi, nova fuisset facta unio cum verbo divino, & aliquid novum suscepisset; sed hoc dici non potest, alias dici posset, quod nova tunc esset facta incarnatio; cum alia tunc esset ibi caro, utpote aliam habens in hoc casu formam: ergo nec dici potest quod nova advenerit forma in materia illa Christi Domini, dum mortuus est Christus. *Nota.*

Respondeo Negando Minorem; ad cujus probationem nego majorem: non enim propterea sequitur quod verbum divinum novam assumpserit naturam, in adventu illius formæ, sed solum sequitur & verificatur exinde, quod naturam prius assumptam, sed tunc mutatam adhuc in unitate personæ & suppositi retinuerit. Pro quo notandum est, quod verbum divinum naturam sibi assumpsit humanam, cum naturalibus ipsius defectibus, qui quidem defectus adveniebant corpori Christi successivè; neque tamen ex eorum adventu dici debet, novam tunc fuisse factam unionem cum verbo, quia scilicet est adventus defectuum naturæ, quam sibi ut defectibilem univit verbum in conceptione Christi, & ideo eorum unio cum verbo ad primam pertinet, & reduci debet unionem: Jam sic est quod forma quæ relinquitur & resultat in materia per separationem animæ, inter defectus naturales naturæ humanæ computatur, in quantum scilicet de necessitate naturæ ibi inducitur, & ad animam comparatur quasi corruptio ipsius, ut ait Philosophus, sicut forma aceti est tanquam corruptio formæ vini: ergo adventus illius formæ in materia Christi per mortem seu separationem animæ ad primam pertinet & debet reduci unionem. Unde sicut vinum in dolio existens quando mutatur in acetum, non propterea dicitur dolum illud aliquid de novo assumere, vel recipere, sed dicitur tantum illud quod prius recepit, & quod jam mutatum est adhuc retinere: ita similiter nec verbum divinum novam propterea assumit naturam in adventu illius formæ, nec de novo dicitur incarnari; sed solum dicitur naturam assumptam prius, sed tunc mutatam adhuc in unitate personæ & suppositi retinere. *Nota.* *Nota.* *Nota.*

Qua-

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo favere omnino S. Doctorem præfatæ nostræ conclusioni; quod quidem primo colligo ex his quæ habet 1. *p. quæst.* 76. ubi inquit: *impossibile est quod aliqua dispositio accidentalis cadat media inter corpus & animam, vel inter quamcumque formam substantialem & materiam suam*; quod quidem dictum probat S. Doctor ex eo quod materia licet sit susceptiva formæ substantialis & accidentalis, tamen ordine quodam recipit illas, eo quod ipsæ formæ ordinatæ sunt, & una essentialiter supponit alteram; adeo ut sicut gradus vegetativus supponit sensitivum, & actus intellectus supponit potentiam, sic esse accidentale quod tribuitur per accidentalem formam supponit substantiale quod per formam datur substantialem tanquam naturaliter illi coordinatum: hæc ibi D. Thomas ex quibus subsumo sic: sed sic est quod si non fieret resolutio usque ad materiam primam, seu, quod in idem redit, si materia non autem compositum quod corrumpitur, esset subjectum immediatum aliquorum accidentium, tunc forma seu dispositio aliqua accidentalis caderet media inter formam substantialem quæ advenerit, & ipsam materiam, ut per se patet: ergo sentiit Divus Thomas, immò & efficaciter probavit fieri debere in corruptione & generatione compositi resolutionem usque ad materiam primam.

Secundo autem id colligo *ex lib. 1. de generat. lect.* 10. ubi inquit, *non manere idem numero accidens, sed id quod prius erat corrumpi per accidens ad corruptionem subjecti, & advenire simile accidens consequens formam de novo advenientem.* Hæc D. Thomas; ex quibus sic subsumo: atqui hoc est quod intelligendum venit per resolutionem usque ad materiam primam; nec enim aliud per eam intelligimus quam quod nullum ex accidentibus quæ erant in corrupto, remaneat idem numero in genito, eo quod scilicet subjectentur in composito, ad cujus corruptionem debeant perconsequens quasi per accidens corrumpi: ergo docuit D. Thomas præfatam dari resolutionem usque ad materiam primam, nec non & subjectari accidentia non in materia prima quæ remanet, sed in composito quod corrumpitur, ad cujus consequentem corruptionem corrumpi & destrui debent.

Tertio demum hoc idem colligo *ex quodlibeto primo, articulo 5. exto*, ubi sic discurrit Sanct. Doctor: *unde dico quod adveniente*

niente anima humana tollitur forma substantialis, qua prius inerat, alioquin generatio esset sine corruptione alterius, quod est impossibile, formæ verò accidentales quæ prius inerant disponentes ad animam corrumpuntur tunc, non quidem per se, sed per accidens, ad corruptionem subjecti, unde manent eadem specie, sed non eadem numero. Hæc D. Thomas, ex quibus arguo sic: datur resolutio usque ad materiam primam, in generatione, hoc ipso quod in adventu novæ formæ, & substantialis forma & formæ accidentales quæ prius inerant, tolluntur & corrumpuntur: sed hoc est quod docet D. Thomas loco citato: ergo docuit D. Thomas dari in generatione & corruptione substantiali resolutionem usque ad materiam primam, nec non & subjectari accidentia in composito quod corrumpitur, cum ea dicat corrumpi ad corruptionem sui subjecti.

Notabis autem circa ultima illa verba S Doctoris, puta quod *corrumpuntur accidentia illa dispositia non quidem per se, sed per accidens, unde fit quod maneant eadem specie:* notabis, inquam, ibi insinuasse S. Doctorem rationem, qua supra ostendimus, posse immò & debere in cadavere similem reperiri organizationem sive similia accidentia, quæ reperiuntur in vivente, absque eo quod requiratur successivum tempus quo inducantur, aut agens aliquod particulare quod talia intendat producere. Ex hoc enim quod hujusmodi accidentia corrumpuntur non per se sed per accidens solum ad corruptionem subjecti, existunt consequenter in subjecto seu composito quod corrumpitur, adeoque & est perconsequens materia disposita ad similium accidentium receptionem; cumque non sit nec supponatur in materia illa aliquid contrarium eis, quod agat per se in illa, nec supponatur agens aliquod inducens dispositiones oppositas; alias tunc corrumperentur per se & non tantum per accidens, quod est contra suppositionem factam, ideo necesse est quod hoc ipso quod corrumpitur subjectum, subindeque & accidentia, necesse, inquam, est, quod statim & subitò alia adveniant accidentia omnino similia, absque eo quod aliquod requiratur agens particulare, quod intendat ea producere nec successivum tempus quo inducantur: meritò igitur Doctor ille noster Angelicus, postquam præmisit, quod corrumpuntur hujusmodi accidentia, non quidem per se, sed per accidens ad corruptionem subjecti, statim subdit: unde remanent in materia eadem specie, sive similia accidentia.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA.

Quodnam sit subjectum generationis; tum ut est actio; tum ut mutatio est, tum ut est passio.

Respondeo primò. Generationem etiam transeuntem, de qua præcipuè est ibi sermo verbi gratia generationem ignis subjectari ut actio est in ipso agente seu generante; cujus ratio est duplex, primo quidem quia actio comparatur ad potentiam activam & operativam agentis, sicut actus ad suam potentiam; & sicut actus secundus ad actum primum: sed sic est, quod actus secundus est ibi inhæsivè seu ibi subjectatur, ubi est actus primus cui correspondet: ergo cum sit actus ille primus seu activa potentia in ipso agente, debet etiam & in ipso agente seu generante subjectari inhæsivè generatio ut actio est. *Major* est certa cum linea operandi æque ac linea essendi partiri debeat & dividi in creatis in actum primum & actum secundum, nec alius sit excogitabilis actus secundus in linea operandi, præter actionem. *Probatur Minor*: actus secundus ex proprio munere est actuans; ergo debet ibi inhærere & subjectari ubi est actuabile; cum actuabile hoc ipso quod tale sit perceptivum illius quo actuatur, ut patet inductione; sed actuabile per actum secundum non est aliud quam actus ille primus, cum actus ille primus sit id cui correspondet actus secundus tanquam ejus actus: ergo actus secundus est ibi inhæsivè, seu ibi subjectatur, ubi est actus primus. Unde D. Thomas, *lib. 1. contra gent. cap. 9.* postquam dixit, quod actio est actus & complementum potentiæ, quia comparatur ad potentiam sicut actus secundus ad primum, statim subdit & concludit quod *actio qua non est substantia agentis inest ei, sicut accidens subjecto*, altera vero ratio est, quia omne agens creatum est intrinsecè in potentia ad operandum: ergo quando per actionem reducitur ad actum, variatur & mutatur intrinsecè; sed omnis mutatio intrinseca dicit aliquid de novo superadditum & receptum; cum per mutationem intrinsecam res aliter se habeat in se quam antea, quod quidem verificari nequit, si nihil rei intus adveniat, quod antea non esset: ergo creatum agens aliquid intus seu intrinsecè recipit, quando agit, quod quidem aliud non est, quam ipsa actio in ipso agente recepta

cepta & subjectata. Unde D. Thomas expressis verbis affirmat, *in 2. sentent distinct. 40 qu. 1. art 4. ad 1. actionem & passionem non posse esse idem numero accidens, quia actio est in agente & passio in patiente.*

Respondeo secundò, Generationem, ut est mutatio subjectati in materia, sive intrinsecè afficere ipsam materiam. Pro quo notandum est generationem ut est mutatio materiæ, non aliud esse præter ipsam unionem formæ ad materiam; quod quidem ex eo probo, quod præscindi nequit per intellectum, quod recipiatur seu uniatur de novo forma in materia, & quod materia hoc ipso non mutetur, ita ut ipsum recipere sive uniri sit mutari: quia enim percipiet materiam cum nova forma, quin percipiat materiam realiter innovatam? certe nullus, ergo etiam percipit quisque eo ipso materiam mutatam: ergo in hoc ipso quod est uniri formam materiæ de novo, est inclusum essentialiter mutari materiam: ergo in eo subjectatur generatio ut est mutatio, in quo ipsa subjectatur unio formæ ad materiam seu materiæ ad formam; atqui talis unio in nostra sententia in qua scilicet eam admisimus tanquam modum substantialem superadditum afficit materiam intrinsecè & in ea per consequens subjectatur: ergo generatio ut est mutatio subjectatur in ipsa materia, absque eo quod sequatur aliquod accidens subjectari immediatè in materia; cum talis mutatio non sit accidentale quid, sed modus substantialis. Porrò ex hac doctrina colliges, quod qui tenuerint non dari unionem mediam inter materiam & formam, tenentur consequenter dicere mutationem materiæ non esse aliquid medium & distinctum inter materiam & formam, sed esse ipsam formam prout noviter introductam & unitam materiæ. Qui vero unionem dari tenuerint dari modum unionis distinctum, tenentur dicere generationem ut est mutatio esse aliquid distinctum & superadditum, & in ipsa unione nova formæ ad materiam intromitti essentialiter mutationem, ita ut nec per intellectum possit non includi unum in alio.

Respondeo tertiò, Generationem, prout est passio subjectati in toto composito. Passio namque, est ipsum passivum fieri quo aliquid dependet passivè & intrinsecè physicè à causa efficienti; quod quidem passivum fieri esse distinctum quid à re quæ fit ex eo colligo, quod re illa indivisa manente & immultiplicata, multiplicatur tamen ipsius passivum fieri seu passiva dependentia; cum alia sit passiva dependentia qua homo, verbi gratia fit & ab homine, & à cœlo & à Deo, ex eo scilicet quod continuatur passiva illa dependentia qua pendet in suo fieri à

causis

causis universalibus puta à cælo & à Deo, etiam transacta seu percunte passiva dependentia quam habet à causa particulari, puta ab homine, à quo scilicet non indiget conservari: ergo in eo subjectari debet & recipi generatio ut est passio, quod passivè fit; sed totum compositum est id quod fit; non quidem quia de novo fiat materia, sed quia de novo fit forma & unio materiæ & formæ: ergo generatio ut passio est recipitur & subjectatur in toto composito.

Notabis autem pro pleniori declaratione passionis, verum non esse, quod passio quæ est unum ex prædicamentis consistat in receptione formæ qua forma recipitur in subjecto. Hæc enim receptio est idem atque unio formæ ad subjectum, quæ unio in aliquorum sententia non distinguitur ab extremis unitis, & in aliorum sententia distinguitur quidem, non tamen constituit speciale prædicamentum, sed divagatur per plura prædicamenta & reducitur ad prædicamentum proprium formæ unitæ, atque includitur in forma cujusque prædicamenti, sicut & mutatio seu motus, qui propterea non constituit unum prædicamentum, sed est potius unum ex post prædicamentis; quælibet namque forma quæ de novo advenit alicui subjecto per id per quod unitur ipsi, ipsum mutat, sicut & ipsum realiter innovat sua intrinseca entitate de novo recepta & unita: at passio non ita divagatur per omnia prædicamenta, neque est postprædicamentum, sicut neque actio: non igitur passio illa quæ est unum ex prædicamentis consistere potest in ipsa receptione formæ, qua forma recipitur in subjecto.

COROLLARIUM

De generatione & corruptione viventium.

PRæmittendum primò, Aliam esse rerum inanimatarum generationem, qualis est generatio ignis, quamque definivimus supra mutationem totius in totum, nullo sensibili remanente; aliam verò rerum viventium generationem, qualis est generatio filii à parente; quæque vulgo definitur, *origo seu processio viventis à vivente, ut à principio activo conjuncto, in similitudinem naturæ, vi processionis formaliter*: dicitur autem primò origo viventis à vivente; ut excludatur verbi gratia generatio ranæ à sole: item debet esse processio à principio activo; alio-

alioquin hujus potissimum conditionis defectu, Eva non dicetur nata & genita ab Adamo; nec vermes aut pulices ex homine, in quo ex materia putri procreantur. Item debet esse generatio viventium à principio conjuncto, id est, debet ex substantia quadam decisa à progenitoribus; cujusmodi substantia est semen ex quo fœtus efformatur. Unde gallina tantum quæ ova peperit, est mater pullorum qui ex iis excluduntur. Sic Dæmon incubus non dicitur pater hominis geniti, sed is tantum, à quo semen decerptum est. Sic Beata Virgo vere & proprie dicitur mater & genitrix Christi Domini, non autem Spiritus sanctus, cum illius corpus de propria sua substantia non formarit, ut præterea debet generatio viventium esse in similitudinem naturæ. Quam etiam ob causam vermes nati ex homine non dicuntur ipsius filii. Notandumque est istud intelligi de similitudine in natura saltem specifica & quantum est ex se. Ita quantum fieri potest Leopardus Leænam & pardum; linx autem lupum & cervum participat, isque in natura est similis saltem virtualiter; ut & mulus tum equo, tum asinæ. Additur tandem processionem in similitudinem naturæ talem esse debere, *ut processionis formaliter*; ut hæc distinctio convenire possit generationi æternæ. Nam licet Spiritus sanctus procedat à patre simul & filio cum similitudine naturæ, siquidem eandem cum utroque indivisibiliter naturam habet, non dicitur tamen filius; nec illius processio appellatur generatio, quia producitur tantum viâ voluntatis, cum sit amor personalis sanctissimæ Trinitatis: amor autem ex natura sua non est similitudo objecti sed potius inclinatio ad simile & pondus quoddam ad objectum. Contra autem secunda persona procedit à patre via intellectus & ut verbum, quod quidem de se aliud nihil est quam imago & similitudo expressa objecti; adeoque ex vi processionis suæ procedit in similitudinem naturæ, & sic processio ejus est generatio, non autem processio Spiritus sancti. His autem præmissis, jam ut ad peramæna quæ circa generationem & corruptionem animatorum inquiri possunt deveniamus:

Sciendum primò, ex viventibus animalibus de quibus agit præsens digressio, alia dici *ovipara*, quomodo aves pariunt ova, ex quibus pulli excludentur; alia vero dici *vivipara*, quo pacto canis generat, emittitque ex se vivum canem. Ad hanc autem animalis generationem duo maxime instituta sunt principia. Ac primo quidem est *semen*, seu sperma. Tum secundò huc accedit *sanguis* maternus. Est autem seminalis illius humoris materia sanguis, isque purissimus, ad partes elaborando

semini destinatas attractus: quam ob causam, eodem procreati semine, vulgo vocantur *consanguinei*; huicque semini inexistit qualitas virtutis plasticæ seu formatricis, per quam mirabili prorsus veluti arte, generis diversi partes adeò multæ, servata cuique debita figura, temperie, mensura, situ, nexu ex eadem materia conformantur. At verò fingendis carnibus idonea materia petitur ex materno sanguine, quem menstruum appellant. Cum enim fœmina multò plus conficiat sanguinis, quam ad ipsius nutritionem sit necessarium; ideo quod residuum est, in utrum affluit, ad fœtus conformationem & nutritionem. Tum purgatur singulis mensibus, forasque ejicitur ille qui abundat; unde hæc purgatio nominari solet menstrua.

Sciendum secundò, quod ut in stirpium procreatione fibræ ac radices primo erumpunt ex semine; deinde assurgit truncus &c. Ita per proportionem in animali virtus plastica materiam seminis extendit in fibras, variisque locis incidit, ampurat, committit, colligatque ut membrorum ratio postulat; ac præcipuè quidem viscera, nempe cor, hepar, & cerebrum figurat. Quæ partes cum ex materia seminali formentur, appellari solent *spermaticæ*, ad differentiam carnium quæ coalescunt ex sanguine. Certumque est, non omnes simul elaborari; nam in aborsu videntur aliæ inchoatæ, cæteris nondum affectis.

Sciendum tertiò ex partibus seminis crassioribus primum efformari membranas quasdam seu tunicas, quibus obvolvatur fœtus procreandus. Hucque accedit moles quædam carnea venis atque arteriis implicata, quam ratione figuræ *placentam* vocant, viceque fungitur quasi hepatis cujusdam, quia sanguinem ad nutritionem fœtus videtur aliquo modo præparare. At intra illas tunicas, ex eadem materia seminali segregantur tres veluti ampullæ aut bullæ, in quibus partium omnium rudimenta continentur; sicque omnes partes spermaticæ simul inchoantur aliquo modo, non tamen simul apparent, nec simul perfectæ existunt. Quonam autem die, quinto, an septimo figurari omnes partes incipiant, solus novit creator qui fœtum plasmavit.

Sciendum quartò, generari marem tunc, quando abundat vis paterni seminis, prævaletque in maternum, calidiusque est, ac minus humidum. Item ubi semen imbecillius est affluitque nimia sanguinis copia, generatur solum caro quædam informis, quam molam appellant; hæcque etiam aliquando per multos annos uterum occupat. Item præterea ex defectu materiæ vel potentiæ formatricis, fœtus interdum prodit imperfectus

ctus & monstrosus. Primò enim dum redundat materia, tunc fœtus procreantur aut bicipites, aut alia membra superflua habentes. Vel secundò si deficit materia, fœtus caret aliqua sui parte. Tertiò si materiæ seu semina diversæ rationis permisceantur, tunc fiunt monstra diversæ speciei: quemadmodum frequenter contingit in mari, ubi pisces diversæ naturæ coeunt. Sic etiam in Africa subinde nova proferuntur monstra, dum propter aquarum pœnuriam diversa ferarum genera certos ad fontes conveniunt, & data occasione commiscentur.

Sciendum quintò, quod etiam imaginatio vim quoque formatricem turbare potest, illius quasi ideam permutando per admixtionem spirituum animalium secum alienas species sensibiles, utpote sensui imaginationis deservientes è cerebro deferentium ad fœtum. Neque enim alia causa maculati fœtus aut aliarum ejusmodi phasèum assignari potest. Item si vis illa formatrix imbecilla est, ritè non distinguit partes. Si autem contingat quod varia sit, nec ad unum determinate scopum tendat, tunc nascuntur *hermaphroditi*, qui sexum utrumque in se continent. Item cum duplex sit pars uteri, dextra altera, altera autem sinistra, si major fuerit seminis copia, unde in utramque destribuatur, fiunt *gemelli*, pluresque etiam fœtus. Sic enim Aristoteles 7. de Histor. animalium scribit mulierem quandam partu quadruplici viginti liberos edidisse.

Sciendum sextò, illas semini vires inexistere, ut quantum est de se, ubi nihil obstat, natos efficiat progenitoribus suis persimiles, non tantum in natura specifica, sed etiam in accidentibus. Ac soboles quidem patri similis prodit, si fœmineum semen superetur à virili, alioquin secùs accidet. Nam semen verbi gratia humanum, quatenus est à tali homine, illius quasi ideam quandam virtualiter continet, quæ etiam nonnunquam in aliud semen transmittitur. Quamobrem soboles speciem aliquando refert, aut avi aut proavi, ut legitur apud Plinium de quodam pœta, qui ex candidis parentibus ortus, avum Ethiopem colore nigro repræsentabat. Neque enim hujus effectus causa alia naturalis assignari potest, quam superius assignata.

Sciendum septimò, circa fœtus humani perfectionem, quod ex communiori sententia perfecta partium spermaticarum delineatio & articulatio contingit ut plurimum in fœmineo partu circa quadragesimum diem; in masculo autem circa trigesimum. Mares enim procreantur & augentur in utero citiùs quam fœminæ, cum semini tunc calor virtusque perfectior inexistat. Carnes autem ex materno sanguine non coalescunt perfectè, nisi

nisi tertio mense in masculinis, & quarto in fœminis; quo tempore se se movere incipiunt. Interim verò usque ad ortum puellus quasi conglobatus sedet in utro, manibus apprehendens genua, atque ita caput demittens, ut oculi utrimque pollicibus manuum incumbant, ac nasus descendat inter genua. At maternum sanguinem unde nutriatur haurit per vas umbilicare; dum grandior factus calcitrando rumpit panniculos *corion*, & *amnium*, quibus obvolvitur; tum in lucem primò caput exerit, si tamen naturaliter egreditur.

Sciendum octavò, fœtum humanum ex utero communiter prodire septimo, octavo & nono mense, raro enim contingunt decimestres & undecimestres partus. At septimestres partus debilissimi sunt, neque etiam octimestris ita est vitalis nisi in Ægypto: omnium autem maximè vitalis & perfectissimus est novimestris.

Sciendum nonò, naturam in generatione fœtus procedere ab imperfectioribus ad perfectiora ut fieri solet in aliis. Quare primis temporibus ad decimum usque circiter diem, apparet tantum moles aliqua informis, quæ tamen vitæ vegetativæ absque ullo sensu præbet indicia, siquidem videtur crescere ex intus susceptione alimenti. Tum secundò existunt partium omnium stamina & vis sentiendi circa vigesimum secundum diem: tunc enim si pungitur præbet signum doloris contrahendo se se, & in eo statu vocatur *embrio*, seu animal imperfectum. Denique verò circa diem trigesimum in masculis, in fœminis autem circa quadragesimum perfecta est omnium partium descriptio; & tunc saltem vulgò existimatur infundi anima rationalis, vocaturque *infans* & *puellus*; nec tamen ut scribit Aristoteles 7. *de Histor. animal. cap.* 7. grandioris formicæ, vel ut volunt alii digiti auricularis magnitudinem superat; eaque sub forma corporis Christus Dominus de Spiritu sancto est conceptus, tertiumque hunc statum habuit in utero B. Virginis, quia scilicet per seminalem efficientiam non prodiit.

De corruptione sive corruptivo viventis.

Sciendum primò, corporis viventis & animati, quale est animal vel homo corruptionem aliam esse *simpliciter & substantialem*, quando scilicet secundum substantiam & simpliciter esse desinit; quæ propriè appellatur *mors*. Alia autem est dumtaxat, *secundum quid & accidentalis*, seu secundum accidentia dispositiva ad mortem, quæ vocatur morbus, seu dispositio & affectus

fectus præter naturam, aut contra naturam. Circa quod notandum est, hoc solere afferri discrimen inter *morbum*, tum inter *causam morbi*, & *symptoma*; Quod morbus est affectus seu dispositio præter naturam, corpori insidens, ac primo & per se actionem lædens. Causa verò morbi dicitur id, quod est principium effectivum morbi sive intrinsecum, sive extrinsecum, vel aliqua ratione ad ipsum confert. Symptoma autem est effectus præter naturam, etiam aliquando actionem naturæ lædens, sed tantum consequenter ad morbum, seu secundariò. Exempli causa: oculi inflammatio impediens actionem videndi vocatur morbus oculi, causa autem ejus est nimia sanguinis calidioris affusio: at dolor aut febris inde consequens diceretur ejus symptoma. Qua ratione aliorum morborum sua sunt propria symptomata, puta vel delirium, aut sensuum aliorum noxæ, vel anorexia seu abolita appetentia, depravata concoxio, excreta vel retenta præter naturam, tætri odores, fœdus color &c.

Scendum secundò quod ex istis etiam ut plurimum petuntur signa, quibus interiores morbi dignoscantur. Quæ quidem signa vel sunt *prognostica*, quæ futurum ostendunt: vel *diagnostica*, quæ scilicet præsentem morbi statum indicant, tum etiam aliquando partem affectam aut morbi speciem, aut causam. Quanquam inter signa morborum plurimum commendari solent: primò pulsus qui virtutis facultatis, ac totius corporis statum ac robur renunciat: tum secundò urina, quæ præcipuè jecoris atque humorum statum, morbosque ex iis progenitos demonstrat.

Scendum tertiò, genera morborum suprema hæc vulgò tria numerari, nempe morbum similarem; tum organicum; & utrique communem, est autem morbus similaris affectus præter naturam in parte similari, puta primarum qualitatum intemperies. Morbus verò organicus dicitur, qui partis organicæ usum evertit, vel ob pravam conformationem & figuram, vel si pars aliqua illi deest aut superflua est, aut si debitum sibi locum non servat, ut intestinum in scrotum prolabens. Denique communis morbus est, qui utramque hanc partem simul lædit unitatis solutione, vel ruptione &c. cum enim utrique illi parti commune sit, ut mutua adhæsione & continuatione subsistant, harum dissolutio non potest non esse utriusque morbus & utriusque functiones turbare.

Scendum quartò, ad morbum similarem sive primam qualitatum intemperiem, quæ præcipuum est ex corruptivis *secundum quid* corporis animati, ad hunc inquam reduci *febrem*,

totum universum corpus calore immodico infestantem. Quanquam non quivis calor immodicus dicatur febrilis; sed is dumtaxat qui cordi vim inferens & à corde per totum corpus effusus vitæ functiones lædit, multa autem sunt febrium genera & species, quarum differentiæ vulgò petuntur à materia quam calor præter naturam accendit; tum simul ex variis illius effectibus seu vario agendi modo. Unde

Sciendum quintò, Quod ex febribus, quæ ut dictum fuit præcipuum tenent locum inter corruptiva, *secundum quid* corporis animati, aliæ sunt, quæ ex illuvie humoris putrescentis accenduntur; eamque ob causam appellantur *putridæ*. Aliæ verò sola fervoris immoderatione sæviunt citra omnem putredinem. Item ex illis aliæ dicuntur *continuæ*, quæ ægrum perpetuò affligunt, nullasque dant inducias, dum cessent prorsus. Aliæ autem sunt intermittentes, quæ certis temporibus accedunt, recedunt que. Item ex continuis, aliæ servatis etiam certis temporum periodis exacerbantur, remittuntque, aliæ verò hunc circuitum non habent.

Sciendum sextò, Quod ex putridis febribus alia est à sanguine, computrescentibus simul admixtis humoribus aliis, cujusmodi febris continua apud medicos vocatur *synochus putrida*, alioquin si solus inflammatur sanguis nec putret, dicitur *synochus non putrida*. At à bile flava, est febris tertiana, tum continua, à latinis *ardens* appellata, tum *intermittens*, cum scilicet die tertio redit paroxismus, quo etiam continua solet exacerbari. At verò ab atra bile seu melancholia fit *quartana*, tum continua tum intermittens, interjecta duorum dierum quiete, aut saltem per id temporis remittente in continua. A pituita denique procedit *quotidiana*, quæ singulis diebus invadit, cessatque: differt autem à duplici tertiana, quæ etiam singulis diebus recurrit sed cum rigore, quotidiana verò cum refrigeratione. Notandum tamen est, non solum accendi febrim in putridis humoribus, aut etiam in sanguine cùm putrescente, ut jam dictum fuit; sed præterea alia est quæ sedem habet quoque in spiritibus, diciturque *ephemera*, seu *Diaria*, eo quod soleat esse dumtaxat unius diei. Item alia denique in solidis partibus exardescit, quæ est febris *hectica*; sic quoque dicta à græcis eo quod habitum totius corporis corripiat, ipsique firmius inhæresçat, dum sensim depascatur omnino; nisi opportune succurritur. Ubi enim increscit, partesque omnes solidas tum radicale humidum absumit, dicitur *marasmus* cum marcore, nec curari amplius potest.

Scien-

Sciendum septimò, Pro investiganda causa febris, sive intermittentis sive continuæ, quod inest vis quædam, seu qualitas specifica unicuique humori putrescenti ingenita, cujus ea sit natura & conditio, ut certis & statis vicibus hunc motum efficiat. Et verò sic per proportionem, ut tradit Fernelius, menstruam mulierum purgationem quantum est de se movet certis periodis, non sanguinis exuperantia [paucus enim interdum est] sed vis innatæ qualitatis. Rem autem consequenter ita se habere existimem. Ac primò quidem, humori putrescenti unicuique sua est propria qualitas specifica ac proprii spiritus, qui quoquoversus erumpentes, suscitant nauseam & oscitationes, pro varietate partium quam afficiunt, tum ubi feriunt membranam carnosam, rigorem generant. Item cor invadunt vapores illi malefici, quibus veluti consternitur, ac rigore contrahitur cum pulsu debiliori; tum reparatis viribus, supra modum exscandescit, pulsatque vehementius. Cum autem frequentiorem habeat pulsum, magisque inflammetur, plus consequenter sanguinis, & quidem calidioris transmittit in arterias, unde brevi corpus universum exardescit. Neque vero alia potest assignari causa caloris illius immoderati. Tamdiu vero febris ille impetus perdurat, dum humor peccans vi caloris ejusdem attenuatus vel in sudores, vel quocumque tandem alio modo resolvatur. At in febri intermittente quod remanet humoris putridi cum noxia illa qualitate, confluente nova materia turget illud instar fermenti cujusdam, novamque accessionem inducit.

Sciendum octavò, Et ultimo huc revocari subitam in morbis mutationem, unde judicetur vel salus vel mors futura. Solerque voce græca appellari *crisis*, quæ significat judicium, tum apud medicos & certamen aut excretionem: contingit enim ut natura & morbus inter se veluti confligant, unde fiat tandem judicium à medico vel de morte vel de vita. Ipsaque humoris noxii excretio nuncupari etiam solet *crisis*, vel *bona*, quæ scilicet malum tollit, sive perfectè sive imperfectè: vel *mala*, quæ mortem accelerat, aut saltem ægrotum trahit in statum deteriorem. Varia autem sunt signa critica sive antecedentia, sive concomitantia, sive consequentia, ex quibus de bonitate ipsius crisis statuatur. Item juxta observationes medicorum certi quidam sunt dies *critici*, seu decretorii, quibus nimirum à natura legitimè perfici crises dicuntur. Dies autem non critici nominantur *vacui* & medicinales: quia in iis adhiberi possunt purgantia remedia, quod quidem diebus crisis non licet, ne turbetur naturæ actio. Et hæc pro nostro instituto de corruptivis animatorum dicta sufficiant.

QUÆSTIO II.

De alteratione : utrum intensio qualitatum in alteratione fiat per additionem partialis qualitatis, an vero per modum majoris radicationis.

Quid sit alteratio.

PRæmittendum primo, Alterationem prout hic sumitur, communiter definiri motum à qualitate in qualitatem contrariam successive acquisibilem : quæ quidem definitio exprimit tam rationem communem motus physici & successivi, sive conditiones ad illum requisitas, nempe, quod sit inter terminos positivos, contrarios, & habentes latitudinem, ratione cujus successive deseri aut acquiri possint; quam rationem specialem alterationis, quia à motu locali & ab augmentatione secernitur, per hoc nimirum quod motus localis sit ad ubi, seu de loco in locum; augmentatio de quantitate minori ad majorem; alteratio vero de qualitate in qualitatem. Notabis tamen, non propterea per se dari hunc alterationis motum ad omnes qualitates, ut patet in luce, quæ quam vis sit qualitas, non fit tamen per motum successivum sed instantaneum; cujus ratio est, quia ad per se terminandum alterationis motum debet id quod terminat, & fieri per se & ratione sui seu per actionem primariò ad ipsum terminatam; & secundo terminare debet motum qui fit propriè motus id est mutatio successiva & continua, & consequenter qui habeat has tres conditiones, puta qui sit inter terminos positivos contrarios, & habentes latitudinem successivè percurrendam : Jam sic est quod plures sunt qualitates quæ non habent fieri per se, seu per actionem ad ipsas primariò terminatam, ut patet in sanitate & ægritudine, quæ non fiunt per se primò, sed resultant ex debito vel indebito temperamento quatuor primarum qualitatum, ad quas proinde per se primo terminatur alteratio, ad sanitatem vero aut ægritudinem secundario tantum. Sic potentiæ quæ pertinent ad secundam speciem non fiunt per se, sed per resultantiam ad productionem subjecti cujus sunt proprietates : & eadem ratio est de figura & forma, quæ constituunt quartam speciem qualitatis; resultant enim ad productionem vel dispositionem quantitatis. Item

Ad quas qualitates per se detur alteratio.

aliis

aliis qualitatibus puta errori, scientiæ, & vitio aliud deest requisitum in suo fieri, ita quod non fiant per motum propriè dictum habentem scilicet terminos positivos & contrarios; per accidens enim est ad acquisitionem scientiæ verbi gratia, quod præcesserit error, qui est terminus positivus contrarius, sed per se tantum fit & acquiritur ex sui privatione. Unde restat quod solum per se detur alterationis motus ad solas qualitates tertiæ speciei seu sensibiles, puta ad calorem, frigus, humiditatem, siccitatem, quæ sunt primæ qualitates; item ad albedinem, nigredinem, densitatem, raritatem & hujusmodi, quæ sunt qualitates secundæ resultantes ex permixtione primarum, nec tamen ad omnes; lux enim ut jam dictum fuit non fit per motum successivum sed instantaneum.

Quæ & quot sunt species alterationis.

Jam vero quantum ad alterationis species, dividitur & dividi solet alteratio in communi in tres species, puta in alterationem specialiter dictam, intensionem, & remissionem; cujus ratio est quia motus sunt specie diversi penes diversos formaliter terminos: sed sic est quod termini alterationis specialiter dictæ, intensionis & remissionis sunt formal ter diversi, & comprehensi sub alteratione in communi: alteratio enim in communi est motus à qualitate in qualitatem contrariam & gradualem latitudinem habentem, abstrahendo ab eo, quod terminus à quo & terminus ad quem sint qualitates entitativè diversæ & contrariæ, ut frigus & calor, vel tantum modaliter, ut calor remissus, & idem ut intensus: alteratio verò specialiter sumpta, quæ est prima species alterationis in communi est motus ab una qualitate ad alteram propriè & entitativè contrariam, puta à frigore ad calorem: intensio autem est à qualitate imperfecta ad eandem magis perfectam & intensam; & tandem remissio est è contra à qualitate intensa ad eandem ut imperfectiorem & remissiorem: ergo tres illi motus sunt tres species aut quasi species sub alteratione ut sic, veluti sub genere contentæ.

Expenitur quæstio tituli.

Præmittendum secundò, Pro intelligentia tituli, quod circa modum quo intenditur qualitas duæ præcipuæ distinguuntur sententiæ, omissa sententia quam sequutus est Durandus, puta quod intensio fiat producendo novam totalem qualitatem & antiquam destruendo & corrumpendo: Hæc enim sententia non ponit eandem intendi & remitti qualitatem, quod tamen tanquam certum supponitur, ut constat ex ipsis quæstionis terminis; sed diversam generari & corrumpi. Hâc ergo omissâ sententia, prima ex duabus præfatis sententiis, quam sequuntur Scotus, Suarez, Vasquez & alii docent fieri intensionem per additionem

unius qualitatis ad aliam; quæ quidem additio cum non corrumpat præcedentem, sed illi uniatur & componat cum illa, se habet tanquam partialis qualitas; sicque imaginatur sententia intensionem qualitatis quasi ad modum augmenti quantitatis, ita tamen quod uniatur addita qualitas in eadem parte subjecti, quia est hoc de ratione essentiali intensionis ad differentiam extensionis, vel etiam augmenti quantitatis.

Sententia Thomistarum.

Secunda vero sententia, quam communiter sequuntur Thomistæ, vult, quod fiat intensio qualitatis sine additione novæ qualitatis seu formæ, per hoc præcisè quod novo & perfectiori modo communicetur; ita quod qualitas sit quidem entitativè eadem & invariata & ante & post intensionem, sed tamen immutata sit quantum ad modum quo participabatur à subjecto; non quod sit aliquid præfatæ qualitatis participatum quoad entitatem post intensionem, quod antea non esset participatum seu subjectatum; nam cum secundum se totam sit accidens debet etiam secundum se totam esse ab initio subjectata seu participata; sed quia in intensione participatur secundum aliquam sui virtualitatem, secundum quam non erat ante intensionem participata, sicut solemus dicere de specie visibili, quæ quidem & ut est in aëre est secundum se totam subjectata sicut & dum est in oculo, & nihilominus ut est in aëre non est communicata secundum omnes virtualitates secundum quas communicata est dum inexistit oculo: cum ibi sit ut representativa, sub qua ratione non inexistit aëri. Quapropter explicare solet intensionem præfata hæc sententia per modum majoris radicationis, ex eo scilicet quod major radicatio invariatam denotet entitatem illius qualitatis quæ ita magis ac magis radicatur, inferat tamen & arguat variationem in modo quo participatur; unde docet & probat hæc sententia posse qualitatem manentem invariatam in re seu in entitate participata, variari in modo quo participatur; & sic si modus participationis qui variatur, varietur in perfectiorem dicitur intensio, si autem varietur & mutetur in minus perfectum, dicitur remissio.

Præmittendum tertiò, Pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, subindeque vim habitura principii, puta quod *partes entis per se vel sunt essentiales vel integrales*; quod *non potest non intendi qualitas, hoc ipso quod modo perfectiori participatur*; quod *fit intensio qualitatis per solam radicationem & sine additione, hoc ipso quod ita fieri potest.* Ratio autem primæ propositionis est, quia partes entis per se debent esse

esse simpliciter & absolutè loquendo partes, ad differentiam partium entis per accidens, quæ sunt simpliciter & absolutè loquendo tota, ut patet in cumulo granorum aut lapidum; sed sic est, quod pars simpliciter non dicitur nisi de partibus essentialibus vel integralibus: cum pars simpliciter dicta per se petat componere, & non nisi essentiales vel integrales partes hoc per se petant, ut scilicet componant, puta vel constituendo vel integrando, cum id solum per se petat compositum puta vel constitui vel integrari: ergo partes entis per se vel sunt essentiales vel integrales.

Jam verò quantum ad secundum, putà quod non potest non intendi qualitas hoc ipso quod modo perfectiori participatur, ex eo colligo, quod intensior & perfectior operatio qualitatis seu subjecti qualificati est signum intensionis qualitatis: sed sic est quod ubi perfectiori modo participatur qualitas, ibi subjectum quale perfectiorem elicit operationem, cum] participet subjectum qualitatem præcipuè in ordine ad operationem, subindeque nec ad aliud ordinetur modus participandi perfectior quam ad perfectiorem operationem: ergo hoc ipso quod perfectiori modo participatur qualitas, non potest hoc ipso non esse intensa.

Denique quod fiat intensio qualitatis per solam radicationem & sine additione, hoc ipso quod ita fieri potest, quod est tertium præmissum principium, ratio hujus est, quia cum multiplicatio entitatum quanto minor fuerit, tanto sit convenientior naturæ, ex eo scilicet quod natura nil operetur frustra, consequenter fit, quod cum intensio qualitatis sit operatio naturæ, fieri debeat per consequens sine additione & multiplicatione entitatum subindeque per solam entitatis primæ radicationem majorem, hoc ipso quod ita fieri potest. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione, sit

CONCLUSIO: *Intensio qualitatis non fit per additionem partialis qualitatis, sed solum per majorem ejusdem qualitatis radicationem.*

Probatur primò, ex primo præmisso principio: *partes entis per se vel sunt essentiales vel integrales*: ergo non intenditur qualitas per additionem partialis qualitatis, sed per majorem solum radicationem. *Probatur consequentia*, si intenderetur qualitas additione partialis qualitatis, daretur ens per se, cujus partes nec essentiales essent nec integrales: ergo hoc ipso quod

partes

partes entis per se vel sunt essentiales vel integrales, non intenditur qualitas per additione partialis qualitatis. *Probatur antecedens* intensa qualitas est ens per se; sed si intensa esset additione partium seu partialium qualitatum, nec essentiales essent ejus partes nec integrales: ergo si sic intenta esset, daretur ens per se, cujus partes nec essentiales nec integrales essent. *Major* est evidens, ens enim quod non est unū per se non potest unica operatione operari, cū sit simpliciter plura entia; atque ita cum qualitas intensa unica operetur operatione dum operatur, est consequenter intensa qualitas ens per se & per se una. *Probatur minor*, quoad secundam partem; quoad primam enim conceditur, puta quod non essent partes illæ qualitatis intensæ essentiales; cum sine qualibet illarum salvetur essentia qualitatis. Partes quibus intenderetur qualitas, deberent illam reddere perfectiorem in ratione formæ, sed partes integrales non possent reddere perfectiorem in ratione formæ: ergo non essent partes illæ qualitatis intensæ, integrales partes. *Major* est evidens; si enim de ratione intensionis reddere qualitatem perfectiorem in ratione formæ, ad differentiam extensionis quæ illam solum reddit materialiter & subjectivè multiplicatam, eam scilicet extendendo ad alia subjecta, sive ad alias subjecti partes. *Probatur Minor*, de ratione partium integralium est convenire in ratione formæ & differre penes materiam seu quantitatem; cum sine qualibet illarum salvetur quidditas rei: ergo additio partis integralis non facit additionem formæ: sed si partes integrales additæ reddererent qualitatem perfectiorem in ratione formæ, earum additio deberet facere additionem formæ, ut per se patet: ergo integrales partes reddere non possunt qualitatem perfectiorem in ratione formæ: ergo partes quibus intenderetur qualitas non essent partes integrales: ergo si intenderetur qualitas additione partium, partes tunc qualitatis intensæ nec essent essentiales, nec integrales: ergo si intenderetur qualitas additione partium sive partialium qualitatum, daretur ens per se, cujus partes nec essentiales essent, nec integrales: ergo hoc ipso quod partes entis per se vel sunt essentiales vel integrales [quod est primum præmissum principium] non potest hoc ipso intendi qualitas additione partialis qualitatis, bene quidem per majorem ejusdem qualitatis radicationem.

Probatur secundo, ex secundo præmisso principio: *non potest non intendi qualitas, hoc ipso quod modo perfectiori participatur*: ergo & intenditur qualitas solum per radicationem majorem & sine additione partialis qualitatis. *Probatur consequentia*,

tia, sine additione qualitatis potest eadem entitativè qualitas modo perfectiori vel imperfectiori participari : ergo hoc ipso quod intenditur qualitas per hoc quod imperfectiori modo participatur, intenditur hoc ipso qualitas sine additione partialis qualitatis, seu per solam radicationem majorem. *Probatur antecedens*, quo magis qualitas fit una cum subjecto, eo perfectiori modo participatur: sed sine additione qualitatis potest eadem entitativè qualitas fieri magis ac magis una cum subjecto: ergo & sine additione qualitatis potest eadem entitativè qualitas modo perfectiori participari. *Major*, est evidens : cum enim ex subjecto & qualitate, hoc ipso quod participata est, fiat unum, non potest consequenter subjectum fieri cum qualitate magis unum, quin hoc ipso perfectiori modo participetur qualitas. *Probatur minor*, quanto magis reducitur subjectum ad actualitatem formæ seu qualitatis, tanto magis fit unum ex subjecto & qualitate: sed potest subjectum reduci magis ac magis ad actualitatem ejusdem entitativè qualitatis: ergo & potest eadem entitativè manens qualitas fieri magis ac magis una cum subjecto. *Major* est evidens ; in hoc enim consistit illud unum, quod fit ex qualitate & subjecto, quod deperdat subjectum potentialitatem, quam habet ad multa, quæ quidem deperditur per hoc quod reducitur ad actualitatem unius formæ, ac transit velut in ipsam formam per assimilationem. *Probatur minor :* non potest subjectum magis ac magis subjici eidem actioni agentis, quin hoc ipso magis ac magis reducatur ad actualitatem ejusdem qualitatis; cum sit & supponatur qualitas terminus actionis agentis, subindeque & eidem actioni non nisi eadem correspondeat qualitas: sed potest subjectum magis ac magis subjici eidem actioni agentis ; cum, ut ipsa testatur experientia, possit subjectum huic actioni magis aut minus resistere; ergo potest subjectum reduci magis ac minus ad actualitatem ejusdem entitativè qualitatis. Ergo sine additione qualitatis potest eadem entitativè qualitas fieri magis ac magis una cum subjecto : ergo sine additione qualitatis potest eadem entitativè qualitas modo perfectiori participari: ergo hoc ipso quod intenditur qualitas per hoc quod modo perfectiori participatur [quod est secundum præmissum principium] intenditur hoc ipso sine additione qualitatis & consequenter per solam majorem radicationem præexistentis.

Probatur tertiò, ex tertio præmisso principio : *fit intensio per solam radicationem & sine additione, hoc ipso quod ita fieri potest*

potest: ergo de facto ita intenditur qualitas. *Probatur Consequentia* verè & de facto intendi potest qualitas per solam radicationem & sine additione: ergo si ita fiat intensio, hoc ipso quod ita fieri potest, vere & de facto intenditur qualitas per solam radicationem, & non per qualitatis additionem. *Probatur antecedens.* Qualitas quæ intenditur etiam dum supponitur tota communicata, intenditur haud dubiè sine additione & per solam radicationem majorem: sed potest intendi qualitas, etiam dum supponitur tota communicata: ergo & potest intendi qualitas sine additione & per majorem solum radicationem. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*, quamdiu non est qualitas communicata totaliter, tamdiu potest intendi: sed potest supponi qualitas tota communicata, nec tamen esse communicata totaliter: ergo & potest intendi qualitas, etiam dum supponitur tota communicata. *Major* patet ex terminis *Probatur Minor*, quamdiu non est communicata forma seu qualitas secundum omnem sui virtualitatem, tamdiu non est communicata totaliter; sed potest qualitas supponi tota communicata, nec tamen esse communicata secundum omnem sui virtualitatem: ergo & potest supponi tota communicata, nec tamen esse communicata totaliter. *Major* conceditur, nec enim aliter exponitur dictum illud commune: *communicari totum & non totaliter*, quam in præfato sensu; ita quod tota quidem entitas formæ communicata sit, non tamen tota ejus virtualitas. *Probatur Minor*, & quidem exemplo & ratione.

Primo species visibilis supponitur tota communicata, dum est in aëre; cum secundum totam sui entitatem sit accidens, & consequenter secundum se totam sit subjectata & communicata: sed dum est in aëre non est communicata secundum omnem sui virtualitatem, cum ibi non sit ut representativa, & tamen virtutem habeat representandi: ergo potest qualitas supponi tota communicata, nec tamen esse communicata secundum omnem sui virtualitatem.

Secundò communicari qualitatem secundum omnem sui virtualitatem, est ibi explicare omnem suum effectum: sed po-
Nota. test tota qualitatis entitas esse communicata, nec tamen explicare omnem suum effectum; cum communicatio entitatis reducatur ad communicationem actus primi, explicatio autem effectuum entitatis pertineat ad actum secundum; & fieri pos-
Nota. sit quod totus supponatur actus primus, nec tamen totus supponatur actus ejus secundus, ut experientia docet; ex eo scilicet quod cum iste superadveniat illi, plus etiam requiritur aut requisi

quiri potest ad communicationem istius quam illius : ergo potest supponi tota communicata qualitas , nec tamen esse communicata secundum omnem sui virtualitatem ergo potest supponi tota communicata qualitas, nec tamen esse communicata totaliter; ergo potest intendi qualitas, etiam ubi supponitur tota communicata: ergo potest intendi qualitas sine qualitatis additione & per solam radicationem majorem : ergo hoc ipso quod fit intensio sine qualitatis additione seu per solam radicationem, si ita semel fieri potest [quod est tertium præmissum principium] intenditur de facto qualitas per solam radicationem majorem, & sine qualitatis partialis additione.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, intelligibile est, eandem entitativè qualitatem magis ac magis radicari : ergo inintelligibile est, intendi qualitatem per modum majoris radicationis & sine qualitatis additione. *Probatur antecedens*, quod radicatur quantum potest , ubi primum in subjecto recipitur , non potest illud entitativè invariatum magis ac magis radicari : sed radicatur qualitas quantum potest, ubi primum in subjecto recipitur : ergo inintelligibile est , eandem entitativè qualitatem magis ac magis radicari. *Probatur minor*, radicatio naturalis & quæ fit naturaliter, ubi primum fit, fit quantum potest ; sed radicatio qualitatis in subjecto fit naturaliter, & est juxta naturam qualitatis: ergo radicatur qualitas quantum potest , ubi primum in subjecto recipitur.

Respondeo negando antecedens, cujus falsitas abunde patet ex dictis supra in secunda & tertia probatione : ad ejus autem probationem distinguo majorem sic : quod radicatur quantum potest, ubi primum in subjecto recipitur , non potest illud entitativè invariatum magis ac magis radicari: si radicetur quantum potest loquendo absolutè & ex vi formæ seu qualitatis, Concedo : si autem solum radicetur quantum potest juxta dispositionem subjecti & agentis Nego , quod quamvis ita radicetur quantum potest , ubi primum in subjecto recipitur, non propterea possit ulterius magis ac magis radicari loquendo absolutè ; quandoquidem absolutè loquendo potest ita variari dispositio subjecti & agentis , quod subjectum magis subjiciatur actioni etiam eidem agentis, & consequenter quod potentialitas & indeterminatio quam habet ad multa magis ac magis radicatur ad actualitatem qualitatis quæ terminat actionem agentis, in qua quidem majori reductione consistit major

ipsius

ipsius qualitatis radicatio. Iam sic est, quod quando dicitur, radicari qualitatem quantum potest, ubi primum in subjecto recipitur; illud non intelligitur nisi in præfato sensu, ita quod solum radicetur quantum potest juxta dispositionem subjecti recipientis qualitatem, & agentis eandem inducentis; cum non probetur radicari quantum potest, nisi quia radicatio illa fit naturaliter & radicatio quæ naturaliter fit pendeat ex dispositionibus subjecti & agentis: non ergo ex inde sequitur, non posse qualitatem entitativè invariatam magis ac magis radicari

Nota.

Instabis: Hoc ipso quod est qualitas radicata secundum se totam, est hoc ipso radicata quantum potest, etiam loquendo absolutè & ex vi formæ: sed ubi primum recepta est qualitas in subjecto, est in eo radicata secundum se totam: ergo ubi primum est recepta in subjecto, est in eo radicata quantum potest, etiam loquendo absolutè & ex vi formæ. *Major* videtur certa ex terminis. *Probatur minor*, hoc ipso quod nihil habet qualitas quod non sit radicatum, est hoc ipso radicata secundum se totam: sed ubi primum recipitur qualitas in subjecto, nihil habet quod non sit radicatum; cum nihil habeat quod non sit accidens sive accidentale; & omne accidentale debeat esse in subjecto aliquo radicatum: ergo ubi primum recepta est qualitas in subjecto, est in eo radicata secundum se totam.

Respondeo primò, distinguendo majorem, si cum hoc quod est radicata secundum se totam, sit etiam radicata totaliter Concedo majorem, quod scilicet radicata sit quantum potest, etiam absolutè: si autem radicata sit tota sed non totaliter Nego majorem. Qualitas autem ubi primum recepta est in subjecto, est quidem in eo radicata & subjectata tota, in hoc scilicet sensu, ita quod tota ejus entitas sit subjectata; cum ut bene dicit arguens, tota ejus entitas sit accidens & accidentalis, attamen non propterea est radicata totaliter; tum quia non valet consequentia à radicatione & subjectatione alicujus secundum se totum ad radicationem & subjectationem ejusdem factam totaliter, ut conceditur communiter apud philosophos; & patet in anima quæ à principio infusionis aut eductionis est recepta & subjectata tota, non tamen totaliter, cum pro illo tunc non exerceat nec explicet omnes suos effectus; tum etiam quia quamvis tota qualitatis entitas sit subjectata, potest tamen fieri quod propter indispositionem subjecti, & quia non subjicitur actioni agenti quantum subjici potest, non exerceat nec explicet præfata illa entitas, quamvis tota recepta, omnem sui virtualitatem, ac proinde quod quamvis sit recepta & radicata tota, non tamen totaliter. Vel

Re-

Respondeo secundò, distinguendo eandem majorem sic, hoc ipso quod est qualitas radicata secundum se totam, est etiam hoc ipso radicata quantum potest, etiam loquendo absolutè, loquendo quantum ad id, secundum quod est radicata tota, Transeat: loquendo quantum ad aliud secundum quod non supponitur tota radicata nego majorem, quod scilicet sit tunc qualitas radicata quantum potest absolutè. Unde ad minorem distinguo sic: sed ubi primum recepta est qualitas in subjecto, est in eo radicata secundum se totam, loquendo quantum ad existentiam quam habet in subjecto, Concedo minorem: loquendo quantum ad unitatem quam facit cum subjecto: Nego minorem & consequentiam. Pro quo notandum est, quod duo facit receptio qualitatis in subjecto, primò quod inexistat, dependeat & sustentetur à subjecto & in subjecto; ac secundò quod unum fiat ex subjecto & forma seu qualitate, in quantum scilicet subjectum quod ex se habebat potentialitatem & indeterminationem ad multa sive ad essendum sub diversis formis, vel sub diversis modis participandi eandem formam, reducitur ad actualitatem formæ receptæ, & sic quasi transeundo in ipsam formam, unum constituit cum ipsa forma seu qualitate. Hoc autem suppositio & prænotato, jam dico quod quamvis loquendo de radicatione qualitatis secundum existentiam, dependentiam, & sustentationem ipsius in subjecto, illa sit radicata secundum se totam & quantum potest ubi primum in subjecto recipitur, propterea quod existentia commensuratur entitati, quæ quidem entitas in qualitate est secundum se & in eadem parte subjecti indivisibilis, ut dictum fuit in prima probatione conclusionis, adeoque & arguit indivisibilitatem in existentia; Nihilominus loquendo de qualitate quantum ad unitatem seu illud unum quod constituit cum subjecto, falsum est, quod ubi primum in subjecto recipitur radicata sit secundum se totam & consequenter quantum potest absolutè: cujus ratio est quia illud unum quod fit ex qualitate & subjecto, fit per hoc quod reducitur subjectum ad actualitatem ipsius formæ seu qualitatis, subindeque & per hoc quod subjicitur actioni agentis inducentis & producentis qualitatem; unde cum possit magis ac magis subiri hujus actionis, quod quidem ex eo colligo, quod, ut ipsa testatur experientia, potest subjectum magis vel minus resistere, proindeque & debet posse magis vel minus subjici, cum minus resistere inferat magis subjici, & magis resistere inferat minus subjici; consequenter fit quod possit subjectum magis ac magis reduci ad actualitatem ejusdem

Nota.

formæ seu qualitatis; atque ita cum fiat unũ ex subjecto & qualitate per hoc quod reducitur subjectũ ad actualitatem ipsius qualitatis, dependendo per hoc potentialitatem quam habet ad multa, falsum consequenter est quod loquendo de qualitate quantum ad unitatem seu illud unum quod constituit cum subjecto, falsum, ie quam. est quod ubi primum in subjecto recipitur, radicata sit secundum se totam, aut quantum potest.

Objicies secundò, intensio qualitatis est essentialiter alteratio; sed si fieret per solam radicationem majorem & absque productione novæ partialis qualitatis, non esset essentialiter alteratio: ergo non fit intensio per solam radicationem majorem ejusdem qualitatis. *Major* constat ex dictis supra in præmissis. *Probatur Minor*, motus alterationis est essentialiter ad qualitatem, & non ad modum; sed si fieret intensio qualitatis per solam radicationem majorem, non esset motus intensionis ad qualitatem, sed tantum ad novum radicationis modum: ergo nec esset intensio essentialiter alteratio.

Respondeo negando minorem; ad cujus probationem distinguo majorem: motus alterationis est essentialiter ad qualitatem, vel ut producendam, vel ut perficiendam Concedo; ad qualitatem ut absolutè producendam Nego majorem, quod scilicet sit hoc de essentia alterationis; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam: non igitur de ratione essentiali alterationis est, quod terminetur ad qualitatem ut absolute producendam, sed quod terminetur ad qualitatem vel ut absolutè producendam, quando scilicet nondum supponitur producta, vel quod terminetur ad qualitatem sub novo modo; si quidem hoc ipso quod tendit motus aliquis ad ponendam qualitatem sub novo modo, adhuc specificatur à qualitate tanquam à termino, proindeque & adhuc habet rationem specificam & essentialem alterationis; unde cũ hoc habeat intensio, consequenter fit, quod intensio, quamvis fiat sine productione qualitatis novæ, adhuc tamen sit essentialiter alteratio. Neque ex eo quod intensio sit motus realiter distinctus à prima productione qualitatis, requiritur propterea quod ejus terminus esse debeat realiter & entitativè distinctus à termino primæ productionis, & non tantum modaliter, subindeque & quod debeat esse nova entitativè qualitas, & non tantum qualitas sub novo modo: ad distinctionem enim realem actionum seu motuum, sufficit distinctio modalis terminorum; alias omnis modus qui producitur in subjecto, ut sessio, ubi; &c. non deberet distincta actione reali produci, quod tamen militat contra experientiam.

Nota

Nota.

Insta-

Instabis: intensio ex præfata solutione terminatur essentialiter ad qualitatem ut perficiendam; sed si fieret sine additione qualitatis, & per solam radicationem majorem, non terminaretur ad qualitatem ut perficiendam seu perfectiorem: ergo non fit intensio per solam radicationem majorem. *Probatur minor:* perfectio illa qualitatis, ad quam terminatur intensio est perfectio in virtute: cum qualitas intensa perfectiores producat effectus, & productio effectuum non correspondeat nisi virtuti: sed si fieret intensio per solam radicationem majorem, non terminaretur ad qualitatem ut perfectiorem secundum virtutem: ergo nec terminaretur absolutè ad qualitatem ut perfectiorem. *Probatur Minor:* modus non est nec dici potest virtus; cum modo non tribuatur productio effectuum, bene quidem virtuti: sed si fieret intensio per solam radicationem majorem, terminaretur ad qualitatem ut perfectiorem solum secundum radicationis modum: ergo non terminaretur ad qualitatem ut perfectiorem secundum virtutem.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti: ad tertium verò distinguo majorem sic: modus non est, nec dici potest virtus *formaliter*, Concedo; non est nec dici potest virtus *arguitivè*, Nego. Potest enim modus esse talis vel talis naturæ, ut ex eo arguatur & habeatur major vel minor virtus; & de facto sic accidit in præsenti casu: cum enim modus ille radicationis majoris sit ordo, aut saltem involvat ordinem participationis qualitatis ad subjectum magis dispositum sive magis subditum actioni agentis, & præfatus ille ordo sit quid intrinsecum ipsi qualitati, consequenter fit quod ex perfectione & incremento in modo illo majoris radicationis arguatur perfectio ipsius qualitatis secundum aliquid sibi intrinsecum; atque ita cum qualitas ex suis intrinsecis sit virtus, sequitur de primo ad ultimum, quod ex majori illa perfectione in modo dicatur & arguatur qualitas perfectior in virtute. Quod quidem ex eo ulterius confirmari potest quod cum virtus dicatur talis in ordine ad productionem effectuum, hoc ipso quod ex perfectiori modo arguitur vis nova in ordine ad producendos effectus, debet consequenter & argui perfectio major in virtute: sed sic est quod sine additione entitatis novæ, & per novum dumtaxat modum communicationis majoris variatur & perficitur eadem entitas in ordine ad producendos effectus; ut patet in eadem anima, quæ secundum diversos modos communicationis in materia producit effectus, vel vegetativos tantum, vel etiam sensitivos: ergo ex modo perfectiori potest argui

Nota.

major virtus in qualitate. Licet enim modus non sit productivus, bene tamen qualitas sub modo; & sic non mirum, quod qualitas sub perfectiori modo existens, possit perfectiores effectus producere, & consequenter exinde argui perfectior in virtute.

Objicies tertiò, intensio est motus continuus: sed si fieret per modum majoris radicationis, non esset intensio motus continuus: ergo non fit intentio per modum majoris radicationis, sed per novæ qualitatis partialis productionem. *Major* supponitur certa; cum motus continuus sit ille qui fit continuè & absque interruptione per aliquod tempus, & intensio caloris verbi gratia, fiat continuè & absque interruptione toto tempore quo agens manet debitè applicatum passo. *Probatur minor*, omnis motus continuus importat & exigit aliquid, quod habeat latitudinem successivè percurrendam: sed si fieret intensio per modum majoris radicationis, non importaret aliquid quod haberet latitudinem successivè percurrendam: ergo si fieret per modum majoris radicationis, & non per partialem qualitatem, non esset motus continuus. *Maior* conceditur; habere namque latitudinem successivè percurrendam est præcipua conditio termini motus continui. *Probatur minor*, non habet modus majoris radicationis latitudinem successivè percurrendam: alias esset divisibilis, cum tamen qualitas cujus est modus, & cui deberet proportionari, esset in hoc casu indivisibilis: sed si fieret intentio per modum majoris radicationis non aliud in ea assignari posset habens latitudinem successivè percurrendam, quam præfatus ille modus: ergo si fieret intensio per modum majoris radicationis, nihil importaret quod haberet latitudinem successivè percurrendam.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti: ad tertium vero distinguo majorem sic: non habet modus majoris radicationis latitudinem successivè percurrendam, loquendo de modo in se ipso, Concedo: loquendo de modo in suo effectu, Nego majorem; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Licet igitur non sit admittendus modus ille radicationis ut habens in seipso latitudinem successivè percurrendam, & ut formaliter divisibilis; tum quia ut bene dicit arguens, proportionari debet entitati cujus est modus, adeoque cum entitas qualitatis intensibilis sit indivisibilis, in hac sententia idem consequenter dici debet de modo; tum etiam quia si esset modus ille in seipso divisibilis & latitudinem habens partium acquirendarum successivè percurrendam, eadem

eadem fere sequerentur inconvenientia, quæ dicimus nos sequi in sententia quam improbamus de intensione facta per partiales qualitates: licet igitur, non sit admittendus modus ille radicationis ut habens in seipso formalem divisibilitatem, seu latitudinem successivè percurrendam, hanc nihilominus habet in suo effectu pura in unitate, quam facit ex forma seu qualitate quæ radicatur & ex subjecto; est enim, ut supra ostendimus, unitas illa suscipiens magis & minus sub eadem entitativè forma, in quantum scilicet potest subjectum magis vel minus reduci ad actualitatem ejusdem qualitatis, & deperdere magis vel minus de potentialitate quæ habet ad plures formas, vel ad plures modos sub eadem forma; ac proinde quamvis fiat intensio per modum majoris radicationis, sitque ille modus formaliter indivisibilis, adhuc attamen in eâ sufficienter assignatur ex quo colligatur continuitas ipsius motus, seu quod habeat latitudinem successivè seu divisibiliter percurrendam; tum quia unitas illa quæ fit ex qualitate radicatâ & ex subjecto est id ad quod quasi ultimatè tendit intensionis motus, & est quid divisibile & successivè percurrendum; tum quia hoc ipso quod modus ille radicationis est ita divisibilis & latitudinem habens divisibiliter percurrendam in suo effectu, est consequenter in seipso virtualiter divisibilis, ac proinde vim & virtutem habet arguendi divisibilitatem & continuitatem in motu intensionis, æque ac si esset formaliter in seipso divisibilis: in hoc enim dicitur aliquid virtualiter tale, quia vim & virtutem habet præstandi id quod præstaret, si esset formaliter tale.

Objicies quartò; pareat ratio quoad intensionem de una ac de altera qualitate: sed gratia, quæ est qualitas, intenditur per additionem novæ entitatis, & non per majorem solum radicationem: ergo & idem similiter dicendum est de cæteris qualitatibus. *Probatur minor*, augmentum dicit essentialiter additionem novæ entitatis ad præcedentem; ut ex ipsa augmenti significatione colligitur: sed ex concilio Tridentino augetur gratia per bona opera: ergo gratia intenditur per additionem novæ entitatis, & non per majorem solum radicationem ejusdem gratiæ.

Respondeo negando minorem; ad cujus probationem nego majorem, scilicet augmentum dicat essentialiter additionem novæ entitatis ad præcedentem. Nam ut dicemus in sequenti quæstione, in rarefactione augetur quantitas absque tamen additione partialis qualitatis per solam explicationem majorem partium præcedentis, quæ quidem explicatio major fit bene-

ficio qualitatis quæ dicitur raritas. Adde quod augmentum ut notat D. Thomas propriè solum dicitur & invenitur in corporali quantitate, & translatitiè solum in spirituali magnitudine & qualitatibus; ac proinde dato quod augmentum ex propria significatione importaret additionem entitatis novæ, non tamen in gratia vel in aliis qualitatibus, ubi scilicet non invenitur secundum propriam significationem, sed translatitiè solum.

Instabis: Concilium Tridentinum *sess. 7. can. 7.* dicit: si quis dixerit per hujusmodi sacramenta non dari gratiam semper & omnibus anathema sit: ergo homini justo dant sacramenta gratiam: sed gratia est qualitas & non modus: ergo intensio gratiæ quę fit per sacramenta in homine justo fit per additionē qualitatis.

Respondeo: distinguendo primum consequens: ergo homini justo sacramenta dant gratiam, eam de novo infundendo, Negotiam ut jam infusam perficiendo, Concedo; neque aliud intendit concilium in præfato loco, ut colligitur ex initio decreti de sacramentis *sess. 7.* ubi ait quod *per sacramenta omnis veræ justitiæ, vel incipit, vel jam cepta augetur*; unde D. Thomas. 3. *p. quæst. 72. art. 7. ad 3.* habet expressis terminis, quod gratia quæ prius inerat, augetur per confirmationis sacramentum; ac proinde ibi non superadditur nova gratia quæ sit nova qualitas, sed solum intenditur vel extenditur præexistens, Neque ibi etiam apparenter tangit concilium quæstionem philosophicam de modo intensionis formarum; sed ibi solum stabilitur dogma Catholicum, quod scilicet per sacramenta confertur gratia: quod quidem verificatur, sive addatur nova gratia, sive præexistens solum perficiatur; siquidem perfectio gratiæ, gratia est.

Colliges, idem proportionabiliter dicendum esse de qualitatum remissione; adeo ut sicut probatum fuit fieri intensionem, non per additionem novæ partialis qualitatis, sed per modum majoris radicationis præexistentis, ita quando ipsa remittitur qualitas, non propterea aliquid deperditur de entitate qualitatis, sed solum deperditur modus ille majoris radicationis, & advenit modus remissior, seu minoris radicationis. Quod si inquiras, à quo producatur gradus ille remissior remoto agente
Nota. intendente; ad hoc respondent communiter Thomistæ, quod à duplici procedit causa, una per accidens, ea scilicet quæ impedit perfectiorem illum & intensiorem modum unionis, quatenus reddit ut subjectum inhabile & indispositum; sicut qui dispositiones tollit, ut anima sit in corpore, dicitur occidere hominem. Alia autem causa præfati modi remissioris est

causa

causa per se, & est ipsamet forma seu qualitas, ex qua scilicet emanat ille modus remissior ex vi prioris actionis qua unita fuit subjecto ab agente à quo producta fuit; quæ quidem actio, licet pro nunc formaliter non detur, manet tamen virtualiter, in forma producta, quæ fuit ipsius terminus. Taliter enim fuit forma illa seu qualitas unita subjecto fortiore illa & perfectiore unione, quod virtualiter retinet unionem inferiorem & remissiorem, si tollantur dispositiones ad perfectiorem, eo quod minus perfectum contineatur virtualiter in magis perfecto.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Respondeo, D. Thomam fuisse omninò præfatæ nostræ conclusioni; quod imprimis colligo ex his quæ habet 1. 2. *quæst.* 52. *art.* 2. *ad* 2. ubi habet *quod causa augens habitum, facit quidem semper aliquid in subjecto, non tamen facit novam formam, sed facit quod subjectum perfectius participet formam præexistentem.*

Item in eodem articulo ad tertium habet S. Doctor, *quod id quod est minus calidum, aut minus album non est in potentia ad formam, cum jam actu formam habeat, sed est in potentia ad perfectum participationis modum, & hoc consequitur per actionem agentis.* Hæc D. Thomas ex quibus sic arguere licet.

Non potest augeri forma seu qualitas sine additione novæ formæ & solum per novum participationis modum, quia hoc ipso augeatur per modum majoris radicationis ejusdem formæ: sed loquens D. Thomas de augmento intensivo qualitatis, dicit eam augeri sine additione formæ, sed per novum sive perfectiorem participationis modum: ergo sensit D. Thomas, augeri intensivè qualitatem per modum majoris radicationis ejusdem formæ, quod est, quod docet nostra conclusio:

Secundo hoc idem colligo ex his quæ habet, 2. 1. *quæst.* 23. *art.* 5. *formam*, inquit, *esse majorem, est eam magis in esse susceptibili, non autem aliquam formam advenire; hoc enim esset, si forma haberet aliquam quantitatem ex seipsa, non comparatione ad subjectum.* Hæc ille, ex quibus argumentor sic.

Non potest ex D. Thoma forma sive qualitas fieri major ex adventu alterius partialis formæ, nisi habendo quantitatem seu partes ex seipsa, & non tantum comparatione ad subjectum: sed forma seu qualitas non habet quantitatem seu partes ex seipsa, sed solum comparatione ad partes subjecti, ut supra ostendimus

dimus in prima probatione conclusionis; & ut ibi clare insinuat S. Doctor: ergo, ex D. Thoma non fit qualitas intensivè seu in eadem parte subjecti major ex adventu partialis formæ, sed quia per modum majoris radicationis magis ineſt ſuſceptibili ſeu ſubjecto.

Tertio denique illud colligo ex eodem S. Doctore, *in 1. diſt. 17. quæſt. 2. art 2. ad 3.* ubi hæc habet: *non eſt de ratione intenſionis alicujus qualitatis, quod ſit per remotionem à contrario, ſed hoc accidit qualitati ſecundum quod eſt in ſubjecto participante contrarium; ſed hoc eſt de neceſſitate intenſionis, ut qualitas educatur de imperfecto ad perfectum, ſicut patet in diaphano, in quo nihil eſt contrarium luci, quod poteſt lumen intendi ſecundum crementum virtutis dominantis. Hæc autem imperfectio ſecundum quam ita educitur qualitas de imperfecto ad perfectum, eſt ex potentialitate ipſius naturæ ſeu ſubjecti, quæ ſubjicitur perfectioni & actui, cum enim omnis potentia receptiva ad multa ſe habeat, hinc ſecundum iſtam multitudinem ipſius diſſimile eſt principio agenti, quod eſt terminatum ad unum; & ſecundum quod iſta conjunctio potentialitatis magis ſubjicitur actui, perfectior perficitur actus, & ipſum perfectum magis efficitur unum, & magis aſſimilatur principio agenti.* Hæc Divus Thomas, ex quibus ſic arguo ad intentum.

Ex Divo Thoma intenditur qualitas per hoc quod ſubjectum magis ac magis ſubjicitur actui: ſed poteſt ſubjectum magis ac magis ſubjici reſpectu ejuſdem entitative actus; cum ut experientia conſtat, poſſit reſpectu ejuſdem magis ac magis reſiſtere: ergo ex Divo Thoma intenditur actus ſeu qualitas per majorem ſubjectionem reſpectu ejuſdem entitativè actus ſeu qualitatis: ſed hoc eſt intendi qualitatem per majorem radicationem, ut patet ex dictis ſupra: ergo ex D. Thoma intenditur qualitas per modum majoris radicationis, & ſine additione partialis qualitatis.

Dices primò. quod D. Thomas, 2. 2. *qu.* 24. *art.* 4. *ad* 3. dicit, *quod propriam vocem ignorant qui dicunt, qualitatem intendi per radicationem & non ſecundum eſſentiam*; ergo ſentit S. Doctor fieri intenſionem per additionem entitatis, non autem per ſolam radicationem.

Reſpondeo negando conſequentiam, ſubdit enim idem D. Thomas, quod ideo ignorant propriam vocem qui dicunt charitatem non augeri ſecundum eſſentiam, ſed ſolum ſecundum radicationem, *quia nihil aliud eſt eam ſecundum eſſentiam augeri, quam eam magis ineſſe in ſubjecto, quod eſt magis radica-*

dicari in subjecto: ergo augeri secundum essentiam non est apud D. Thomam augeri per additionem, sed est idem, quod magis radicari, & inesse subjecto; cujus quidem dicti ratio est, quia cum non possit forma communicari subjecto per solam extrinsecam immutationem, ex eo scilicet quod intrinsecè perficitur forma ex ipsa communicatione, cum ad hoc intrinsecè ordinetur ejus essentia, ut subjectum informet, consequenter fit quod hoc ipso quod magis communicatur & magis radicatur forma seu qualitas in subjecto, magis etiam intus & intrinsecè ac secundum essentiam proficiatur & augeatur; non quidem quasi augmentum sit ad novam entitatem & novam essentiam sicut ad terminum, sed quia ipsa essentia est id quod per majorem radicationem ita augetur.

Dices secundò, quod D. Thomas 3. *p. quæst.* 7. *art.* 12. expresse admittit, dari gradus in calore; & consequenter fieri intensionem per additionem gradus ad gradum: ergo non sentit S. Doctor intendi qualitatem per modum majoris radicationis.

Respondeo, negando consequentiam, non enim intelligit D. Thomas nomine gradus novam entitatem additam entitati præexistenti, sed solum novam seu perfectiorem ejusdem participationem & radicationem in subjecto; cujus quidem ratio est, quia ubi est latitudo successivè pertransibilis, necesse est gradus constituere; gradus namque dicitur à gradiendo, & propriè gradus sunt ex quibus scalæ constant, & quibus ad ædificiorum altiora conscenditur, juxta illud poëtæ 1. Æneidos ærea cui gradibus surgebant limina; indeque transfertur ly gradus ad designandum divisiones eorum quæ habent latitudinem cum inæqualitate; sed sic est, quod in præfata participatione & radicatione est latitudo divisibilis & divisibiliter percurrenda cum inæqualitate, ut constat ex dictis suprà in responsione ad tertiam objectionem: non ergo ex eo quod gradus admittat D. Thomas in intensione qualitatis, sequitur propterea quod velit S. Doctor, fieri intensionem additione partialis qualitatis, sed solum gradus adducit ad designandam diversam participationem qualitatum, nec non & latitudinem illius unitatis, quæ fit ex ipso subjecto & ipsa qualitate participata, quæque successive & continue augetur, ut suprà dictum fuit.

QUÆSTIO III.

De actione & reactione ubi de Antiperistasi.

QUia quæ de actione & reactione inquiri solent à philosophis, supponuntur majori ex parte ut certa apud omnes, ea propterea breviter percurremus; atque omissa & rejecta solita methodo, ea quæstitis & responsionibus aliquibus breviter, sed tamen sufficienter resolvemus, igitur

Quæras primò. utrum simile possit agere in simile.

Respondeo primò, non posse agens agere in subjectum quod est ipsi simile, & quoad qualitatem secundum speciem ac gradum spectatam, & simile quoad densitatem vel raritatem. Ratio autem hujus est, quia tunc passum sive subjectum, in quod debet agens agere, supponitur omnino simile quantum ad ea in quibus potest agenti assimilari; ergo non potest agens in illud agere ut illud sibi assimilet: sed sic est quod omne agens in tantum agit in aliud, in quantum intendit illud sibi assimilare, dando scilicet ei & in eo producendo illud quod habet: ergo non potest agens agere in passū sibi omni ex parte simile; hoc est simile tum quoad qualitatem & secundum speciem & secundum gradum, tum quoad densitatem & raritatem. Neque contrariū probat id quod afferunt aliqui, pura quod tunc passum non resistit agenti, cum omnis resistentia fundetur in contrarietate, & contrarietas in dissimilitudine quæ tunc non est: non, inquam, id obstat, quia licet tunc non resistat passum positivè, resistit tamen negativè, in quantum scilicet capax non est recipiendi effectum agentis, cum jam supponatur in actu quoad illud omne, quod posset agens in illud producere.

Respondeo secundò, non posse agens agere in subjectum sibi simile quoad qualitatem & gradum illius, quamvis sit dissimile, seu superetur ab agente quoad densitatem. Ratio autem hujus est, quia non potest agens producere aliquid seu gradum aliquem qualitatis, nisi illum in se contineat vel formaliter vel eminenter: sed nec formaliter nec eminenter præcontineret agens gradum illum quem produceret in subjecto sibi jam simili quoad qualitatem & gradum illius; non quidem formaliter, alias superaret in gradu illo formaliter præcontento passum in quod ageret, & sic non esset ei simile in gradu contra suppositio-

tionem factam: sed neque præcontineret eminenter; cum eminentialis præcontinentia alicujus active producendi fundari debeat in actualitate seu qualitate aliqua activa excellentiori, sicut calor in lumine solis; densitas autem illa major ratione cujus præfatum agens diceretur præcontinere gradum illum in subjecto simili producendum, non sit activa qualitas: non ergo potest agens agere in subjectum sibi simile quoad qualitatem & gradum illius, quamvis dissimile sit & ab agente superetur quoad densitatem. Unde ad hoc solum conducit densitas agentis [puta ferri calidi ut quatuor] ut melius calor in illo existens operetur intra latitudinem suæ virtutis, & ut magis extendere queat suam operationem: quod quidem ex duplici capite provenit: primo quia in subjecto densiori qualitas est magis unita, virtus autem unita fortior est seipsa dispersa: secundo quia firmius & tenacius adhæret subjecto densiori, quam rariori quibus etiam addi potest, qualitatem in subjecto densiori, extentis paribus, esse extensive majorem, quam in rariori, utpote in pluribus partibus magis unitis & compressis existentem. Et propter has rationes ferrum verbi gratia, calidum ut sex potius comburit manum quam flamma, quæ est calida ut octo.

Unde in exemplis quæ solent objici in contrarium, dicendum est quod ubi accidit agens densius producere perfectiorem gradum in subjecto simili, quod hoc non est ratione densitatis, sed quia vel agit in virtute aliqua & alicujus virtualiter continente gradum illum perfectiorem, sicut patet in exemplo de forma ignis subindeque de calore ut octo qui quidem producitur in sulphure verbi gratia, à calore ignis recepto in aëre igni proximo, ex eo scilicet quod calor ille aëris licet non sit formaliter ut octo, est tamen ut octo virtualiter, cum agat ut virtus ignis; vel quia de facto ratione majoris densitatis quæ est in agente, ut potè magis disponentis ad receptionem activæ qualitatis, est activa illa qualitas de facto & reipsa intensior in agente, licet apparenter sit similis, ut patet in exemplo de speculo, quod quidem licet magis distet à sole illuminante quam aër medius, quia tamen est magis dispositum ratione suæ densitatis ac tersitatis ad recipiendum lumen quam aër; & aliunde agens aut sol illuminans melius sibi operetur & perfectiorem producat formam, ubi melius dispositum reperit subjectum, ideo præfatum illud speculum intensius illuminabitur à sole quam aër, unde non mirum quod possit gradum aliquem caloris in aliquo subjecto producere, quem non poterit producere aër.

Quæ-

Quares secundo, An virtus activa agentis debeat esse major resistentia passi.

Respondeo primò, Virtutem activam agentis debere necessario esse majorem resistentia passiva subjecti, quæ quidem resistentia passiva, aliud nihil est, quam difficilis capacitas recipiendi actionem & formam ab agente intentam, ob firmam scilicet adhæsionem formæ oppositæ, quæ actu inest passo, difficileque expellitur, tametsi in passum non mutuo agat. Ratio autem præfatæ responsionis est, quia passum à quo expelli debet qualitas semper resistit agenti, & quantum potest ejus retardat actionem, cum talis expulsio sit corruptio passi secundum aliquid sui: ergo ad hoc ut agens agat in passum, necessarium est, quod ab ejus resistentia non impediatur: atqui virtus activa dicitur major passiva resistentia passi, quando non potest per eam impediri quo minus agat: ergo debet virtus activa agentis necessario esse major resistentia passiva subjecti. Unde dicendum est, quod omnis actio procedit à proportione majoris inæqualitatis inter virtutem activam agentis & resistentiam passivam subjecti recipientis, dicitur enim proportio majoris inæqualitatis, quando virtus activa agentis est major: & minoris inæqualitatis, quando est minor.

Ex his autem colliges, quod quia elementa talem servant inter se ordinem activitatis & resistentiæ, ut quæ magis activa sunt, sint minus restitiva, ideo nusquam posset aqua destruere aliquam partem terræ si cætera sint paria, nempe si aqua & terra illa sint in eadem quantitate: licet possit si cætera imparia sint, puta si terra sit in modica quantitate, aqua verò in maxima. Tunc enim siccitas terræ ob exiguitatem materiæ & quantitatis non resistet secundum totam suam vim, humiditas vero aquæ ob magnitudinem materiæ & quantitatis in qua est, aget secundum totam suam intensionem, & sic per actionem aquæ corrumpi poterit aliquid terræ, licet terra absolutè loquendo magis resistat per siccitatem, quam agat aqua per humiditatem. Hac etiam ratione multæ guttæ successivè decidentes in partem aliquam lapidis etiam durissimi, per actionem suam humectantem tandem superant duritiem & siccitatem illius, eamque demum corrumpunt, & sic excavant lapidem, unde & solet dici, guttam cavare lapidem sæpius cadendo. Quod autem communiter dicitur, ultimam guttam cavare lapidem, hoc intelligi debet de ultima gutta non solitariè & per se sumpta, sed in virtute omnium præcedentium, quæ dispositionem introduxerant.

Respondeo secundò, Ad resolutionem quæsiti, virtutem activam

vam agentis non debere necessario esse majorem resistentia activa passi: quod idem est ac dicere, actionem non procedere necessario a proportione majoris inæqualitatis inter virtutem activam agentis & activam resistentiam passi; quæ quidem activa resistentia consistit in actione contraria, qua passum sæpe in ipsum agens reagit, quando est ipsi contrarium, ejusque actionem debilitat. Etenim ad hoc ut agens agat in passum sufficit quod virtus agentis superet resistentiam formalem seu passivam illius, expellendo ab ipso formam oppositam: atqui potest virtus activa agentis esse major resistentia formali passi, eamque superare, ut verbi gratia si frigiditas aquæ superare potest formalem & passivam ignis resistentiam, licet à resistentia activa ignis superetur; cujus ratio est, quia frigiditas aquæ comparata ad resistentiam passivam ignis, agit secundum totam suam latitudinem gradualem in ignem: cum tamen ignis non resistat passivè nisi secundum ultimum gradum præcise sumptum, quandoquidem cum eo dumtaxat primus gradus frigiditatis habet incompossibilitatem; licet alioquin agat ignis seu activè resistat secundum totam suam intensionem caloris: ergo ad hoc ut agens agat in passum non propterea debet virtus activa agentis esse major resistentia activa passi.

Quæres 3. Quid sit; & an & inter quæ detur reactio.

Respondeo primò, Reactionem esse actionem reciprocam seu mutuam, per quam passum eo ipso tempore quo patitur ab agente aliquo, saltem secundum aliquam sui partem, secundum eandem etiam partem in ipsum agens reagit, & quasi par pari refert. Et alteri quidem ex duobus istis, quod fortius est, tribuitur nomen *agentis*, alteri autem nomen *patientis*, seu passi.

Respondeo secundò, Quod quamvis omne agens naturale non repatiatur ab alio; certum tamen est ex quotidiana experientia, frequentissimam esse reactionem inter agentia naturalia. Primò enim si glacies manu calida contrectetur, simul glacies calore manus liquefit simulque manus frigefiet ab ipsa glacie. Ita si aqua calida frigidæ permisceatur, aut fervum candens in ipsam immergitur, simul aquam calefacit, simulque frigefit ab aqua. Item cibus alterans stomachum, vicissim à stomacho immutatur. Aër similiter aspiratione auctus refrigerat pulmones, & vicissim ab iis incalescit. Item vasa vitrea mutuo collisa, sese mutuo frangunt. Culter lignum secans, a ligno retunditur, &c. Demum calidum ut octo verbi gratia, agens in frigidum etiam ut octo facilè potest ipsius resistentiam formalem superare, producendo in eo primum caloris gradum, per quem expellatur octavus

vus gradus frigoris Nam ille octavus gradus resistit tantum ut unum, siquidem conservatur tantum a virtute adæquata : cum è contra primus caloris gradus in illa Hypothesi inducatur per virtutem excedentem septem gradibus. Et sic per proportionem de aliis.

Respondeo tertiò, Quod quando agens & passum communicant in eadem materia transmutabili, ut de facto communicant omnia sublunaria; estque unum intra sphæram activitatis alterius, & vicissim alterum intra sphætam activitatis istius, toties inter illa datur reactio, seu toties agens agendo repatitur. Cujus ratio est quia tunc passum licet quoad virtutem suam activam, & activam resistentiam superetur à virtute activa agentis, idem tamen passum secundum virtutem suam activam superat resistentiam formalem & passivam agentis, aut certe superare potest; ex eo scilicet quod virtus activa agentis, licet agat secundum totam suam intensionem, nihilominus resistit tantum secundum unum gradum, eum scilicet qui per actionem reciprocam passi contrarii est expellendus & cum effectu illius est incompossibilis, cum tamen idem passum agat secundum totam suam virtutem in talem gradum, ut scilicet eum expellat & expellendo oppositum inducat : ergo cum hoc sufficiat ad hoc ut passum reagat in agens seu ad hoc ut agens agendo repatiatur, quod scilicet vincat passum passivam seu formalem resistentiam agentis, ut supra ostendimus, consequenter fit, quod omne agens quod communicat in materia transmutabili cum passo, estque intra sphæram activitatis illius, repatiatur ab eo, accedetur in illud reactio. Cum quo stat, quod adhuc agens repatiendo & deperdendo gradum unum, adhuc possit producere qualitatem tam intensam, quantam ipsum habet, si tamen talis qualitas sit ei connaturalis, & propria ejus passio; quia scilicet tunc per simplicem resultantiam statim recuperare potest gradum amissum, subindeque & agere, & producere secundum totam suam intensionem.

Neque ex hac reactione propterea sequitur, quod idem mobile pura aër intermedius inter ignem agentem in aquam & aquam reagentem in ignem moveatur secundum easdem partes motibus contrariis, sed solum secundum diversas. Ignis enim in tali casu calefacit partes aëris sibi vicinores usque ad certum terminum, & aqua infrigidat alias sibi pariter propinquas usque ad eundem terminum in quo sibi concurrunt : semel autem immutatæ hujusmodi partes, id est calefactæ aut frigefactæ respectivè induunt rationem unius & ejusdem agentis cum ipso igne

aut

aut aqua, sicque in se invicem agunt.

Quares quartò, Quid sit antiperistasis, & quomodo ea mediante intenditur sive augeatur qualitas in calidis & frigidis.

Respondeo quod ly *antiperistasis* est vox græca significans contrarii circumobsessionem, quando scilicet unum egens contrarium, ut plurimum fortius quasi obsidet aliud, puta frigus hiemali tempore calorem naturalem in stomacho existentem: unde quia qualitas obsessa fit activior & robustior, ac si vires suas ad pugnandum, seque à contrario defendendum recolligeret, merito quæritur unde & à quo principio fiat in antiperistasi activior qualitas & fortius agens. Pro quo dico esse multum probabile, quod fiat hoc duobus his modis. Ac primo quidem fit quando agens contrarium impedit, ne spiritus effluant, unde redditur calor stomachi verbi gratia activior, citiusque coquuntur cibi. Sic etiam frigus constringens terram, impedit ne exhalationes erumpant, quare obrem aër in cavernis magis incalescit, atque instar fumi cujusdam, inde prodeunt halitus, qui etiam fontanis & putealibus aquis permixti, calidiores illas efficiunt. Contra autem [& hic est secundus ex duobus præfatis modis] calor æstivus circumobsistens efficit, ut exhalationes laxatis terræ potis erumpant liberius; unde aquæ putrales & fontanæ sibi relictæ, & impermixtæ illius exhalationibus, proprium frigus emanant, adeoque redduntur in æstate frigidiores. Item calx viva, ubi aqua infunditur, solet exardescere, quia spiritus ignei intus conclusi hoc modo continentur ne diffluant, tum mutuo sese ad invicem allidentes, majorem acquirunt raritatem, unde coguntur erumpere, aquam ipsam calefaciendo cum ingenti ebullitione.

QUÆSTIO IV.

De rarefactione & condensatione ad quid per se primo terminentur rarefactio & condensatio.

PRæmittendum primò, Aliam esse rarefactionem aut condensationem impropriè dictam, ut quando spongia, aut cera comprimitur vel dilatatur manu, ideoque tantum una ex parte vel crescit vel minuitur, quantum vel decrescit vel augetur ex alia. Ad hanc etiam impropriam rarefactionem & condensationem revocatur ea quæ fit ex solo locali motu, in quantum scil. divisivus est alicujus corporis, puta vel aquæ vel aëris: cum enim par-

partes divisæ non penetrentur cum aliis, debent consequenter necessariò comprimi, alias fieri non posset divisio: hæc autem compressio est densitas quædam, cum sub eadem materia minores importet dimensiones. At de tali condensatione & rarefactione impropriè sumpta non procedit præsens quæstio, sed de rarefactione propria & naturali, quæ conducit ad generationem & corruptionem, & in qua partes omnes quantum est de se omnem in partem dilatantur vel comprimuntur. Ut quando aqua vel lac in lebete, igne supposito intumescit, totumque incipit replere lebetem sine ulla novæ materiæ additione: cum econtra in condensatione detumescit.

Certum autem est, non fieri rarefactionem & condensationem, ut quidam volúere, per hoc quod in corporibus inveniantur pori, id est subtilissima quædam foramina, quæ quidem in rarefactione laxentur & aliis subtilioribus corporibus repleantur; constipentur vero in condensatione: in aëre namque ut plurimum fit rarefactio, nec tamen in aëre sunt pori; tum quia est fluidæ substantiæ & fluendo repleret illos, alias detineretur aër vel aqua inter porum & porum ne flueret, tum etiam quia si in aëre essent pori, deberent repleri alio corpore subtiliori, quod tamen non est assignabile, nisi forte ignis, qui tamen non in omni parte aëris esse potest. Restat igitur, fieri motum rarefactionis & condensationis vel per acquisitionem partialis alicujus & superadvenientis quantitatis, ut volunt Scotistæ, ad quam propterea ut superadditam vel deperditam per se primo terminentur præfati illi motus condensationis & rarefactionis; vel præcise penes diversam positionem partium sive extensionem situalem & localem, pertinentem ad ubi vel ad situm, quæ consequenter per se primo terminent tales motus; vel tandem per hoc quod per se primò terminentur rarefactio & condensatio ad qualitatem quandam sic ipsam disponentem quantitatem, quod petat majorem vel minorem extensionem ad locum.

Præmittendum secundò, Pro declaratione principiorum, ad quæ conclusionis veritas reduci debet, quod hæc tria sunt apud omnes receptissima, proindeque vim habitura principii, puta quod *rarum est, quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus; densum verò quod sub parvis dimensionibus multum habet materiæ*: quod *rarefactio & condensatio sunt motus ad raritatem & densitatem*; quod *alteratio est motus per se primo terminatus ad qualitatem*. Quod autem rarum sit, quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus &c.

ex

ex eò patet quod eadem materia quando extenditur & dilatatur per majores dimensiones dicitur rarefieri, ut videre est in aquâ dum in lebete ponitur igne suppositò: sed sic est quod ubi eadem materia quæ sub minoribus dimensionibus continebatur incipit esse sub majoribus non est comparative ad majores dimensiones nisi parum materiæ, cum tota hæc materia antea contineretur sub minoribus: ergo rarum est quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus; & consequenter densum est id ex opposito, quod sub parvis dimensionibus multum habet materiæ. Unde philosophus sic in prædicamento definit rarum & densum. Iam verò quantum ad secundum, puta quod rarefactio & condensatio sint motus ad raritatem & densitatem, ex ipsis patet terminis. Rarefactio namque idem sonat, idemque sibi vult, quod factio rati aut raritatis, proindeque debet esse rarefactio motus ad raritatem, & consequenter condensatio motus ad densitatem. Denique quod alteratio sit motus per se primo terminatus ad qualitatem, ex eo colligi potest, quod non nisi ad tria potest motus proprie dictus terminari, puta ad quantitatem, qualitatem, & ubi: ergo cum ad quantitatem detur motus augmentationis, & ad ubi motus localis, restat quod alteratio, quæ est similiter motus propriè dictus, ut supra vidimus sit motus per se primò terminatus ad qualitatem. His ergo tribus præmissis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæsiti resolutione & conclusionis ad eadem principia reductione fit.

CONCLVSIO: *non fiunt rarefactio & condensatio per hoc, quod terminentur ad novam aliquam & partialem quantitatem vel per hoc quod per se primo terminantur ad majorem vel minorem extensionem situalem sive localem; sed per hoc quod per se terminantur ad qualitatem quandam, ex quarum habeat major illa vel minor extensio.*

Probatur prima pars, ex primo præmisso principio: *rarum est, quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ*: Ergo non potest fieri rarefactio, per hoc quod terminetur ad novam aliquam & partialem quantitatem. *Probatur consequentia*, Si ad novam quantitatem terminaretur rarefactio, tunc rarum sub magnis dimensionibus, non parum sed multum haberet materiæ: ergo hoc ipso quod rarum est, quod parum habet materiæ sub magnis dimensionibus, non terminatur rarefactio ad novam aliquam & partialem quantitatem *Probatur antecedens*, hoc ipso quod crescentibus dimensionibus crescit materia, non potest non esse multum materiæ sub magnis dimensionibus: sed

si ratefactio terminaretur ad novam aliquam quantitatem, cresceret tunc materia rari, dum ejus crescerent dimensiones: ergo tunc rarum non parum sed multum haberet materiæ sub magnis dimensionibus. *Major* patet ex terminis. *Prob. minor*, non posset ratefactio ad novam terminari quantitatem, nisi ut in materia aliqua subjectandâ & subjectatam; sed non in alia materia posset hæc nova quantitas subjectari quam in materia quæ hic de novo cresceret & adveniret; cum subjectari non posset in materia jam sua affecta & informata quantitate, alias daretur penetratio: ergo si ratefactio ad novam terminaretur quantitatem, cresceret tunc materia rari, dum ejus crescerent dimensiones. Ergo si ratefactio ad novam aliquam & partialem terminaretur quantitatem, jam rarum sub magnis dimensionibus multum etiam haberet materiæ: ergo hoc ipso quod rarum est quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ, (quod est primum præmissum principium) non fit nec fieri potest ratefactio per hoc quod terminetur ad novam aliquam seu noviter acquisitam partialem quantitatem.

Probatur secunda pars, ex secundo præmisso principio: *rarefactio & condensatio sunt motus ad raritatem & densitatem*: ergo non terminantur per se primo condensatio & ratefactio ad extensionem localem aut situalem, puta ut majorem in raro & minorem in denso. *Probatur consequentia*, potest manere raritas cum minori extensione locali, & densitas cum majori: ergo hoc ipso quod ratefactio & condensatio sunt motus ad raritatem & densitatem, non potest terminari ratefactio per se primo ad majorem extensionem localem, & condensatio ad minorem. *Consequentia* est evidens. *Probatur antecedens*, hoc ipso quod potest manere raritas sine omni extensione locali, potest a fortiori manere sub minori: sed potest raritas existere & manere sine omni extensione locali: ergo potest manere raritas cum minori extensione locali, & consequenter densitas cum majori. *Major* per se patet. *Probatur Minor*, quod est per se primo pertinens ad partes corporis in ordine ad se & non in ordine ad locum, potest illud esse sine omni extensione locali: sed raritas & densitas sunt per se primo pertinentes ad partes corporis in ordine ad se, & non in ordine ad locum; cum in corpore Christi Domini in Eucharistia, in quo nulla est commensuratio ad locum, sit raritas & densitas; ossa namque sunt densiora carne, & sanguis rarior utroque: ergo potest raritas sicut & densitas manere sine omni extensione locali: ergo potest raritas manere sub minori extensione locali: ergo non habet rari-

tas

tas sibi per se & essentialiter adjunctam extensionem localem majorem: ergo hoc ipso quod rarefactio est motus ad raritatem (quod est secundum præmissum principium) non potest rarefactio per se primo terminari ad extensionem localem majorem, nec consequenter condensatio ad minorem.

Probatur tertia pars, conclusionis ex tertio præmisso principio. *Alteratio est motus per se primo terminatus ad qualitatem*: ergo & rarefactio & condensatio. *Probatur consequentia*, motus rarefactionis & condensationis sunt essentialiter alteratio: ergo hoc ipso quod alteratio est motus per se primo terminatus ad qualitatem, idem similiter dicendum de rarefactione & condensatione. *Probatur antecedens*, motus per se disponens ad generationem & corruptionem est essentialiter alteratio: sed motus rarefactionis, nec non & condensationis est per se disponens ad generationem & corruptionem: ergo motus rarefactionis & condensationis est essentialiter alteratio. *Major* est evidens: non enim est alius assignabilis motus ita per se disponens ad generationem & corruptionem, præter alterationem; ut etiam ex ipso alterationis nomine constat. *Probatur minor*, motus ad ea quæ per se requiruntur ad conservationem geniti, non potest non esse per se disponens ad generationem & corruptionem: sed motus rarefactionis & condensationis sunt motus ad ea quæ per se requiruntur ad conservationem geniti: ergo motus rarefactionis & condensationis sunt motus per se disponens ad generationem & corruptionem. *Major* est certa; cum enim ex variatione eorum quæ per se requiruntur ad conservationem geniti sequatur corruptio & consequenter generatio, consequenter fit quod motus qui est ad ea quæ per se requiruntur ad conservationem geniti; sit etiam per se disponens ad generationem & corruptionem. *Probatur minor*, ad conservationem geniti per se requiruntur certa quædam raritas vel densitas; ut patet in animalibus in quibus ossa debent esse densiora, & sanguis rariot quam caro; nec non & in aqua, quæ si nimis rarefiat corrumpitur & resolvitur in vapores, & sic de cæteris: sed rarefactio & condensatio sunt motus ad raritatem & densitatem: ergo rarefactio & condensatio sunt motus ad ea, quæ per se requiruntur ad conservationem geniti: ergo rarefactio & condensatio sunt motus per se disponens ad generationem & corruptionem: ergo rarefactio & condensatio sunt essentialiter alteratio: ergo hoc ipso quod alteratio est motus per se primo terminatus ad qualitatem (quod est tertium præmissum principium) hoc ipso etiam rarefactio & condensatio habent quod per se primo

terminentur ad qualitatem : ex qualdeinde sequitur velut effectus secundarius major illa partium extensio.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, fieri non potest, majorem occupari locum ab aliquo quanto, sive novæ alicujus quantitatis acquisitione ; sed per rarefactionem, quantum illud quod rarefit majorem occupat locum : ergo non aliter fit rarefactio, quam per acquisitionem novæ partialis quantitatis. *Probatur major*, hoc ipso quod nova acquiruntur indivisibilia, acquiritur hoc ipso & nova quantitas : sed non potest quantum aliquod majorem occupare locum sine acquisitione novorum indivisibilium : ergo nec potest majorem occupare locum sine novæ alicujus partialis quantitatis acquisitione. *Major* videtur certa ; neque enim indivisibilia possunt esse sine partibus seu partialibus quantitatibus ; adeoque indivisibilibus additis debent & addi partiales quantitates. *Probatur minor* non potest quantum aliquod novis correspondere indivisibilibus loci, sine novorum indivisibilium acquisitione ; cum ejs correspondere non possit per indivisibilia jam habita, aliàs admittenda forent puncta inflata seu dilatata, quod est ridiculum, & contra naturam indivisibilis : sed hoc ipso quod quantum aliquod majorem locum occupat, correspondet novis indivisibilibus loci, quibus anteà non correspondebat, ut per se patet : ergo non potest quantum aliquod majorem occupare locum, per rarefactionem, sine acquisitione novorum indivisibilium.

Respondeo negando majorem ; ad hoc enim ut major occupetur locus, sufficit, quod dilatentur & explicentur partes quanti per variationem extensionis de minori in majorem, unde cum possint ejus dilatari & explicari partes, sine additione novarum partium, ut statim ostendam ; & aliunde variari possit ejus localis extensio de minori in majorem, sine mutatione facta ex parte quantitatis in ordine ad se, ut supra insinuavimus, ex eo scilicet quod cum possit manere quantitas sine omni locali extensione, est consequenter ei quasi accidentale quid, quod talem ac tantam habeat extensionem, consequenter fit, posse aliquod quantum majorem occupare locum sine additione novæ alicujus partialis quantitatis, contra majorem negatam.

Nota.

Unde ad probationem, Nego majorem, puta quod hoc ipso quod nova acquiruntur indivisibilia, debeant hoc ipso & novæ addi partes seu partiales quantitates : sola namque sufficit

ex-

explicatio & dilatatio earundem partium ad acquisitionem novorum indivisibilium. Pro cujus difficultatis declaratione suppono quod, probavimus in præcedentibus in quæstiuncula de indivisibilibus continuativis & terminativis partium continui, suppono inquam quod punctum illud indivisibile quod terminat vel continuat partem unam cum altera, illam non afficit nec tangit adæquatè, cum adæquari non possint nec proportionari divisibile cum indivisibili & extensum cum inextenso; ac proinde cum sit aliquid in tali parte quod à præfato indivisibili non tangatur, consequenter fit, quod possit pars illa secundum tale quid alteri correspondere indivisibili seu per alterum continuari & terminari: sed sic est quod laxatur, dilatatur, rarefit, & explicatur pars seu quantitas, hoc ipso quod pluribus correspondet indivisibilibus, cum antea uni tantum corresponderet: ergo fieri potest dilatatio, explicatio & rarefactio quanti seu quantitatis & consequenter occupatio majoris loci per acquisitionem novorum indivisibilium, seu per hoc quod novis correspondeat indivisibilibus, absque eo quod propterea necesse sit, quod novæ acquirantur partes seu partiales quantitates. *Nota.* *Nota.*

Instabis: Ideo ergo dilatari possunt quantitatis partes absque novarum partium additione, quia pars quæ uni tantum prius correspondebat indivisibili, potest pluribus correspondere: sed hoc est inintelligibile: ergo & illud. *Probatur Minor*, si pars quæ uni tantum correspondet indivisibili, posset deinde pluribus correspondere, seu à pluribus terminari aut continuari, posset etiam, immò & deberet illud unum indivisibile pluribus antea correspondere partibus: sed hoc est inintelligibile: ergo & illud. *Major* est certa, illud enim unum indivisibile in illo priori terminaret aut continuaret, quod deinde per plura indivisibilia terminaretur aut continuaretur; unde cum tale quid ita per plura continuatum distingueretur in varias partes, consequenter fit quod illud unum indivisibile tali alicui correspondendo, etiam pluribus corresponderet partibus. *Probatur Minor:* non potest unum indivisibile correspondere terminativè aut continuativè, nisi ei quod afficit & tangit: sed non potest unum indivisibile plures afficere & tangere partes: ergo inintelligibile est, posse unum indivisibile pluribus correspondere partibus.

Respondeo Negando Minorem, quod scilicet inintelligibile sit, posse partem unam, quæ uni tantum antea correspondebat indivisibili, pluribus deinde correspondere. Nam præterquam quod jam supra sufficienter ostensum est, potest ex eo ulterius

confirmari, quod cum indivisibile terminando aut continuando partem, aliquid afficiat de parte, quia immediate post indivisibile debet pars sequi, ut alibi ostendimus; nec tamen adæquetur illi ut supponitur, ideo in hoc quod inadæquate afficitur, potest esse magis vel minus; si enim non totaliter & adæquatè ab eo afficitur, nec per consequens unico & indivisibili modo ab eo afficitur, sed potest plus vel minus ab eo affici: sed sic est, quod hoc semel supposito facile intelligitur, posse partem illam, quæ uni tantum prius correspondebat indivisibili, pluribus deinde correspondere, cum tunc in ea intelligatur aliquid, imo & aliqua intelligantur, quæ per illud non afficiebantur cum adæquatione, proindeque quæ per alia affici possunt: ergo facilè intelligitur, posse partem unam quæ uni tantum prius correspondebat puncto, pluribus deinde correspondere.

Nota.

Unde ad probationem concessa majori nego minorem, quod scilicet inintelligibile sit, quod unum indivisibile pluribus correspondere possit partibus, ad modum terminativi aut continuativi; quin immò intelligi non potest natura indivisibilis vel partis, quin etiam & illud intelligatur & admittatur; cujus ratio est, quia de natura partis continui est pluribus conflari partibus, cum divisibilis sit ex sui natura, atque ita non potest unum indivisibile unam afficere seu terminare aut continuare partem quin hoc ipso pluribus correspondeat, pluribus inquam, non quidem distinctis, sed confusis: quare ad ultimum, in quo scilicet dicitur quod non potest indivisibile correspondere continuativè aut terminative nisi ei quod tangit & afficit, distinguo majorem illam propositionem sic: nisi ei quod tangit & afficit, vel adæquate vel inadæquate, Concedo: nisi ei quod tangit adæquate Nego. Licet autem illud unum indivisibile non tangat istas partes quæ deinde aliis correspondent indivisibilibus, licet, inquam, eas non tangat adæquate, eas tamen inadæquate tangit, hoc est secundùm aliquid earum; cum pars quam tangit secundum aliquid sui, ex præfatis illis confletur partibus.

Nota.

Instabis secundò, Si illud unum indivisibile ita corresponderet pluribus illis partibus, non dilatarentur nec rarefierent præfatæ illæ partes dum pluribus deinde corresponderent indivisibilibus: sed contrarium docuimus in solutione primi argumenti; ergo dici non potest quod illud unum indivisibile pluribus possit correspondere partibus. *Probatur Minor*, non magis dilatarentur partes illæ per plura indivisibilia quam per unum, si illud unum præstet, quod præstabunt plura: sed si illud unum indivisibile ita pluribus corresponderet partibus, præstaret, quæ

plura

plura alia præstarent indivisibilia: ergo si unum indivisibile ita pluribus corresponderet partibus, non magis dilatarentur præfatæ illæ partes, dum pluribus deinde corresponderent indivisibilibus.

Respondeo Negando Majorem; ad cujus probationem Nego similiter minorem. Quamvis enim illud unum indivisibile unam terminando aut continuando partem, simul & semel plures continuet & pluribus correspondeat, tum quia in ea, quam continuat plures sunt, tum quia continuet quæ tangit inadæquate sive secundum aliquid earum, & de facto unam tangendo partem, tangit ita de facto plures secundum aliquid earum; nihilominus malè exinde infertur quod præstet illud unum indivisibile, quod plura deinde resultantia per rarifatis qualitatem indivisibilia præstabunt ad dilatandum & explicandum partes, in ordine ad rarefactionem, & ad majorem occupandum locum; cujus ratio est quia dum illud unum indivisibile ita pluribus correspondet partibus, eis non correspondet pluribus nisi ut sumptis in confuso & quasi in potentia, cum tamen eædem partes dum deinde pluribus correspondent & continuantur indivisibilibus, fiunt per illa actu distinctæ, & quasi secernuntur ab invicem; unde cum dilatatio & explicatio partium in ordine ad rarefactionem & ad majorem occupandum locum, eis non competat nisi ut sunt actu distinctæ, & ut mediis illis indivisibilibus actu existentibus, quasi ab invicem secernuntur, ideo fit quod ad talem dilatationem & explicationem partium plura requirantur indivisibilia, nec id præstare possit illud unum indivisibile, quamvis uni correspondendo parti, pluribus etiam simul, & semel suo modo correspondeat.

Nota

Nota

Objicies secundò habetur & intelligitur sufficienter rarefactio, hoc ipso quod habetur extensio major & major dilatatio partium: sed ad hoc non requiritur qualitas: ergo non ita fit rarefactio, ut debeat per se primo terminari ad qualitatem, *Probatur Minor*, extensio & dilatatio partium est propria passio seu modus proprius quantitatis: sed ut resultet propria passio quantitatis, non requiritur qualitas: ergo nec ad majorem illam extensionem corporis rari. *Probatur Minor*, quantitas est naturaliter prior qualitate, cum recipiatur materialis qualitas mediante quantitate; sed propria quantitatis passio resultat ex ejus naturalibus: ergo non potest prærequiri qualitas, ut resultet propria passio quantitatis.

Respondeo Negando Minorem: est enim major illa extensio partium quanti, quæ habetur in rarefactione, effectus quali-

tatis disponentis subjectum, quæ quidem qualitas est ipsa raritas. Unde licet in definitione rari, dum scilicet definitur quod habet parum de materia sub magnis dimensionibus, nulla explicitè fiat mentio de qualitate, implicitè tamen ibi subintelligitur, quia idem est dicere: rarum est quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus, ac dicere: quod est dispositum habere parum materiæ sub magnis dimensionibus, in qua quidem dispositione intelligenda venit qualitas, ad probationem vero minoris negatæ distinguo majorem sic. Extensio & dilatatio partium est propria passio seu modus proprius quantitatis, loquendo de extensione ut absolutè sumptâ Concedo: loquendo de extensione majori vel minori, de qua solum est sermo in rarefactione & condensatione Nego. Sensus autem distinctionis est, quod quamvis omni quantitati quatali, naturaliter debita sit extensio aliqua partium, non tamen ex eo quod est quantitas debetur ei extensio quæ tanta sit, sive quæ major sit aut minor, sed hoc provenit & provenire debet ab aliqua qualitate, tum quia ly majus & minus in extensione seu dilatatione partium conducit ad conservationem atque corruptionem rei quæ extenditur; sicut animal si nimium intumescat & dilatetur corrumpitur; & aqua si nimium rarefiat & extendatur, in vapores resolvitur, tum quia ex eo quod aliter & aliter disponitur & afficitur subjectum quantum, capax est majoris vel minoris extensionis, ut experientâ constat, quod quidem signum est, provenire præfatam extensionem, quantum ad hoc quod est major vel minor, à qualitate aliqua disponente. Unde ad hoc commune dictum, puta quod raritas non subjectatur nisi in partibus extensis & dilatatis, dicendum est sensum illius non esse, quod subjectetur raritas in ipsis partibus dilatatis ante ipsam raritatem, sed quæ per ipsam raritatem dilatatæ sint, sicut anima dici solet actus corporis organici, quod tamen non ante animam sed per ipsam & corpus est, & organicum.

Nota.

Instabis: Si esset extensio illa seu dilatatio major aut minor, effectus raritatis aut densitatis, quæ sunt qualitates, nusquam fieret extensio illa major vel minor sine qualitate: sed hoc est falsum: ergo & illud. *Probatur Minor*: ex sola divisione aquæ vel aëris fit extensio partium minor: sed ex sola divisione aquæ, nulla potest intelligi nec assignari producta qualitas: ergo fieri potest extensio seu dilatatio partium quantitatis major vel minor sine qualitate. *Major* est certa; neque enim fieri potest divisio quin hoc ipso comprimantur partes, subinde-

que

que & fiant minus extensæ; nisi velis quod corpus dividens penetretur cum partibus divisi, quod quidem est naturaliter impossibile. *Probatur Minor:* localis motus est motus condistinctus à motu alterativo: sed si ex sola divisione aquæ vel aëris intelligeretur producta qualitas, tunc omnis localis motus esset alterativus, seu terminatus ad qualitatem, cum in omni locali motu dividatur aër: ergo ex sola divisione aquæ vel aëris, nulla potest intelligi producta qualitas.

Respondeo Distinguendo majorem sic: si extensio illa major vel minor esset effectus raritatis aut densitatis, quæ sint qualitas, nusquam fieret extensio major vel minor sine qualitate: loquendo, [ut in præsenti loquimur] de extensione quæ secundum quod major vel minor conducit ad conservationem vel corruptionem geniti Concedo; quod nusquam fiat talis extensio major vel minor sine qualitate: si autem sermo sit de extensione, quæ secundum quod est major vel minor, minime ordinatur ad conservationem vel corruptionem rei quæ extenditur, Nego. Itaque dum in præsenti dicimus, quod extensio illa major vel minor, quæ fit in rarefactione & condensatione, ab aliqua provenit qualitate, non propterea intendimus quod omnis extensio & dilatatio major aut minor debeat ex qualitate aliqua provenire; ut enim præmisimus in præmissis, in rarefactione sive condensatione impropriè sumpta datur extensio major vel minor, quæ tamen non est effectus alicujus qualitatis; sed id quod intendimus est, quod in rarefactione & condensatione, de quibus agitur in libris de generatione; quæque conducunt ad generationem, sive ad conservationem & corruptionem, major, inquam, illa aut minor extensio est semper effectus alicujus qualitatis, tum quia talis motus utpote conducens ad temperamentum partium, ut melius conserventur, vel corrumpantur, debet hoc ipso esse alterativus; tum quia non alia de causa locus naturalis addit supra locum mathematicum qualitates aliquas conservativas, nisi quia ordinatur ad conservationem locati; & sic præfata raritas & densitas, quia ad conservationem, & ad generationem & corruptionem disponunt, debent similiter ad qualitatem pertinere, earumque motus, rarefactio scilicet & condensatio ad alterationem pertinere. Quod si quæratur ad quam speciem qualitatis pertineant, responderi debet, ad tertiam pertinere speciem; tum quia resultare possunt ex mixtione primarum qualitatum puta ex frigore vel calore, tum quia passionem inferunt sensibus, adeoque ad patibiles pertinent qualitates.

Colliges ex dictis supra in responsionibus ad primam objectionem, & ad instantias factas, quod quamvis per condensationem minor occupetur locus quam antea, nec tamen diminuatur quantitas, quod non propterea ibi sequitur penetratio aliqua partium. Ut enim ex præfatis responsionibus colligitur, condensatio partium fit, per hoc quod parsilla quæ in rarefactione pluribus correspondebat indivisibilibus, uni adæquate correspondet, modo supra exposito; ex quo consequenter fit non penetrari hujusmodi partes, quia ad penetrationem requiritur, quod existentibus pluribus partibus distinctis secundum diversa indivisibilia, secundum eadem ponantur in eodem spatio: sed si minuuntur indivisibilia & ita reducuntur partes ut sub paucioribus existant indivisibilibus, ut de facto fit in condensatione, tunc dicuntur quidem partes comprimi & addensari, non tamen penetrari; quia per hoc solum fit penetratio, quod plures partes in actu, idest terminatæ diversis indivisibilibus sub eodem ponuntur spatio, non autem per hoc fit penetratio quod partes quæ antea plures habebant terminationes, modo unam habeant, & fiunt quasi partes in potentia.

QUÆSTIO V.

De mixtione, utrum elementa maneant formaliter in mixto.

Præmittendum primò, Pro intelligentia & declaratione quidditatis corporis mixti, quod corpus ideo vocatur mixtum, quod ex elementis ita permixtis fiat. Dum enim aqua, terra, aliaque ex elementis simul permixta secundum qualitates contrarias pugnant ad invicem ac sese frangunt mutuo, contingit tandem certa qualitatum ejusmodi elementarium temperies, quam naturaliter sequitur nova forma substantialis, vel ranæ, vel lapidis vel aliorum hujusmodi, unde resultet nova species corporis naturalis. Hinc elementa vocari solent miscibilia, forma autem substantialis de novo adveniens dicitur forma mixti; actio denique illius mixti generativa dicitur proprie mixtio; quare mixtio est species generationis, quæ ad mixtum terminatur. Sic autem definiri posset mixtum, corpus scilicet naturale existens ex multis miscibilibus alteratis, &

sub

sub nova forma substantiali unitis, quæ miscibilia in eo remaneant saltem potentia, & secundum proprias virtutes, ita ut resolvi in ea tandem possit. In qua quidem definitione continentur omnes conditiones requisitæ ad rationem mixti propriè dicti; atque per ultimas particulas excluditur a ratione mixti elementum quod fieret ex transmutatione aliorum corporum sive elementorum in ipsum, puta si quæ elementa aut alia corpora transmuterentur in ignem. Non enim propterea dici debet ignis ille corpus mixtum, tum quia alia illa corpora in eo non remanent secundum proprias virtutes, seu accidentia propria. Nam licet aër transmutatus in ignem in eo remaneat secundum materiam affectam calore, ille tamen calor ignis non est propria virtus aëris, cum proprietas aëris non sit calor simpliciter, sed potius calor humidus sub tali essendi modo, quemadmodum proprietas ignis est calor siccus; tum etiam quia dum ignis corrumpitur, non propterea resolvitur nec potest resolvi eas in res ex quibus accenditur, puta in lignum, chartam, & alia hujusmodi. Porro mixtum, aliud est, quod ex concursu immediato elementorum fit, nempe aquæ, terræ, aëris, & ignis; quo pacto videmus ranas, herbas quam plurimas, lapides & metalla generari: Aliud autem est, quod non nisi mediatè fit ex elementis, eò quod fiat immediatè ex aliis mixtis. Sic enim ex cibo chylus; ex chylo sanguis, ex sanguine caro producitur. Quanquam ubi caro ex sanguine generatur, illa generatio non dicitur propriè mixtio, nisi præsuppositivè quatenus mixtum quod immediatè convertitur, productum est per mixtionem ex elementis, vel proximè vel remotè. *Quænā sit Definitio mixti.*

Præmittendum secundò, rationem miscibilis convenire maximè elementis, propterea quod facile dividi & comminui possunt, ut ea ratione facile ad invicem permisceantur. Item quia sunt substantiæ ad invicem activæ & passivæ, unde per varias reactiones ad temperamentum formæ substantiali mixti debitum se se reducant. Tum denique quia ratione humiditatis quæ in iis reperitur, materia illa facilè confirmari potest varias in figuras; tum ratione siccitatis potest tandem contineri. Quæ omnes sunt conditiones ad rationem miscibilis naturalis requisitæ; ideoque ab Aristotele sic definitur miscibile: id quod facile terminabile existens, simul est passivum & activum. At nihilominus notandum est, mixta quoque nonnulla posse dici aliqua ratione miscibilia, quæ scilicet per actionem reciprocam ita sese afficiunt nonnunquam, ut ex illis tertium aliquod generetur, in quo remaneant aliquo modo secundum *De miscibilibus.*

cundum proprias qualitates. Ita sanguis ciborum qualitates sæpe retinet; qua ratione & aves quæ vescuntur piscibus, eorum odorem, aliasque proprietates videntur retinere. Jam verò quantum ad ipsam mixtionem, ut in præsenti sumitur, potest hæc definiri generatio mixti ex miscibilibus alteratis. Dicitur autem generatio, ut distinguatur à sola conjunctione & confusione multorum. Item dicitur generatio mixti, ut distinguatur à generatione elementi. Et tandem dicitur ex miscibilibus alteratis, ut ostendatur, non fieri nisi ex prævia ipsorum alteratione. Quo sensu definit Aristoteles mixtionem dicendo, quod est miscibilium alteratorum unio: seu actio qua miscibilia, prævia alteratione dispositâ, sub nova tandem forma substantiali uniuntur.

Definitio mixtionis.

Præmittendum tertiò, elementa quæ sunt materia mixti, effectivè etiam per suas qualitates ad illam generationem concurrere immediatè, vel immediatione substantiæ, vel saltem immediatione virtutis, quomodo ignis non solet hic habere locum, nisi per suam virtutem: neque enim de facto elementa quatuor confluere solent ad locum in quo generatur mixtum; cum illud sæpe, ne quidem fieri possit. Quomodo enim per se aqua fieret materia illius rei quæ produceretur medio in igne, ut narrant de Pyraustis. Unde probabile est mixtum posse existere ex duobus, vel etiam ex unico tantum elemento secundum substantiam: modo alia concurrant saltem secundum proprias virtutes: id est modo adsint aliorum propriæ qualitates, propterea quod possunt tunc per varias reactiones ad temperamentum formæ substantialis mixti debitum reduci. Quantum autem ad causam principalem hujusmodi mixtionis & mixti, multum probabile est, esse cælestia corpora, sive agentia universalia talem causam, quæ quidem respectu talis effectus rationem induunt agentium particularium. Licet enim effectibus particularibus correspondeant ut plurimum propriæ & particulares causæ; non tamen semper, sed multi reperiuntur effectus, qui in nullam causam particularem reduci possunt, sed solum in universalem, sicut animalia ex putri materia genita, mineralia & hujusmodi: sunt autem cæli causæ principales illorum mixtorum, influentes in ea mediantibus ipsis elementis, eorumque virtutibus tanquam causis instrumentariis, quibus alterant & disponunt materiam illorum ad formæ mixti receptionem.

Jam vero quantum ad resolutionem quæsiti rituli, an scilicet maneant elementa formaliter in mixto, ita quod in eo sint etiam

etiam secundum proprias substantiales formas, jam fuit negativè resolutum in hoctomo in ea scilicet quæstione libri primi, in qua conclusum fuit, omnino impossibile esse, plures formas substantiales simul informare eandem materiam. Unde dicendum est, elementa virtualiter solũ manere in mixto ratione scilicet quatuor primarum qualitatum, quæ sunt propriæ virtutes elementorum, & in mixto reperiuntur ad quandam mediocritatem redactæ. Cum quo tamen stat mixtum esse adhuc magis compositum quam elementa. Licet enim in mixto nulla reperiatur compositio nisi substantialis & accidentalis, sicut in elementis; utraque tamen est in illo major quam in elementis; compositio quidem substantialis, virtualiter, quatenus constat materia & forma mixti virtualiter formas elementorum continente; non quidem ea ratione qua anima nostra continet vegetativam & sensitivam, sed quatenus est radix quatuor primarum qualitatum quæ sunt virtutes formarum elementarium: accidentalis etiam compositio est nedum virtualiter, sed etiam formaliter major, quatenus in illo formaliter reperiuntur illæ quatuor elementorum qualitates, ex quibus proinde tanquam formis accidentalibus & ex ipso mixto tanquam subjecto fit major accidentalis compositio, quam in elemento, cum in hoc sint tantum duæ & in illo sint omnes quatuor.

Quantum verò ad ea, quæ specialiter militant pro compossibilitate formarum elementarium in mixto, hæc ex tripl ci capite deduci solent; & quidem primo ex eo quod ait Aristoteles, mixtionem esse miscibilium alteratorum unionem; sola autem alteratio non excludit formas elementorum: sed huic capiti facilè respondetur, dicendo quod ly alteratorum hunc facit ibi sensum, id est prævia alteratione dispositorum, ut scilicet ex iis ita dispositis resultet temperamentum debitum formæ substantiali mixti, ad cujus proinde resultantiam, ipsa elementa formaliter pereant & destruantur; non autem hunc facit sensum ly alteratorum, ita quod sub illa unione non destruantur. Quod autem ex Aristotele, ut ex litteris, syllaba, ita ex elementis constat mixtum, non propterea sequitur esse elementa formaliter in mixto, sicut sunt litteræ in syllaba; claudicat enim hæc similitudo, & in eo tantum debet admitti, quod perinde mixtum est ex elementis, quæ ante unionem erant actu, non autem sub unione; in quo discrepat à syllabis.

Aliud vero caput ex quo hoc idem probare solent, est, quia inquiunt, dum generatur mixtum, nullum potest assignari elementum, quod in instanti introductionis formæ mixti ita fuerit debi-

debilitatum in suis dispositionibus, ut illarum defectu interire debuerit substantialiter : sicut videmus aquam verbi gratia, in vapore consistere cum raritate & calore non mediocri : ergo. Sed his & similibus respondetur, quod licet elementa seorsim ita stare possint de facto; ubi tamen contigerit dispositio idonea ad formam mixti, tunc prævalet contra ipsorum dispositiones, ipsorumque formam. Cum enim elementa sint materia mixtorum, proinde fit quod cæteris paribus [hoc est suppositis dispositionibus ad formam mixti] debeant cedere. Sic aqua rosacea, cum sit mixtum substantiale, non retinet formam substantialem aquæ elementaris, quamvis in ea reperiatur humiditas in summo etiam gradu debita aquæ elementari; quia scilicet illa humiditas tunc non est cum exclusione dispositionum, quæ competunt formæ substantiali aquæ rosaceæ; illique idcirco cedit.

Demum illud probare solent, ex eo quod nihil potest ab alio separari, quod in eo non præexistat: elementa autem formaliter separari à mixto, ex eo patet, quod dum lignum comburitur, diversæ prodeunt partes, quarum aliæ sunt formaliter ignæ, aëreæ aliæ, aliæ vero terrestres aut aqueæ : ergo videtur debere elementa formaliter præexistere in mixto. Sed ad hoc respondetur non prodire illa ex mixto per puram separationem; sed potius per novam generationem. Quod autem ignis actualis prodire soleat multis ex mixtis adhibito motu locali solo, qui de se non videtur productivus ignis, non propterea statuendum est, ignem in illis mixtis contineri formaliter: ignis enim ille generatur ex attritu aëris inter corpora solida intercepti; eo quod scilicet aër tunc ita interceptus comminuatur & rarefiat supra modum formæ substantialis aëri debitum; unde & subito accenditur & in ignem convertitur aër ille ita supra modum debitum rarefactus, ad hoc concurrente maximè calore qui ex præfato attritu & aëris comminutione intenditur.

QUÆSTIUNCULA.

De mixti temperamento, utrum dabile sit temperamentum æquale ad pondus.

RESPONDEO, non esse naturaliter dabile tale temperamentum

tum. Pro cujus declaratione prænotandum est, temperamentum quod quidem nihil aliud est quam compositio seu conjunctio primarum & secundarum qualitatum, quam exigit propria rei cujusque natura, ut forma substantialis in materiam introducatur & in ea retineatur, id, inquam, temperamentum dividi in uniforme seu æquale ad pondus; tum in difforme. Dicitur autem temperamentum æquale ad pondus seu uniforme, cum omnes simul positæ qualitates, tum primæ, tum etiam secundæ ut suat gravitas & levitas eundem singulæ intensionis gradum servent, tunc autem est difforme, quando non omnes æqualem habent gradum intensionis: sed sic est, quod licet ex parte ipsius mixti non repugnet habere, qualitates suas in æquali gradu intensionis, id tamen repugnat ex parte agentium naturalium sive elementorum concurrentium ad generationem mixti: ergo non est naturaliter dabile tale temperamentum æquale ad pondus. *Probatur minor*, hoc ipso quod ex elementis concurrentibus ad generationem mixti, debet unum vehementius imprimere qualitates suas quam alterum, repugnat hoc ipso ex parte agentium naturalium esse qualitates in æquali gradu intensionis in mixto: sed ex elementis concurrentibus ad generationem mixti, debet unum vehementius imprimere qualitates suas quam alterum: ergo repugnat ex parte agentium naturalium ipsius mixti, quod habeantur ejus qualitates in æquali gradu intensionis. *Probatur Minor*, hoc ipso quod ex elementis concurrentibus ad generationm mixti, debet unum esse activius altero & prædominari efficienter in alterum, debet hoc ipso unum vehementius imprimere qualitates suas quam alterum: sed ex præfatis elementis concurrentibus ad generationem mixti, debet unum esse activius & prædominari in alterum; cum ex una parte non tantum concurrant elementa ad mixtum præbendo materia unde fiat, sed etiam habendo se active, & agendo & reagendo in se invicem, ut conceditur & aliunde sit semper actio agentium naturalium à proportione majoris inæqualitatis, seu cum excessu unius agentis super aliud: ergo ex elementis concurrentibus ad generationem mixti debet unum vehementius imprimere qualitates suas quam alterum; ac proinde ex parte agentium naturalium sive ex parte modi agendi quo fit naturaliter mixtum, repugnat esse in eo qualitates singulas in æquali gradu intensionis, subindeque & ei repugnat temperamentum ad pondus.

Dices primò, ideo ergo repugnat mixto temperamentum illud ad pondus, quia cum fieri debeat per actionem miscibilium

bilium elementorum inter se, debet unum efficienter prædominari in alterum, subindeque & vehementius imprimere suas qualitates: sed potest mixtum alio fieri modo quam per actionem misibilium inter se, ut si fiat à cælo vel alia univetsali causa, quæ efficaciam habeat temperandi ad pondus omnes qualitates elementorum ad mixtionem concurrentium: ergo non absolutè repugnat mixto temperamentum illud ad pondus, etiam ex parte agentium naturalium.

Respondeo negando minorem: cælum enim non efficit mixtum nisi mediante alteratione qualitatum elementorum, quæ in mixtis relucent; propterea quod non habet cælum producere mixtum nisi intervenientе motu & alteratione, cum sit & producat ut primum alterans, & consequenter ita imprimat influxum suum in elementa, quod eorum moveat qualitates ut alterentur & alterent, & sic veram faciant mixtionem: ergo eodem modo requiritur, quod una qualitas superet & dominetur aliis, ut possit agere in illas, ut supra dicebamus, etiam præsuppositо motu cæli eas alterante; ac proinde non possunt ab agentibus naturalibus ipsius mixtis ita æqualiter temperari qualitates ejus ad pondus, quod una qualitas maneat omnino æqualis alteri; sed à Deo solum produci poterit æqualitas ista ad pondus, utpote qui solus facere potest mixtum sine aliqua alteratione præcedente; seu mutua reactione misibilium.

Dices secundò, si ex parte agentium naturalium repugnaret temperamentum illud ad pondus, repugnaret maximè, quia non possunt agentia naturalia ad illud cum æqualitate concurrere; sed hoc est falsum: ergo & illud. *Probatur Minor*, hoc ipso quod agentia seu elementa magis activa sunt minus densa; & minus activa sunt magis densa; possunt hoc ipso cum æqualitate activitatis concurrere; cum tunc quod uni deest de activitate compensetur per majorem illam densitatem: sed fieri potest quod ex elementis, quæ sunt respectu mixti agentia naturalia, ea quæ activiora sunt, fiant minus densa; quæ vero sunt minus activa, fiant magis densa, aut in majori quantitate: ergo & fieri potest quod agentia illa naturalia mixti concurrant cum æqualitate ponderis in activitate.

Respondeo negando minorem; ad cujus probationem Nego majorem; quod enim agentia naturalia seu elementa magis activa possint esse minus densa, & minus activa esse possint magis densa, ita quod compensetur minor istorum activitas per majorem eorundem activitatem, hoc probat quidem, quod si in tali casu agentia illa naturalia & elementaria agerent, quod

age-

agerent cum æqualitate activitatis, id tamen non probat quod est probandum, puta quod in tali casu agant, nec consequenter quod de facto agant cum præfata æqualitate activitatis. Cum enim ut de facto detur actio in ordine ad destructionem, debeat esse excessus unius agentis super alia, ideo fit quod si supponatur æqualitas agendi in concurrentibus & agentibus, sive hoc fiat propter æqualitatem intrinsecam, sive recompensatam in ipsis qualitatibus ex majori & minori densitate, quod tamdiu impedient se mutuo agendo, subindeque quod nusquam dabitur actio illa cum æqualitate activitatis, quæ quidem requireretur ut relinqueretur in mixto temperamentum æquale ad pondus.

Dices tertiò, temperamentum ad pondus est omnium perfectissimum, cum perfectissimè distet ab extremis, puta à qualitatibus summè intensis: ergo debetur alicui perfectissimo mixto: sed datur mixtum perfectissimum, scilicet homo præsertim in suo perfectissimo statu, sicut fuit in statu innocentiæ, vel in Christo Domino: ergo & dabile est & dari debuit temperamentum illud æquale ad pondus.

Respondeo distinguendo antecedens, temperamentum ad pondus est omnium perfectissimum, loquendo Mathematicè & quantitativè Concedo: est perfectissimum, physicè loquendo & in ordine ad operationem & finem suum, Nego. Finis enim temperamenti est motus & consequenter alteratio, ad quam quidem requiritur, ut supra diximus, qualitatem unam prædominari efficienter in alterum; unde si fiat judicium de perfectione temperamenti secundum majorem convenientiam ad suum finem, qui est operatio & motus, esset temperamentum illud æquale ad pondus omnino & prorsus imperfectum: sed sic est quod perfectio ex qua concludi debet, aliquid dari in rerum natura, est perfectio quæ desumitur ex parte finis & operationis; cum unumquodque sit in rerum natura propter suam operationem: non ergo ex perfectione temperamenti ad pondus colligi potest illud esse naturaliter dabile aut dandum in rerum natura. Unde quando asserit D. Thomas, quod in homine est maxima æqualitas complexionis, ibi non loquitur S. Doctor de æqualitate Mathematica, sed de physica juxta convenientiam ad finem seu operationem, & comparativè ad alia animalia. Jam vero circa temperamentum difforme.

Notabis primò, temperamentum illud quod vocatur difforme, in quo scilicet non omnes qualitates æqualem habent gradum intensionis, vocari quoque temperamentum ad justitiam,

supple distributionem; quia corpori unicuique tribuitur ea proportio, quam exigit ipsius natura. At notabis æqualitatem hanc ad justitiam non consistere in individibili, sed habere certam latitudinem, intra quam semper conveniens erit formæ. Ita cum in animalibus tam tardi aliud nihil sit, quam debita illa connaturalium qualitatum temperies; morbus autem dicatur illius temperiei perturbatio; non censetur fieri ullumodi perturbatio, nisi ubi est alicujus qualitatis vel excessus vel defectus notabilis, unde consequenter naturalium facultatum operationes impediantur. Hinc quoque etiam fit ut pro illa majori vel minori æqualitate, dicatur sanitas vel perfectior vel imperfectior; tunc quoque est absolutè perfecta sanitas, ubi intra latitudinem debitam, nec defici, nec excedit. Atque hujusmodi putandum est extitisse in Christo Domino, in B. Virgine, tum in primis parentibus; cum essent Dei opera, ex speciali ejus amore & providentia.

Notabis secundò, temperamentum animalis in quo prædominatur calor & siccitas, per analogiam ad elementum ignis, vocari igneum. Si vero prædominatur calor & humiditas, quod æreum vocant, est sanguineum. Aqueum vero, ubi prædominatur humiditas cum frigore, vulgo dicitur phlegmaticum. Terreum denique, seu melancolicum illud est in quo prædominatur frigus cum siccitate.

Notabis tertio, quod ex temperamentis illis optimum, in animalibus saltem perfectis est sanguineum. Quia scilicet vita & sanitas maximè posita est in calore & humido; fiuntque ex sanguine spiritus illi, qui exercendis operationibus vitæ sunt necessarii. Item cum in nobis operationes intellectus pendeant a sensu, inde etiam est, ut qui sanguinei sunt dicantur plus valere ingenio. Quanquam celeriores futuri sunt animi motus, si quid accesserit bilis, sive temperamenti ignei. Quæ etiam sanguinei & biliosi minus constantes forent, nisi mentis evagationes temperaret admixta melancholia. Pituitosi autem seu phlegmatici, tardi & somnolenti esse solent.

COROLLARIUM

De principiis mixti juxta doctrinam Chymicorum; ubi de auro Chymico.

Quæres primò, quid sit chymia, vel ut alii loquuntur, alchymia, & quotuplex.

Respon-

Respondeo chymiam esse facultatem seu artem quandam, quæ in resolvendis aut coagulandis per ignem mixtis versatur. Est autem hæc chymia duplex; altera quæ tota est in quærendis medicamentis, quam ob causam vocatur medicina chymica: altera vero in transmutandis metallis versatur, sub qua comprehenditur ars conficiendi auri. At præter hanc chymiam, quæ quidem quoad utramque partem est propriè practica, datur & speculativa, considerans naturam corporis mixti, quatenus continet corpora, seu principia & partes, in quas resolvitur à chymicis. De quibus quidem partibus seu principiis:

Quæres secundo, quæ & quot sint principia corporis mixti juxta doctrinam chymicorum, seu partes in quas resolvitur mixtum à chymicis.

Respondeo quod principia illa seu corpora in quæ tanquam in principia chymica resolvitur mixtum per artem chymicam, hæc inquam principia sunt tria, puta *Mercurius*, *sulphur*, & *sal*: quæ quidem tria patent in exemplo de longo viridi, quod comburitur; ex hoc enim prodit certus quidam vapor, qui in aquam potest condensari, nusquam tamen inflammari potest; isque dicitur mercurius. Tum sequitur alterius generis vapor uliginosus, & facile inflammabilis, qui in oleum quoddam ex arte cogi potest: huncque appellant sulphur. Tum denique ex partibus residuis quæ siccriores sunt adhibita chymicorum industria exprimitur sal. Sic in lacte substantia, ut vocant butyrosa, sulphurea est: pars autem serosa est mercurialis: ac denique sal dicitur ea, quæ est præcipua casei materia. Qua etiam ratione vulgo tam multis ex rebus exprimitur oleum, tum aqua mercurialis; ac demum earum fæces saltem præbent. His autem accedunt terra & aqua quædam, quæ in mixtis reperiuntur, non quidem tanquam principia chymica; quia ut ajunt chymici, ab istis non proceduntvirtutes activæ mixtorum, sed tanquam matrices & receptacula principiorum. Terram autem istius modi chymicam vocant *caput mortuum & terram damnatam*, quia nullam habet agendi vim. Aquam verò appellant *phlegma insipidum, & liquorem menstruum*.

Quæres tertio, qua ratione ita appellantur principia illa seu corpora, in quæ per artem chymicam resolvitur mixtum.

Respondeo quod principia illa vocantur sal, mercurius, & sulphur, non quod supponant pro sal, mercurio & sulphure communibus, quæ vulgo à nobis terunturs & mineralia quædam sunt, sed quia cum istis habent aliquam analogiam, easdemque inter se differentias servant, unde & istis donantur

nominibus. Primo namque præfatus ille vapor seu liquor vocatur mercurius, quia acidus est & æthereus, qui ex mixto per vires ignis exprimitur. Hunc que ajunt esse principium, unde mixta nutriuntur, sentiunt, moventur, colorantur ac sensio resistunt. Sulphur autem seu oleum, aut etiam ut vocant, balsamum chymicum vocatur, crassius illud corpus in quod etiam resolvitur mixtum, quod per proportionem ad verum & communem sulphur est inflammabile & odorabile; nec mixta, ut loquuntur habent inflammabilitatem aut odorabilitatem, nisi beneficio hujus sulphuris chymici, quo ajunt abundare sulphur commune, tum resinam, picem, &c. Item, ut docent illi, illud est principium caloris nativi, unde etiam oritur vegetatio & augmentatio. Tandem est & exprimitur sal, quem ideo sic nominant, quia per proportionem ad communem & usualem hunc nostrum seu marinum sapidus est; oriunturque ex eo diversi generis sapores in mixtis. Item in iis est principium generationis incorruptibilitatis, siccitatis & soliditatis, haberque vim abstergendi & purgandi præcipuam.

Quares quartò, de modo quo separantur à mixtis corpora illa seu principia chymica.

Respondeo corpora illa chymica separari à mixtis per veram generationem, ut per proportionem dicitur de communibus elementis, quæ à mixto naturali separantur. Unde nihil est, cur de facto philosophia chymica dissentiat à peripatetica de materia prima & forma substantiali, tanquam de veris corporis naturalis principiis: Neque est cur negent, principia illa sua chymica habere propriam sibi materiam primam, & substantialem formam ex quibus constent. Eam enim ob causam, mercurius, sulphur, & sal dicuntur principia chymica, quod in ea resolvatur mixtum beneficio artis chymicæ, quod quidem non impedit quo minus ea singula in quæ ita resolvitur, sint ulterius resolubilia in materiam & formam substantialem, ut dici solet de elementis, in quæ naturaliter resolvitur mixtum.

Quares quinto, quæ & quot sint operationes, quas in iis perficiendis exercent chymici.

Respondeo operationes illas esse duas, nempe *solutionem*, unde mixtum in sua resolvitur principia, tum *coagulationem*. Solutionis autem species sunt duæ, *calcinatio* scilicet & *extractio*. Calcinatio est, unde mixtum resolvitur in pulverem, quem calcem vocant. At ejusmodi calcinatio perficitur, vel corrosione, vel ignitione. Corrosionis autem multæ sunt species apud chymicos. Ajunt enim fieri per Amalgmationem, ubi adhibitio

hydrar-

hydrargyro aurum verbi gratia, argentum, aut plumbum in tenuissimum pulverem dissolvitur. Tum per præcipitationem; quæ quidem præcipitatio fieri dicitur apud ipsos, dum & ubi mixti partes tenuissimæ, *aquæ fortis* infusa, fundum petunt. At per ignitionem perficitur etiam calcinatio, dum scilicet vi majoris ignis adhibita, resolvitur mixtum in cineres. Quo refertur desiccatio humidi naturalis, qualis contingit in generatione salis, aluminis, aut vitrioli. *Extractio* verò quæ est altera solutionis species, fit ubi partes subtiliores mixti a crassioribus separantur; vel per sublimationem; quando nimirum partes siciores & subtiliores igne subjecto, feruntur sursum; vel per distillationem, quando humidiores vaporantur.

Quæres sexto, quid sentiant chymici de arte sua pro vero conficiendo auro, & quid de ea sentiendum sit?

Respondeo, existimare chymicos verum posse confici aurum arte chymica, his præcipue rationibus ductos, quia primò hoc magis non repugnat, quam multa alia opera naturæ, quæ quidem ex arte applicando activa passivis exstruat. Item quia neque repugnat ex parte materiæ, quæ de se indifferens est ad recipiendam auri formã; neque ex parte ipsius formæ, quæ de se similiter illi materiæ conjungi potest; ac proinde superest tantum ad verum conficiendum aurum, ut sciatur modus disponendæ materiæ, quem quidem modum sciri & cognosci posse, patet ex eo quod nulla videtur afferri posse implicantiæ causa. Nihilominus dicendum est, artem istam non nisi valde imperfectè esse cognitam; Deo quidem ex certa providentia illud non permittente, ut patet experientia; alioquin jam futura fuisset longe major auri copia. Quin etiam merito Joannes XXII. Pontifex Maximus, multique alii totam chrysopœiam reprobant. Primo quia est periculosa propter ingentes sumptus; tum propter temporis jacturam, quia chymistæ illi ut plurimum suam operam perdunt; tum etiam quia ex fornace chymica vix ullum hactenus, nisi deterioris notæ aurum profluxit, quod etiam transeat in monetam adulterinam.

QUÆSTIUNCULA.

De regressu, seu reproductione mixti corrupti: utrum res corrupta possit eadem numero reproduci.

Respondeo, non posse rem corruptam reproduci eandem numero, loquendo naturaliter; bene tamen supernaturaliter,

liter. Ratio autem implicantiæ est, quia non potest res aliqua reproduci eadem numero nisi per eandem numero actionem: sed transacta semel actione qua res fuit producta naturaliter, impossibile est, eam redire numero eandem: ergo & impossibile est re. roduci naturaliter eandem numero rem semel corruptam. *Major* est certa; tum quia res numero eadem in facto esse supponit eandem numero rem in fieri, aliàs id quod est in facto esse non fuisset in fieri, subindeque & supponit idem numero fieri sive eandem numero actionem; tum quia actio seu productio *hac* idem sonat, quod actio seu productio *hujus*, cum sit transcendentaliter relativa, ac proinde debet esse eadem numero actio seu productio, hoc ipso quod est idem numero quod producitur, alias non converterentur actio hæc & actio hujus. *Probatur* autem *minor*, de qua videtur esse difficultas. Actio qua res fuit producta naturaliter, est actio cum motu: sed impossibile est, quod motus semel transactus redire possit idem numero: ergo & impossibile est, quod redire possit eadem numero actio semel transacta *Major* supponitur. *Probatur Minor*, duplici medio primo, idem respectu ejusdem non potest facere majus, ut ex terminis constat; sed modus ille reproductus faceret majus seu majorem motum cum motu producto; cum coexisterent diverso tempori imaginario: ergo impossibile est, quod motus semel transactus redire possit idē numero secundo, identitas rei continuæ & divisibilis pendet necessario ex continuitate, immo in ipsa continuitate consistit; cum identitas rei cujuslibet, in ejus consistat unitate, & unitas rei continuæ & divisibilis non alia sit quam unitas continuitatis, ut per se patet: sed sic est, quod inter motum productum semel transactum, & motum reproductum esse non potest continuitas, ut ex terminis patet & ut supponitur: ergo impossibile est, quod motus semel transactus redire possit idem numero, nec consequenter quod actio, qua res fuit producta naturaliter, possit eadem numero redire, quod tamen requireretur, ut supra ostendimus, ad hoc ut res eadem semel corrupta possit naturaliter eadem numero reproduci.

Dixi autem in responsione ad quæsitum reproduci posse loquendo supernaturaliter; quod quidem non ita intelligendum est, quasi possit Deus supernaturaliter seu de potentia absoluta præstare, quod actio qua res producta fuerat, naturaliter redire possit eadem numero ad idem reproducendum; hoc enim, ut ex dictis supra colligitur repugnat actioni cum motu ex natura rei, subindeque & comparativè ad absolutam Dei potentiam;

dam: sed ideo potest Deus de potentia absoluta idem numero reproducere, quia cum actio sua divina utpote cum ipsa identificata, sit illimitata & infinita, habet consequenter præcontinere actionem qua res a natura & naturaliter producitur, nedum secundum gradum communem actualitatis sed etiam secundum gradum individualem, & ut est hæc numero actio; cumque actio illa divina utpote æterna & Dei substantia perseveranter sit, nec usquam sit transacta, ideo fit, quod habeat Deus quidquid requiritur ad idem numero reproducendum, quamvis totaliter extinctum fuerit sive corruptum; cum aliunde certum sit, quod corruptio vel annihilatio rem non ponat in statu differentiæ ut possit reproduci, quam antea erat ut produceretur, dum erat nihil.

Dices primò, ideo ergo non potest idem numero naturaliter reproduci, quia non nisi per eandem numero actionem reproduci potest, quæ quidem redire non potest eadem numero: sed falsum est, quod non nisi per eandem numero actionem possit idem numero reproduci: ergo & falsum est, quod non possit idem numero reproduci naturaliter. *Probatur Minor*, si non nisi per eandem numero actionem posset idem numero reproduci, non nisi etiam per eandem numero actionem posset idem numero conservari: sed falsum est, quod non nisi per eandem numero actionem possit idem numero conservari: ergo & falsum est quod non nisi per eandem numero actionem possit idem numero reproduci. *Minor* est certa: idem enim numero calor factus & productus per hunc ignem, potest idem numero per alium ignem conservari, ut patet ad oculum. *Probatur Maior*, ideo non nisi per eandem numero actionem potest idem numero reproduci, quia actio sive productio est *hæc* per hoc quod est *hujus* numero productus ex quo fit quod ubicumque productum manet semper hoc, ut in præsenti casu de reproductione supponitur, debeat semper manere & hæc numero actio sive productio: atqui conservatio debet eadem ratione esse hæc numero per hoc quod est hujus numero conservati; cum non minus videatur transcendentaliter relativa quam actio, utpote continuata productio: ergo si non nisi per eandem numero actionem posset idem numero reproduci, non nisi etiam per eandem numero actionem posset idem numero conservari.

Respondeo negando minorem, ad cujus probationem distinguo majorem: si non nisi per eandem numero actionem posset idem numero reproduci, etiam non nisi per eandem numero actionem posset idem numero conservari, loquendo

de conservatione, quæ est continuata rei productio Concedo; loquendo de conservatione, quæ est solum remotio contrariorum, aut applicatio extrinsecorum convenientium Nego; & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Pro quo notandum est, quod quando dicitur quod pari modo philosophandum est de conservatione ac de prima rei productione, hoc solum intelligendum est de conservatione quæ est continuata rei productio, sive quæ fit per continuum rei effluxum à sua causa, qualis est verbi gratia, conservatio qua lux conservatur à corpore luminoso, à quo primo & continuè effluit: talis namque conservatio non minus est hæc per hoc quod est hujus numero conservati, quam productio per hoc quod est hujus numero producti; non autem intelligendum est de omni & quavis conservatione, puta de ea quæ fit solum per remotionem contrariorum, vel applicationem extrinsecorum convenientium; talis namque cum per se primo respiciat vel contraria quæ removet, vel convenientia quæ applicat & solum consequenter & secundario id quod conservat, propterea fit quod non fit hæc individualiter per hoc quod est hujus conservati, ac per consequens, quod possit idem numero ita & taliter conservari per aliam & aliam conservationem, quamvis solum produci aut reproduci possit idem numero, per eandem numero actionem. Cum ergo argumentum propositum procedat solum de conservatione hoc secundo modo accepta; non enim idem calor productus, ab alio conservatur, nisi in quantum applicatur ab alio materia conveniens, & removentur contraria, ideò fit quod quamvis juxta argumentum possit idem numero alia & alia conservatione conservari, non tamen possit idem numero alia & alia actione produci vel reproduci.

Dices secundò, si non posset idem numero naturaliter reproduci, nec posset supernaturaliter: sed potest supernaturaliter, ut dictum fuit in responsione ad quæsitum: ergo & naturaliter. *Probatur major*, ideo non potest idem numero reproduci naturaliter, quia redire non potest eadem numero actio qua fuit productum: sed nec etiam supernaturaliter redire potest actio quæ sit eadem numero, cum nec supernaturaliter redire possit motus aut tempus: ergo si non possit naturaliter idem numero reproduci, nec potest supernaturaliter.

Respondeo negando sequelam majoris; ad cujus probationem distinguo minorem: sed nec supernaturaliter haberi potest actio quæ sit eadem numero cum actione translata, quæ sit eadem formaliter Concedo; quæ sit eadem eminentialiter Nego.

Actio

Actio namque divina, ut supra dicebamus cum sit ens per essentiam & illimitata in genere entis, habet per consequens eminentialiter continere totam actionem qua res illa corrupta fuerat facta, etiam in quantum talis actio erat hæc & singularis: ac proinde quamvis Deus etiam supernaturaliter præstare non possit quod redeat actio illa cum motu eadem numero, quæ jam supponitur transacta, habet tamen adhuc per suam actionem divinam præstare posse hoc idem, quod ea mediante præstitit fieri, cum adhuc illam in sua actione præcontineat secundum totum quod in illo erat: è contra vero quia natura non habet continere transactam actionem in alia actione quam potest exercere, saltem secundum quod transacta actio erat hæc numero, idcò fit quod non possit per reditum formaliter præfatæ actionis transactæ possit idem numero reproducere, proindeque quod non possit natura reproducere; cum talis haberi non possit reditus; & tamen possit Deus ut author supernaturalis reproducere, ut pote qui tali non indiget formali reditu, cum transactam actionem in sua esse per manente actione præcontineat, secundum totum quod in illa erat, sive secundum omnes illius gradus, tum communes tum singulares.

Dices tertiò cum ex una aqua plures fiunt, perit & corrumpitur totum; sed iterum facta congregatione aquarum & quidem naturaliter, idem fit & restituitur totum quod antea erat: ergo potest idem semel corruptum naturaliter restitui & reproduci.

Respondeo distinguendo majorem; cum ex una aqua plures fiunt, perit & corrumpitur totum, quantum ad subsistentiam seu entitatem Nego: quantum ad terminationem & unionem Concedo: similiter distinguo minorem; sed iterum facta naturaliter congregatione aquarum, idem fit & restituitur totum, quoad entitatem Concedo; quoad unionem & terminationem quæ fuerat corrupta & deperdita Nego: alia namque tunc advenit terminatio & unio, unde & revera quidem idem individuum entitative, non tamen idem individuum terminativè, ubi scilicet fit congregatio naturaliter; nam si supernaturaliter restituatur illud totum, tunc & entitativè & terminativè idem restituetur, quia scilicet restituetur tunc per actionem divinam, quæ continet eundem numero effectum qui perierat, quoad omnia; quod quidem ita non continet agens naturale, ut dictum est.

Colliges ex dictis, nec supernaturaliter seu per potentiam absolutam posse rem successivam semel transactam iterum repro-

duci, nec consequenter ullam ex actionibus quæ fiunt aut dependent ab aliquo motu. De ratione enim & essentia cujusliber entis successivi, sive illud sit motus, sive tempus corporeum aut angelicum, quod scilicet includit prius & posterius in actibus, licet non dependat à motu; sive aliud quid hujusmodi; de essentiâ, inquam, omnis hujusmodi entis successivi est componi ex transitu unius & adventu alterius, subindeque & de essentia illius est constare ex præterito & præsenti: sed sic est, quod si id quod præteritum est in tali ente, fieret iterum præsens, pro illo tunc non constaret ex præterito & præsenti, sed ex præsenti solum, cum tunc præteritum fieret præsens: ergo repugnantia quam habet ens successivum ad reproductionem, ortum habet ex ipsius essentia, proindeque repugnat illud reproduci etiam de potentia absoluta. Hinc autem ulterius colligitur quod quia actio instantanea dependet ab instanti temporis, sicut actio successiva à temporis successione, ideo reproduci non potest in alio instanti; actiones autem immanentes, si qualitates sunt, poterunt sicut aliæ qualitates reproduci à Deo, non quidem vitali modo, sed ut quædam entitates sunt: modo enim vitali dicuat essentialem ordinem ad potentiam creatam vitalem, à causa autem creata nullus potest reproduci effectus. Quod si actiones illæ immanentes actiones sunt & non qualitates, eodem modo loquendum est de illis, ac de aliis actionibus instantaneis.

APPENDIX

De generationibus meteorologicis in libros meteororum.

QUamvis in quatuor libris meteororum non solum tractet Aristoteles de iis quæ in sublimi mundi sublunaris regione generantur, ut sunt cometæ, pluviæ, grandines & hujusmodi; sed etiam de aliis quæ non sursum, sed in locis subterraneis & in terræ gremio oriuntur, ut de fossilibus & metallis; quia tamen ea quæ ita sursum generantur majorem horum librorum partem occupant, ideò & ab his sumitur hujus tractatus inscriptio: meteora namque (quæ quidem vox idem significat ac sublime, seu excelsum, & elevatum) dicuntur aliqua

quæ

quæ in sublimi mundi sublunaris regione generantur, igitur,

Quæres primò, quænam sint causæ meteororum.

Respondeo causam meteororum effectivam esse cælum per suum calorem, aliosque influxus occultos. Sol enim maxime & astra suo calore pervadendo terram & aquam, easque rarefaciendo seu attenuando, exhalationes & vapores educunt & elevant, atque elevatos in varia formant meteora, mediis tamen aliis causis inferioribus: puta in cometas, medio calore supremæ regionis aëris: in nubes, pluvias & similia beneficio frigoris mediæ regionis, &c. Causa autem materialis, sive communis meteororum materia sunt exhalatio & vapor. Est autem vapor halitus seu spiratio calida & humida, quæ ex aqua, rebusque aliis humidis prodit. Vel si lubet, vapor est resolutio humidi in varias particulas, quæ calore, raritate, & levitate sibi præternaturali affectæ, sursum ascendunt; cujusmodi sunt illi fumi qui ex olla ebulliente expirant. At exhalatio proprie est halitus terreus, seu resolutio sicci in particulas, quæ calore raritate & levitate affectæ sursum quoque ascendunt. Multiplex autem est exhalatio pro diversitate materiæ ex qua educitur. Sic enim ex terra pingui, unctuosâ & viscosâ educuntur exhalationes unctuosæ, quæ facilè inflammari possunt, fiuntque illæ communiter materia fulminis; quomodo exhalationes siccæ sunt, ut dicemus materia ventorum. *De causis meteorum, seu de vapore & exhalatione.*

Notabis autem, vaporem aqueum ab aqua, aut exhalationem terream à terra non distingui nisi accidentaliter, & tola ratione caloris, raritatis & levitatis impressæ. Nam sublatis illis accidentibus, in pristinum statum restituuntur. Quamobrem vapor & exhalatio, tum meteora illa quæ ex iis immediate formantur sunt tantum mixta imperfecta, quia non generantur nisi per transmutationem accidentalem, & quia retenta alicujus elementi substantiali forma, puta aquæ aut terræ, solum dicuntur mixta, quia admixtionem habent quatuor primarum & elementarium qualitatum.

Quæres secundò quid sit cometa, quis ejus motus, & quid prænunciet.

Respondeo primò, cometam esse meteorum ignitum constans multâ exhalatione sicca & calida; pingui tamen & crassa, partesque habente bene coagmentatas & cohærentes. Dicitur autem primo cometa meteorum contra eos, qui existimarunt, cometam esse stellam, vel stellarum plurium conjunctionem: contra quos stat, quod cometæ crescunt, & decrescunt ac abolentur; item quod deprehenduntur esse infra lunam, quæ quidem *Quid sit cometa.*

dem duo de stellis dici nequeunt. Dicitur vero meteorum ignitum adversus eos, qui putarunt cometam non esse exhalationem accensam, sed solaribus dumtaxat radiis collucentem: quod quidem ex eo refellitur, quia si cometa lumine tantum solari luceret, posset de nocte eclipsari per interpositionem terræ inter ipsum cometam & solem, quod hactenus non fuit observatum. Accenditur ergo vel decedentibus ab igne elementari in subjectam exhalationem flammulis; vel excusso interdum ex aliqua nube in aërem altiorem fulmine. Porrò reliquæ præfatæ descriptionis particulæ designant materiam cometæ propriam, quæ quidem nisi cum calore & siccitate pinguedinem aliquam & viscositatem habeat, flammam concipere non potest ut constet in cinere; nec conceptam diu retinere valet, nisi sit multa seu copiosa & partibus bene coagmentatis constans: alias enim si pauca sit, ac facile diffluat, statim extinguitur, sicut aliæ ignitæ impressiones de quibus infra.

Quid sit cometa.

Respondeo secundò, Moveturne cometæ esse multiplicem: movetur enim primo ab oriente in occasum motu ipso primi mobilis, quia adhuc durat impressio hujus motus in sphæra ignis & in suprema aëris regione, in qua quidem regione suprema formantur cometæ, cum altiores appareant ex testimonio observantium, quam altissimorum montium vertices, quos tamen media aëris regio non transcendit. Est tamen præfatus ille motus valde languidus & tardus, quamvis in primo mobili sit adeo velox, propter scilicet hujusmodi corporum tenuitatem & fluiditatem, atque à primo mobili elongationem. Secundò movetur cometa ab occidente in orientem, qui non est tam motus distinctus à præcedenti, quam retardatio illius: tertiò à septentrione ad austrum: item sursum & deorsum & ad alias locorum differentias; idque vel virtute alicujus syderis dominantis & trahentis cometam, vel accessione materiæ, ad quam inflammandam serpit cometa, ideoque videtur versus in eam partem moveri.

Quid prænunciet cometa.

Responderi tertiò, Prænunciare primo seu significare cometas terræ motus [nonnunquam saltem,] qui quidem contingunt, quando exhalationes liberum è terra exitum non invenientes, huc illucque agitatæ terram concutiunt. Secundo prænunciant & significant ventos in media & infima aëris regione, in qua magna pars exhalationum illarum ad supremam aëris regionem pro formatione cometæ ascendentium relinquitur, à qua causantur venti. Tertiò prænuntiat & maris tempestates, quæ quidem ventos consequuntur. Quartò prænunciant sterilitatem

terræ,

terræ, consumpta per exhalationum copiosam, evocationem succo ejus ac pinguedine. Quintò morbos prænunciant propter infectiones quas hujusmodi exhalationes crassæ & viscosæ ac nimium calidæ in aëre causant, quæ humores corrumpunt, ac tandem præsagiunt bella & prælia, ex eo quod exhalationes siccæ choleram excitant, provocantque ad vindictam.

Quæres tertiò. Quid sint & in quo consistant impressiones illæ ignitæ, quas vocant Philosophi lanceas, capras saltantes, & sydera discurrentia.

Respondeo, Lanceas esse, quando materia ignita & accensa in eadem suprema aëris regione, in longitudinem sine latitudine porrigitur. Capra vero saltans dicitur, cum materia illa accensa in longum habet ad latera quasi fila inter se distincta, quamobrem flamma videtur quasi per saltum ad illa progredi. Sydera vero discurrentia sunt, quando exhalatio inflammata fertur ab uno ad alium locum. Tunc autem dicuntur sidera cadentia cum deorsum resilit præfata exhalatio inflammata, descenditque cum impetu.

Quæres quartò. Quod sit & unde fiat tonitrus.

Respondeo Quod tonitrus aliud nihil est, quam fragor, seu vehemens sonus ille, qui oritur ex subita rarefactione siccæ & compactæ exhalationis discurrentis per nubem & ejus ad latera impingentis. Nempe dum sursum fertur ficca exhalatio & calida, non potest adeo incolumis transire per mediam aëris regionem, quin secundum aliquas partes à nubibus coactis intercipiatur, sistaturque; sic autem intra nubem coacta exhalationis copia, ibi quidem primò per antiperistasim magis incalescit, tum rarefit magno cum impetu, & sic fragorem edit eo fere modo, quo sulphureus pulvis, dum igne concepto exilit ex tormento bellico: aut quemadmodum ubi ligna multum exhalationis siccæ intra meatus continentia uruntur, edunt crepitum, exhalatione foras prodeunte, & ligaum disrumpente: quod etiam contingit sali matino, dum ligni conjicitur. *De tonitru.*

Quæres quintò, Quid sint & in quo consistant fulgur & fulmen, & quinam sint effectus fulminis.

Respondeo Quod fulgur aliud nihil est quam coruscatio illa quæ fit, quando præfata exhalatio in ignem conversa, nubis latera perrumpit, indeque egreditur, non tamen cum impetu, quamobrem in illo egressu non edit strepitum, extinguiturque antequam ad terram perveniat. Fulmen vero est ejusdem generis exhalatio conversa in ignem, sed magna ip copia, subitoque & ingenti cum impetu nubem disrumpens: unde fulgur & ful- *De fulgure & fulmine*

fulmen, quantum ad id quod secum afferunt non distinguuntur nisi secundum magis & minus.

Notabis autem solere quidem initio fieri sonum acutiorem, quia tunc exiguum solummodo est foramen per quod erumpit exhalatio.

Item sæpe fit tonitruum absque fulguratione, cum scilicet nubes ab exhalatione non disrumpitur, saltem versus eas partes quibus terram pectat.

Item licet tonitruum prius concitetur, quam fulgur eniteat, prius tamen fulgur oculos perstringit, quam tonitruum ad aures perveniat; quia scilicet per motum localem successive propagatur sonus, cum tamen species visibilis æque ac lumen fiat in instanti.

Item in tonitru solet decidere pluvia, eo quod nubes per antiperistasim ad propinquum frigus tunc sese reducens, facilius in pluviam resolvatur.

Item producitur aliquando fulmineus lapis, cum exhalatio fit ex materia viscosa, sulphurea & metallica: atque ita condensatur ut fiat dispositio ad formam lapidis substantialem.

Quantum autem ad effectus fulminis, solent isti præcipuè numerari: primo rebus iis parcit, quæ sunt rariores: sic enim ut scribit Aristoteles æramenta clipei liquantur, intacto ligno.

Item nonnumquam homines illæsis vestibus & cute, ossibus vero consumptis intereunt: ensis fædatur & liquefit, vagina intemerata, sicut & nummi intemerata crumena: tunc autem illud contingit, ubi fulmen est ex materia subtili & tenui, unde corpora quæ rariora sunt penetret, densisq; tantum adhæresca.

Contra vero si generetur ex materia fumida & crassa, quæ tenuiora sunt assumit, illæsis densioribus, sicque pro diversitate materiæ ex qua fulmen accenditur, aut ex diversitate subjectorum diversi existunt effectus.

Quæres sextò, Quid sint & unde fiant ignis fatuus, ignis lambens, Castor & Pollux.

Respondeo, quod ignis, qui vulgò dicitur fatuus est accensa exhalatio terræ proxima, in omnem partem facilè mobilis, ita ut si sequaris semper fugiat, eo quod aërem ad illum sic impellas: si vero fugias prosequitur; quia sequitur motum aëris ad implendum locum quem successivè deseris quasi accurrentis: apparet autem sæpius iis in locis ubi abundat pinguis & viscosus vapor, ut in palustribus, in cæmeteriis &c.

Ignis fatuus & ignis lambens.

Ignis vero qui dicitur lambens est flamma quædam genita ex tara & subtili exhalatione; idcoque sine damno solet pilis animalium

malium adhæresceret nam & à sudore animalium fervidi temperamenti nascitur aliquando. Castor autem & pollux appellaturignes accensi ex viscosa exhalatione, quæ supra mare post tempestatem interdum exoritur, hærerque ad navium antennas. Ubi autem duo sunt ignes ejusmodi, vocantur Castor & Pollux; dicunturque esse boni auguria. Contra autem, si unicus tantum fuerit, dicitur Helena: sunt autem præfatæ impressiones ignitæ propria meteora infimæ regionis aëris.

Quæres 7. Quid sit & in quo consistat iris.

Respondeo quod iris est arcus multicolor in nube rorida & opaca, ex reflexione radiorum solis oppositi apparens: notabis enim materiam iridis esse nubem roridam seu quasi in guttas liquescentem. Quamobrem iris non fit nisi sub pluvium tempus, & quidem ex reflexione radiorum solis oppositi, quia numquam apparet nisi in parte solis opposita; ita ut linea recta à centro solis transeat per centrum nostri oculi & centrum ipsius iridis; unde necessario consequens est, ut non appareat nisi per radiorum solarium reflexionem. *De iride.*

Notandum pariter est tres existere præcipuos colores, quorum primus ac supremus est puniceus, tum viridis, ac denique infimo loco est purpureus. Nascituque illa colorum varietas ex reciproca & multoties repetita radiorum repercussione ab aliis guttulis nubis roridæ ad alias; quemadmodum per proportionem videmus contingere in vitro triangulari, in quo radii subeuntes refranguntur, & ultro citroque ab intrinsecis faciebus missi ac reverberati vicissim, quasi à pluribus speculis reflectuntur: aliquando autem videtur iris duplex, cum scilicet nubes alia inferior, alia autem superior diversum in modum soli opponitur, & ad nos ipsius radios repercutit.

At præter iridem apparent nonnumquam in aëre aliæ rerum species & imagines variis coloribus ex diversis etiam lucis repercussione consurgentibus depictæ, nominibusque earum rerum, quarum similitudinem referunt, insignitæ, ut corona, quæ est lucidus aut multicolor circulus in extremitatibus nubis alicujus sub sole aut alio astro in orbem sparsæ apparens. *De corona.*

Item vorago quæ ita appellatur, quia est magna quædam veluti fovea aut foveæ similitudo in nube aliqua vel exhalatione apparens: quod contingit quando serena nocte multæ exhalationes constipatæ sub luna aut alio astro constituuntur, quæ in medio densiores sunt in extremis vero rariores; tunc enim medium, utpote minus illustratum, & obscurius, apparet profundius & à nobis remotius, extrema vero ut magis illustrata & nitida videtur *De vorágine.*

pro-

propinquiora. Virgæ vero dicuntur similitudo quædam virgarum multicolorum a radiis solis cauteta, dum nubem aliquam partes quasdam densas, alias rariores habentem, perpendiculariter versus terram penetrant.

De parelio. Denum parelii nihil aliud sunt quam imagines solis in nube quadam rorida & a tergo densa, ad latus illius astri posita expressæ, quibus ad nos traducti plures soles videmur aspicere.

Quæres octavo, Unde & quomodo gignantur in aëre meteora aquea, uta nubes, pluviæ, grandines &c.

Respondeo primò: Quod ex halitu aqueo seu vapore diversis modis rarefacto, condensato, calefacto, refrigerato, &c. gignuntur modo nubes & nebulæ, modo pluviæ, & rores; modo grandines & glacies.

De nube. Est autem nubes vapor quidem magna in copia sursum ad mediam aëris regionem elevatus, ibique condensatus; quod quidem patet experientia: atque hujusmodi nubes si calore solis attenuantur dissipanturque, vocari solent steriles; quæ enim in pluviam resolvuntur, sunt fœcundæ.

De pluvia. Pluvia autem nihil aliud est quam nubes in aquam resoluta: quatenus scilicet vapor nimium condensatus, ad proprium & nativum frigus sese reducit: porro guttatim decidit, quia nubes non tota simul in aquam resolvitur; tum quia cum descendit, aërem dividendo, vicissim ab eo dividitur.

Guttæ autem fiunt tenuiores, ubi ex altiori aeris regione decidunt, tunc que dicitur fieri imber; quando enim densiores sunt vocantur Nimbus; notandumque est pluvias non numquam existere velut cruentas & sanguineas, quando scilicet vapores educti sunt ex aquis sanguine tinctis, aut certe cum ex terris rubris exprimuntur. Item simul cum pluvia interdum generantur aut ranæ aut alia hujusmodi animalia; quia tunc occurrit sufficiens dispositio ex mixtione vaporis & exhalationis.

De grandine. Quando vero accidit, quod pluvia per aërem decidens magis constringitur frigore, tunc fit grando, modo tamen accedat exhalatio idonea: non enim congelatur aqua per solum frigus, sed necesse est accedere mixtionem spiritus tum aërei, tum terrestris unde spissetur seu concrescat, induraturque; cujus quidem signum est, quod grando sicut & glacies aquæ supernatat; cujus levitatis causa non potest assignari alia, quam ista hujusmodi mixtio.

De nive Si autem nubes fuerit sterilis, idest si multum exhalationis terreæ & spiritus aerei contineat, tum antequam resolvatur in pluviam, illi majus accesserit frigus, tunc in flocculos nivis convertitur. Satis enim probat experientia, materiam nivis esse vapo-

vaporem exhalatione & spiritu aëreo mixtum, tum quia illa nivis levitas aliunde oriri non potest quam ex illa spirituum admixtione; tum quia alba non est nisi ex spiritu aëreo, quemadmodum videmus contingere in spuma. Vetustate autem rubescit, quia diuturnitate temporis diffluunt spiritus inclusi remanentque tantum ex qualitates quæ rubores inducunt.

Tandem nebula seu caligo est vapor infimam aëris regionem adhuc occupans, qui si à sole dissipetur, signum est futuræ serenitatis, si verò elevatus & concrescit pariet pluviam. Vapor autem interdiu non longe à terra eductus, nocturno frigore in rorem; ros vero in pruinam convertitur, si frigus fuerit intemperatum. *De nebulis, rore & pruina.*

Huc etiam revocari potest quod vocant serenum: nihil enim est aliud quam subtilior halitus ex aqua aut etiam ex terra, qui suo calore destitutus sub occasum solis relabitur, subitque facile poros corporis, nec parum nocet capiti & oculis: dicitur autem apud nos serenum, quia sereno tempore excitatur. *De sereno. De vehemente.*

Quæres nonò Unde & quomodo generentur venti.

Respondeo quod quamvis ventus non fiat sine aëris agitatione, non tamen in tali agitatione consistit ventus: nam alrquando vehementissimè agitatur aër, ut in explosione bombardarum; nec tamen idcirco dicitur flare ventus. Unde dicendum est, ventos generari per exhalationem siccam certas in partes, virtute cæli rarefacientem sese cum aëris impulsu.

Quod quidem ex eo colligitur, tum quia iis temporibus ventorum vis major existit, in quibus excitatur major exhalationum copia, ut vere & autumno: tum quia quando rubet cælum, tunc signum est venti futuri; non aliam ob causam, nisi quia exhalatio fumida & torrida, ex qua oritur ille rubor, est etiam ventorum materia: sic nautæ judicant fore tempestatem, ubi intendunt aëris quibusdam phænomenis, quorum alia causa nulla est quam exhalatio: tum quia quando liquefiunt nives, spirant venti, quia tunc secernitur exhalatio iis admixta: tum denique quia venti exsiccant ob ejusmodi siccam materiam ex qua fiunt. Quanquam & sæpe humectant ob adjunctum vaporem, quem interdum ex plagis mundi humidioribus colligunt; item & eam ob causam refrigerant, eo quod aerem novum minus calidum inferant.

Quod autem in transversum, & quidem certas in mundi partes destinetur ventus, petitur plerumque ex virtute cæli, sic aerem aut terrestres halitus & exhalationes quibus agitatur, rarefacientis. Neque enim istud contingit ex nubium repercussio-

de, ut docent aliqui. Quia sæpe ventus eodem prorsus modo flat, etiam tunc ubi nullæ in aëre existunt nubes. Sunt autem venti à natura eum in finem instituti, tùm ut eorum beneficio purgetur aër, tum ut exerceatur navigatio; tum ut illi Nubes varies in mundi Regiones ad terram irrigandam distribuant.

Quæres 10. Unde proveniat terræ motus.

De terræ motibus.

Respondeo causari terræ motum ab exhalationibus intra sinum ipsius terræ conclusis, quæ vel à Cælo vel ab ignibus subterraneis excitantur: dum enim subitò sese rarefaciunt viamque sibi & exitum moliuntur, perrumpunt quidquid obstat; eo modo quo pulvis tormentarius igne concepto in cuniculis mœnia & arces subvertit.

Item provenit quoque terræ motus ex ignibus subterraneis; dum scilicet intra cavernas terræ inflamatur materia bituminosa & sulpurea; tantoque impetu sævit interdum, ut ingentes lapidum moles altius ejaculetur; tum in modum alicujus torrentis ignei devolvatur.

Terræ autem motum iis solent consequi aut comitari effectus, primo mugitus, fragor, ululatus; tum secundò terra interdum late dissupta profundis faucibus discedit.

Hæc verò sunt prælagia terræ motus; puteorum spontanea perturbatio, teterque odor; oritur enim ex multo spiritu sulphureo qui prodire incipit.

Item hoc pacto mare nullis flantibus ventis sensim intumescit. Item calamitatis hujus grave prælagium est, aëris tranquillitas intempestiva: quia tunc signum est, quod exhalatio intra sinum terræ coacta brevi erumpet.

Quares undecimò. Quænam sit causa æstus marini, seu fluxus & refluxus, quo maris aquæ reciproca agitatione, nunc ad littus accedunt, nunc ab eo recedunt.

De fluxu & refluxu maris.

Respondeo cælum, ac lunam maxime esse causam effectivam æstus marini: nullus etiam effectus naturalis habere videtur majorem connexionem cum sua causa naturali, quam æstus ille cum Luna; nec potiori ratione quis judicet lumen sole præsente, à sole ipso produci, aut calorem ab igne præsente, aut frumentum similiter à magnete proximo attrahi, quam æstum maris à luna efficienter prodire. Nam primo attollitur mare accedente luna, recedente autem refluit.

Item singulis diebus una circiter hora tardius fervere incipit mare, eo quod una circiter hora tardius luna in suum ortum redeat, quamobrem hæc fluxuum & refluxuum periodus non absolvitur nisi spatio viginti quinque horarum. Item quamvis

fluxus

fluxus & refluxus in sua duratione sint inæquales, non superant tamen durationem lunaris revolutionis circa terram, immò perfectè illam exæquant.

Præterea ille æstus diversus est pro diversa oppositione lunæ cum sole, nam in noviluniis & pleniluniis mare longe vehementius æstuat; sicut & in æquinoctiis. Quamobrem valde probabile est, non solum à luna, sed ab aliis etiam astris simul concurrentibus hunc perfici æstum.

Item tam certa est habitudo æstus marini cum lunæ motu, ut ex ejus momentis infallibiliter definias, qua hora ubicumque gentium perficiatur, denique potest præfata confirmari responsio, ex eo quod patet experientia, lunam corporibus humidis dominari; sic enim crescente aut decrescente luna, medullæ in ossibus animalium, in ovis albumen, cæteraque hujusmodi crescunt aut decrescunt. Cum ergo inter corpora humida primum locum teneat mare, non mirum quod luna ipsi quoque inter cætera ad præfatum æstum dominetur.

Cur autem simili modo ab eodem lunæ, aut aliorum astrorum influxu, maria omnia non impellantur; cur non ubique paribus temporum spatiis reciprocus ille æstus maris vigeat: cur maria quædam nullum aut perexiguum sentiant; cur aquæ omnes fluviales aut locus tam multi, & tam vasti, simili motu non agitentur, dico hæc sæpe contingere, eo quod ubique in diversis matris tractibus eadem non sit aptitudo ad eandem cæli impressionem excipiendam, aut ad eosdem motus subeundos.

Quo pacto licet eadem ubique sit facultas solis ad vapores & pluvias excitandas, non ubique tamen generantur. Vel etiam dici potest, perinde non æstuare omnia maria, eo quod in iis minus est illius spiritus seu halitus, unde intumescant. Hic enim spiritus vel halitus è fundo maris evocatus, est veluti fermentum quoddam, quo tota ejus moles dilatetur, reddaturque cæli impressionibus excipiendis idonea. Et verò quemadmodum animalium medullæ crescente aut decrescente luna non crescunt aut decrescunt mortuo animali, sed tantum ubi animali spiritu velut impræg nantur; ita nec maris partes multæ aut aquæ fluviatiles & palustres vulgo motum à luna recipiunt, defectu illius dispositionis idoneæ.

Quæres duodecimò, Quænam sit origo fluviorum & fontium.

Respondeo juxta sententiam & doctrinam Aristotelis, flumina ac fontes generari in ipsis terræ cavernis; eo quod ibi aër vapi- *De origine*

Fluviorum & fontium.

vapidus ex frigore nimio condensetur, transmuteturque in aquam. Pro quo adiunt peripatetici vapores magna in copia prodire tum ex aquis subterraneis, vi caloris subterranei, tum supra terram ex mari, qui quidem aut in ipsius terræ poros pro sua tenuitate altius transmissi, & in aquam guttatim conversi; aut ex nubibus resoluti in pluvias excipiantur certis cavitatibus, ex quibus fontes & fluvii profluant. Maximè verò ubi sunt montes cavernosi & diiupti, qui per suas quasi fissuras & rimas valeant aquam pluvialem admittere. Probant autem peripatetici hanc sententiam variis experimentis: nam primo, inquiunt, inde fit, ut post diuturnas pluvias aut solutis nivibus, varii passim scaturiant fontes, fluviique accrescant; qui ficciori tempestate prorsus deficiunt.

Item eam etiam ob causam pauci videntur fontes & fluvii, ubi rariores sunt pluviæ aut montes, ut in interiore Africa. Item inde etiam est, uti quidem observat Gassendus, quòd vulgo fontes non prodeant nisi in ipsa declivitate, aut ad radices montium; cum aquarum conceptacula debeant esse in editiori loco; & aperto deorsum ostio. Quare si forte in alicujus montis vertice oriantur aquæ, necesse est illas ex conceptaculo sublimioris alterius montis deduci per meatum subterraneum, sursumque humiliori ex loco reflexum.

De fossilibus & metallis.

Quæres ultimò, Quænam sit causa sive materia fossilium, sive illorum quæ ex locis subterraneis & mineris erui solent; cujusmodi sunt lapides, succorum genera varia, tum etiam metallorum.

Respondeo quod lapidum materiam, ex qua videlicet conformantur, est habitus humidus simul cum sicco terreo in humidum prædominante, ut colligitur ex densitate, siccitate, duritie, & gravitate quam habent: quamobrem de se merguntur sub aquam; nec contingit nisi per decidens, quòd pumex enatet, ob scilicet cavitates plenas aëre, ipsi connaturales.

Ex lapidibus autem præter vulgares, est silex, saxum, crystallus, gypsum, magnes, &c. Item marmoris genera diversa numerantur, ut porphyrites, alabastrites, &c. Item inter lapides locum insignem tenent gemmæ, ut adamas, achates, onix, chrysolithus, &c. Item ad lapides referuntur creta, terra sigillata, & terræ coloratæ quarum usus est in picturis, ut sandaraca, &c.

Respondeo secundò, Quod in succis humidum ita increscit, ut raro non evadat prorsus aut lapis aut metallum. Ex iis autem alii sunt concretiores & pinguiores, ut sulphur, bitumen, alu-

alumen, naphta, carbones fossiles, electrum, succinum, pix; cum aliis maioribus, ut vitriolum.

Respondeo tertiò, Fieri metallum ex halitu sicco & terreo, tum ex humido prædominante, seu quod in idem redit, ex exhalatione cum vapore, cujus humiditas supra exhalationes siccitatem prævalere debet, etenim metalla & ignimuntur & liquescunt; ut autem ignimuntur necessaria est exhalatio siccas & ut liquescant, vapor humidus qui ea de causa prævalere debet; unde etiam illa quæ plus terræ concretionis & siccitatis habent, difficilius liquescunt & funduntur. Solent autem istæ simplices metallorum species numerari; nempe aurum, argentum, æs, plumbum, stannum.

Aurum vero chymistæ vocant solem, eò quod existiment ipsum præcipuè generari per solares influxus tanquam per causam efficientem: qua ratione argentum nomen lunæ accepit, ferrum nomen martis, plumbum saturni, &c.

Sunt autem præfatæ metallorum species à se invicem essentialiter diversæ; quanquam contrarium doceant nonnulli chymici, qui volunt ex quolibet metallo posse aurum confici, repurgatis aliarum rerum mixtionibus. Talem namque diversitatem essentialem probant sufficienter diversæ eorum proprietates. Nam aurum est cardiacum, & vires naturales recreat, prodestque imprimis, ut ajunt medici elephantiasi & morbis melancholicis.

Argentum autem cerebrum juvat, & calidis illius affectibus opitulatur. Plumbum adstringit, obstat phlegmoni, oculorum fluxiones continet. Storia ferri incidit, attenuat; & ubi sumitur intetius obstructa aperit, & inveteratos humoris fœtidos absumit.

Item hydrargyri, quod & mercurium vocant chymici, proprietates illæ sunt; primo quod sit fluxile, liquoris cujusdam instar; & argentum quidem vocant, quia argentum colore refert; at dicitur vivum, ob illam fluxibiliratem, unde & quovis impetu facile movetur ex loco ad alium. Secundo metallis omnibus, si aurum exceperis, est ponderosius: quamobrem in illo natant. Item aurum argentumque à cæteris metallis ope hydrargyri separantur; cum tamen inaurandis laminis, ipsisque ungendo auro sit necessarium.

Demùm ex metallis compositis, primo est electrum constans ex auro & argenti quinta parte; distinguiturque ab illo succini genere, de quo supra in secunda responsione, quod etiam electrum vocatur. Secundo est Orichalcum; illudque duplex: alterum

terum quidem ex ære & auro; vulgare autem alterum ex ære, tum ex vitri pulvere, alioque lapidis genere confectum. Nihil autem hic dico de chalybe & de aliis quæ solum accidentaliter differunt. Nam chalybs aliud nihil est, quam ferrum recoctum & magis defæcatum.

Huc etiam accedit hydrargyrum seu argentum vivum, quod ajunt esse metallum dumtaxat imperfectum, & in via ad perfectiorem quasi congelationem; siquidem ex eo simul ac sulphure tanquam ex materia minus remota putantur à nonnullis gigni alia metalla.

IN LIBROS
DE ANIMA,
UBI
DE ENTE NATURALI vivente, seu vitaliter mobili.

Ordo doctrinæ.

CUM jam actum fuerit de ente naturali seu mobili ut sic & in genere, in præcedentibus, in exponendis octo libris Physicorum; tum de ente mobili motu locali, dum quæstiones movimus super libros de cælo & mundo; tum de ente mobili motu generationis & corruptionis in quæstionibus superioribus, restat ut in hac ultima parte physicæ agamus de ente naturali vivente seu vitaliter mobili, utpote quod, & minus late patet tum ente localiter mobili, tum generabili & corruptibili, & continetur sub ente mobili ut sic totius physicæ seu philosophiæ naturalis objecto.

Hos autem libros inscripsit Aristoteles de anima, cum illos potuisset inscribere de ente seu mobili animato, quod est pars entis mobilis ut sic, quod quidem mobile ut sic assignavimus & probavimus objectum totale & adæquatum physicæ: nihilominus quia anima est principium constitutivum animati, estque principium omnium facultatum quæ in corpore animato existunt ac omnium motuum vitalium qui ab ipso procedunt, ideo

quæ

quæ de ente seu corpore animato ut de toto disputari possunt, non immeritò ad animæ contemplationem, tanquam ad earum omnium rerum principium, & velut ad objectum quo revocavit.

QUÆSTIO PRIMA

De anima in communi.

Vtrum in vivente sint plures animæ, seu plures substantiales formæ.

Quid sit & qualiter definiatur anima.

Præmittendum primò. Pro declaratione quidditatis seu definitionis animæ, quod cum anima in corpore vivente non solum sit forma dans illi esse, & illud constituens in ratione talis vel talis speciei viventis; sed sit præterea principium omnium operationum vitalium, quæ ab eo procedunt, duobus propterea modis considerari & definiri debet ac solet anima: primo quidem quatenus est forma corporis; tum quatenus est principium facultatum atque operationum vitalium in corpore animato.

Quatenus igitur est anima forma constitutiva viventis sic definitur: est actus primus corporis organici, potentiâ vitam habentis. Quod enim sit actus primus corporis hoc habet commune cum omni forma substantiali: at differt ab aliis formis substantialibus, per hoc quod sit actus corporis organici. Cum enim sit anima de se principium multarum, & quidem diversissimarum operationum, quæ per organa corporea exerceri debent, ideo subjectum exigit seu corpus per se heterogeneum, id est vario genere partium, qualitatum, ac facultatum, tanquam vario genere organorum seu instrumentorum præditum, unde hoc præstare possit.

Debet autem corpus illud organicum juxta præfatam definitionem esse potentiâ vitam habens, ut afferatur discrimen à cadavere, in quo quidem apparet diversitas partium organicarum, sed non est potentiâ vivens, id est in illo non potest exerceri ulla operatio vitalis; quæ operatio vitalis dicitur vita actu, seu vitâ accidentalis; cum alioqui anima corpus informans

sit ipsius vita substantialis & radicale principium operationum vitalium.

Altera vero definitio animæ, quatenus est principium operandi sic habetur: est id quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus. Quæ definitio sumenda est in sensu partim copulativo, partim disiunctivo. Nam primo quidem omne corpus animatum habet ab anima quod vivat, habeatque in se idem principium formale sui constitutivum ac vitalium operationum radicaliter effectivum. At præterea illud dicitur vel principium vegetandi in plantis, vel simul sentiendi & movendi in brutis; vel etiam & intelligendi in nobis. Notandumque est, Angelum, quamvis in corpore assumpto videatur esse principium similium operationum; non idcirco tamen dici animam, quia non est in eo corpore ut forma informans, sed tantum ut forma assistens vel tanquam purus motor in mobili.

Quot sint genera animantium.

Præmittendum secundò, triplex esse animæ genus. Primo enim alia est vegetativa tolum, seu principium nutritionis & augmentationis ut in plantis. Alia vero est vegetativa simul & sensitiva: ut in brutis animantibus. Denique est anima quæ simul vegetativa est tum sensitiva, ac rationalis; ut in homine: neque in tali divisione unum membrum dividens includitur in alio, quamvis sensitiva anima sit etiam vegetativa; anima namque vegetativa quatenus constituit unum ex membris præfatæ divisionis, seu quatenus unum constituit peculiare animarum genus, supponit pro anima vegetativa ut contracta & limitata ad gradum vegetandi, qualis est forma plantæ; sub qua ratione non habet includi in anima sensitiva; nec anima sensitiva ad gradum sentiendi limitata, qualis est forma bruti in rationali.

Quotuplex sit modus vivendi.

Triplex igitur est animarum genus: cum quo tamen stat, quatuor esse modos vivendi, quorum alii seorsim ab aliis reperiri possunt, nempe vegetativum, sensitivum, loco motivum, & intellectivum. Ex alio namque capite petitur numerus animarum, & ex alio numerus modorum vivendi: nam triplex genus animæ colligitur ex triplici genere vitæ, quæ complectitur omnes gradus modosque vivendi: quadruplex verò modus vivendi sumitur ex quatuor veluti gradibus vitæ, quorum priores sine posterioribus reperiri possunt, qui quidem sunt numero quatuor. Nam vegetativum reperitur in plantis sine sensitivo: sensitivum autem sine loco motivo in quibusdam animalibus imperfectis ut in conchiliis, quæ cum non habeant nisi sensus, tactus

ctus & gustus, non vero alios quibus objectum remotum & loco dissitum valeant apprehendere, nec etiam se movent localiter ad ipsum: Item loco motivum reperitur sine intellectivo in aliis animalibus perfectis, seu quæ habent sensitivam animam, quæ sit principium earum etiam sensationum quibus objectum remotum & loco-dissitum apprehendi potest. Ac denique intellectivum simul cum præcedentibus reperitur in homine. Sunt igitur modi vivendi numero quatuor; nec iis addi potest appetitivum; ita quod modum constituere debeat vivendi diversum à sensitivo & intellectivo, cum ad illos inseparabiliter consequatur per modum inclinationis, ita ut nec sine illis esse possit, neque è contra.

Jam vero, quantum ad resolutionem quæsiti tituli, an scilicet in vivente sint plures animæ seu plures substantiales formæ, sive totales sive partiales, jam resolvimus negative in hoc tomo, in ea scilicet quæstione libri primi, in qua conclusum fuit, esse omnino impossibile, plures esse in eadem materia sive in eodem composito substantiales formas, sive partiales sive totales. Ex his igitur

Colliges, unam tantum in homine reperiri animam, scilicet rationalem; ita quod præcontineat, & quidem formaliter eminenter sensitivam, vegetativam, corpoream. Etenim cum sit anima humana seu rationalis, etiam ut rationalis est, simpliciter substantialis non potest non tribuere materiæ sive subjecto quod informat esse simpliciter substans: sed sic est, quod esse non est simpliciter substans, nisi sit substans omnibus aliis esse, quando quidem esse quod aliquibus substat & aliis non substat, æque dici potest esse non substans, loquendo simpliciter, quam esse substans: ergo esse quod tribuit anima rationalis subjecto quod informat, est esse substans omnibus aliis esse: ergo dat anima rationalis gradum substantiæ & hominem constituit in ratione substantiæ: sed tribuere non potest anima rationalis gradum substantiæ, quin consequenter tribuat omnes inferiores gradus, puta gradum corporei, vegetativi & sensitivi; cum gradus ille substantiæ sit genericus ad corporeum, vegetativum & sensitivum, tanquam ad gradus inferiores & specificos, & genericus gradus non reperiatur in re & de facto communicatus nisi in aliqua specie: ergo sola sufficit anima rationalis ad tribuendum homini gradum corporeum vegetativum & sensitivum. *Nota.*

Neque ex eo sequitur quod debeat esse corporea, nisi ad summum ut quo, sed sequitur solum quod debeat esse forma cor- *Nota*

potis, seu forma materiæ, sive ordinata ad unum constituendum totum cum materia per modum actus simpliciter substantialis; siquidem hoc ipso sequitur, quod esse quod tribuit informando, sit esse simpliciter substantiale, & consequenter sit esse substans omnibus aliis esse, ac proinde quod tribuat informando gradum substantiæ, seu constituat compositum in ratione substantiæ simpliciter loquendo, subindeque & in ratione corporis; cum extare non possit gradus substantiæ compositæ nisi in corpore.

Nota.

Dixi autem supra, continere propterea animam rationalem tum vegetativam, tum sensitivam formaliter eminenter; cum continere formaliter eminenter sit actu includere rationem formalem alicujus, seclusis imperfectionibus & sine limitatione quam illud habet in rebus inferioribus, in quibus formaliter tantum reperitur; quomodo dicitur Deus continere formaliter eminenter perfectiones nostras simpliciter simplices; & de facto includat anima rationalis, ut quo rationem formalem sensitivæ, utpote tribuens formaliter esse sensitivum, ut ostensum fuit; & insuper sensitivam ita includat sine imperfectionibus & limitatione quam habet in bruto, ubi est sensitiva tantum, ut per se patet.

QUÆSTIUNCULA.

Utrum ipse etiam sanguis in homine informetur anima totius, an vero propria aliqua forma.

Respondeo, probabilius esse, informari etiam sanguinem animâ totius, saltem quoad gradum vegetativum. Ratio autem hujus est, quia, ut ex quæstione præcedenti supponitur & colligitur, una tantum dari potest forma pro unaquaque compositâ naturâ: ergo quæcumque sunt de pertinentibus ad unitatem naturæ animatæ informari debent animâ totius: sed sic est quod sanguis est de pertinentibus ad unitatem naturæ humanæ: ergo informatur sanguis in homine animâ totius. *Probatur subsumptum*: Quod est de pertinentibus ad veritatem naturæ, non potest non esse de pertinentibus ad ejus unitatem: sed sanguis est de pertinentibus ad veritatem naturæ humanæ; ergo & est de pertinentibus ad ejus unitatem. *Major* est certissima;

sima; est enim de veritate naturæ humanæ quod sit unum ens per se, ac proinde quod est de pertinentibus ad ejus veritatem, debet similiter pertinere ad ejus unitatem. *Probatur Minor*, duplici medio & quidem primò medio philosophico sic; vita est de veritate naturæ humanæ: ergo & est de pertinentibus ad ad veritatem naturæ id quod est præcipuum organum vitæ: sed talis est sanguis in homine vel animali; tum quia est caloris vehiculum, tum quia mediis spiritibus vulgo dictis vitalibus exercentur operationes vitales: ergo est sanguis de pertinentibus ad veritatem naturæ humanæ.

Secundò, si non esset sanguis de veritate naturæ humanæ, esset de veritate alicujus alterius naturæ; cum unumquodque individuum sit sub certa quadam natura, sitque vel ipsa natura vel pars naturæ: sed sanguis esse non potest de veritate alterius naturæ, quam humanæ; alias Verbum divinum quod sibi hypostaticè univit sanguinem, assumpsisset sibi duas diversas naturas, atque ita propriè dici posset Deum esse sanguinem ac esse hominem: ergo est sanguis de pertinentibus ad veritatem naturæ humanæ: ergo & est de pertinentibus ad ejus unitatem per se: ergo & informari debet forma totius.

Dices primò: conversio sanguinis in carnem est substantialis mutatio; cum sit essentialiter nutritio, quæ quidem definiri solet conversio alimenti in substantiam alti: sed si esset sanguis animatus anima totius, seu eadem formâ & animâ, qua caro est informata, non esset tunc conversio illa sanguinis in carnem substantialis mutatio; cum non esset tunc à privatione formæ ad formam, sed esset ad summum ab uno gradu formæ ad alium, puta à gradu vegetativo ad sensitivum: ergo non potest sanguis esse informatus animâ totius.

Respondeo, negando minorem, quamvis enim conversio sanguinis in carnem præcisè ut talis, seu ut conversio sanguinis, sit solum mutatio à priori & imperfectiori gradu formæ ad perfectiorem, non autem sit ab una ad aliam formam, nihilominus quia conversio sanguinis est consummatio nutritionis seu actionis illius quâ transit alimentum, puta cibus ab una ad aliam formam, & consummatio qualitatis reducatur ad id cujus est consummatio, consequenter fit, quod considerata conversio sanguinis ut nutritio est, adhuc dici debeat substantialis mutatio, sed mutatio à privatione formæ ad formã; cũ ut nutritio est sit consumatio illius nutritionis, in qua exercetur mutatio de privatione ad formã; atq; ita poterit sanguis esse animatus anima totius, licet conversio illius in carnem, seu nutritio carnis ex sanguine sit sub-

substantialis mutatio; quia scilicet, quamvis non exerceatur mutatio à privatione formæ ad formam in conversione sanguinis secundum se spectata, exercetur tamen in præviis actionibus sive mutationibus, ad quas conversio illa sanguinis reducitur & pertinet velut consummatio.

Dices secundò, si esset sanguis animatus anima totius, deberet cum cæteris partibus animatis continuari; alias esset anima divisa à seipsa; sed non potest sanguis cum partibus solidis & animatis continuari; cum sit liquidum quid, & liquidum continuari non possit cum solido: ergo non est sanguis animatus anima totius.

Respondeo negando minorem, continuatur enim sanguis in poris cum membris solidioribus quatenus paulatim coagulatur & solidatur cum illis, unde cum inconveniens non sit, partem solidam continuari coagulatæ, & coagulatam liquidæ, ut patet in lacte, in quo pars quæ concrescit & coagulatur continuatur alteri parti liquidæ, ideo nec mirum quod possit sanguis hac mediante coagulatione continuari partibus solidioribus corporis; maximè cum in sanguine deprehendantur fibræ quædam, mediis quibus potest cum venis continuari.

Dices tertiò, quando emittitur sanguis extra venas, continuatur ille qui fluit extra, cum eo qui est intra venas: sed qui est extra non est animatus anima totius ut conceditur: ergo neque qui est intra.

Respondeo, negando majorem; non enim aliter continuatur sanguis ille extra emissus cum eo qui est intra, nec aliter videtur continuari, quam eo, quo continuatur modo membrum aridum membro sano, & virga sicca viridi, quæ tamen non continuè sed contiguè solum se habent, quia scilicet habent diversas formas, quæ quidem cum faciant aliud & aliud, tollunt per consequens identitatem quam arguit & importat continuitas: discontinuatur ergo sanguis dum è vena erumpit, quia corrumpitur & amittit vitam, aliamque formam induit sicut cadaver, licet aliquid caloris vel similis virtutis retineat; fitque hæc discontinuatio per hoc quod rumpuntur fibræ, quæ tenuissimæ sunt & quibus mediantibus continuabatur cum venis, sicque è vena decidit.

Dices quartò, quod sanguis aliquando exsudatur tanquam sudor & excrementum: sed sudor sive excrementum non est animatus: ergo nec animatus est sanguis.

Respondeo negando majorem, si nimirum sermo sit, ut est in præsenti, de vero & perfecto sanguine: humor enim ille, qui ita

ali-

aliquando exsudatur, non est sanguis perfectus & exactus, sed adhuc informis, licet colore sanguinis tinctus, ex laxatione nimia corporis, qua humor ille sanguini permiscetur, ejusque colore tingitur. Vel certè si verus sudatur sanguis, id contingit, aut ex ruptione, aut ex nimia pororum laxatione, in quibus sanguis continetur; atque ita cum excrementum non ita violenter emittatur, non potest consequenter exinde colligi, exsudari præfatum sanguinem quasi excrementum.

Colliges, tres etiam alios humores, naturales puta flavam bilem, pituitam, & humorem melancholicum informari similiter anima totius; cum sit æque sanguis de veritate & integritate humanæ naturæ; & omnes partes integrales viventis informentur anima totius, ut supra probatum est, & patet ex definitione animæ; quæ est actus informans corpus organicum, atque adeo & ejus partes, quibus in ratione organici constituitur; idem similiter dicendum est de dentibus, unguibus, & capillis, quod præterea ostenditur ex eo quod talia nutriuntur & crescunt ab intrinseco & per intus susceptionem alimenti, quæ quidem nutritio & incrementum sunt operationes vitales, adeoque illa verè animantur & vivunt, cumque unica sit in quolibet vivente anima, ut ex quæstione præcedenti colligitur, sequitur debere dentes, ungues & capillos animari, anima totius.

Nec obstat, quod ungues & capilli videantur esse excrementa & superfluitates viventis, non enim sunt de iis excrementis, quæ rejicit natura ut inutilia, cujusmodi sunt sudor, saliva, lacrymæ & similia, quæ proinde non sunt animata; sed sunt de iis excrementis, aut quasi excrementis; quæ natura sibi retinet ad perfectionem & conservationem; sunt enim ungues & capilli in homine, sicut cortex & folia in arbore; atque ita cum ita sint de integritate naturæ, non mirum quod animari debeant anima totius.

Quo verò gradu vitæ informentur & animentur humores illi? respondetur, informari & animari ad gradum vitæ imperfectiorem, scilicet vegetativum, quia non sentiunt, sicut nec ungues nec capilli, sed crescunt & nutriuntur; & ita sanguis quando extrahitur non dolet, sicut nec capillus dum tonditur. Unde D. Thomas *in 2 sentent, distinct. 30. quæst. 2. art. 2. ad 3.* hæc habet. *Humores sunt de perfectione corporis humani sicut & alia partes, quamvis non perveniant ad totam perfectionem sicut alia partes: sicut enim partes omnes universi perfectionem à Deo consequuntur, non æqualiter, sed secundum suum modum unumquodque, ita etiam humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, nec tamen modo sicut partes perfectiores.* Hæc S. Doctor.

QUÆ-

QUÆSTIUNCULA

De divisibilitate animarum.

Vtrum omnis anima materialis sit etiam divisibilis.

RESpondeo negativè, licet enim animæ plantarum, & imperfectorum animalium, quæ dicuntur sectilia, quia scilicet secari & dividi possunt in partes seorsim viventes, ut sunt vermes, serpentes, & hujusmodi, licet, inquam, præfatæ animæ divisibiles sint; cum videamus partes illorum de facto vivere separatas, seu moveri ab intrinseco, sine motu vegetativo nutritionis & augmentationis, ut non raro videmus in ramis abscissis, sine locali motu, ut videre est in divisis partibus serpentis & aliorum sectilium animalium: nihilominus animæ insectilium seu perfectorum animalium, v. g. equi, leonis &c. quæ quidem ideo dicuntur perfecta & insectilia, quia eorum animæ, cum principia sint multarum & perfectiorum operationum requirunt propterea corpus perfectè organizatum ad eas exercendas, & ideo salvati non possunt in partibus divisis & separatis, tales inquam animæ talium insectilium animalium sunt prorsus indivisibiles; quam quidem indivisibilitatem probo ego & ostendo sic.

Si essent hujusmodi animæ, equi, v.g. aut leonis divisibiles, vel hanc haberent divisibilitatem secundū se vel ex informatione, seu quia informant subjectum quantum & divisibile: sed nec *Nota.* secundum se divisibilitatem habent; cum id solum sit per se & secundum se divisibile, quod est per se & secundum se quantum; & solum corpus seu materiale compositum sit per se quantum sive subjectum quantitatis, ut conceditur communiter & alibi ostendimus: neque etiam ex informatione subjecti quanti possunt præfatæ animæ habere divisibilitatem: ergo sunt hujusmodi animæ, quamtumvis materiales, omnino indivisibiles. *Probatur minor*, quoad istam secundam partem de qua dubitari solet. Quod ex modo informandi comparatur ad subjectum divisibile tanquam ad indivisibile quid, non potest ex informatione fieri divisibile, quin imo ex informatione arguitur in eā indivisibilitas: sed animæ illæ perfectorum & insectilium animalium comparantur ex modo informandi ad subjectum divisibile tanquam ad indivisibile quid: ergo ex informatione dici non pos-

possunt divisibiles. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*, respicere ex informandi modo & exigere partes subjecti divisibilis ad modum unius, est comparari ad subjectum divisibile tanquam ad indivisibile quid: sed animæ illæ perfectorum & insectilium animalium ex modo informandi respiciunt & exigunt partes illas plures subjecti divisibilis ad modum unius; ergo animæ illæ perfectorum & insectilium animalium comparantur ex modo informandi ad subjectum divisibile, tanquam ad indivisibile quid. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* duplici medio.

Primò ideo partes illæ subjecti divisibilis entitativè sumptæ non possunt respici ad modum unius, quia entitativè sumptæ potest una esse seorsim ab altera: sed comparatæ eædem partes ad modum informandi sive sumptæ ut informandæ & informabiles una esse non potest sine altera; ut supponitur, ad differentiam partium animalium sectilium & imperfectorum: ergo ex modo informandi respiciuntur partes illæ ad modum unius.

Secundò, ideo calor ut octo, quamvis plures includat gradus, comparatur ad informationem formæ ignis ad modum unius, quia una illa dispositio ad hanc informationem requisita omnino requirit omnes illos gradus, qui propterea comparantur ad informationem ad modum unius indivisibilis dispositionis: sed etiam una illa organizatio ad informationem harum animarum omnino requisita, omnino requirit omnes illas partes subjecti divisibilis, quæ propterea comparantur ad earum informationem ad modum unius indivisibilis dispositionis: ergo animæ illæ perfectorum & insectilium animalium ex modo informandi respiciunt & exigunt plures illas partes subjecti divisibilis ad modum unius.

Dices primò, non alia de causa formæ accidentales corporeæ divisibiles sunt ex divisibilitate subjecti, nisi quia ex quo corporeæ sunt suscipere possunt divisibilitatem, & ex quo formæ sunt subjecti divisibilis, debent ejus divisibilitatem suscipere: sed hæc duo verificantur similiter de animabus perfectorũ & insectilium animalium, ut per se patet: ergo divisibiles sunt præfatæ animæ.

Respondeo negando majorem, non enim formæ illæ accidentales & corporeæ habent esse divisibiles ex eo quod corporeæ sunt, neque ex eo quod informant subjectum divisibile; non quidem ex eo quod corporeæ sunt, cum habeant quod sint corporeæ, etiam secundum se sumptæ, & certum sit quod secundum se sumptæ non sint divisibiles; cum nihil reddi possit divisibile nisi per susceptionem passivam quantitatis, cujus divisibilitas est

est & supponitur proprietas, illæ vero animæ secundum se sumptæ non sunt capaces quantitatis, quæ quidem solum recipitur in corpore.

Item nec habent formæ illæ corporeæ accidentales divisibilitatem ex eo quod informant subjectum divisibile, tum quia informatio subjecti divisibilis competit etiam formæ spirituali, quæ quidem incapax supponitur omnis omnino divisibilitatis; tum quia informari potest subjectum divisibile modo indivisibili, ut ostensum fuit supra in responsione ad quæsitum, in quo quidem casu non potest ex informatione haurire divisibilitas ut per se patet: non ergo habent formæ illæ accidentales corporeæ, & sic de formis animalium sectilium & imperfectorum, non, inquam, habent divisibilitatem ex eo quod corporeæ sint, nec etiam ex eo quod subjectum informant divisibile, sed quia subjectum informant divisibile divisibili modo, id est, quia ita plures ejus informant partes, ut eas ex modo informandi informent, sive assumantur omnes ad modum unius, sive spectentur singulæ divisivè: sed sic est, quod animæ perfectorum & insectilium animalium non ita informant subjectum divisibile divisibili modo, sed potius indivisibili; cum ex modo quo informant non habeant plures informare partes, nisi quia plures requirunt ad modum unius indivisibilis dispositionis & organizationis ad informandum, taliter quod informare non possint, si divisivè sumantur præfatæ illæ partes, quod haud dubiè indicat, eas non informari plures nisi ad modum unius & indivisibilis organici, non quidem unius & indivisibilis in ordine ad entitatem, sed in ordine ad informationem: non ergo debent animæ perfectorum & insectilium animalium esse indivisibiles, quamvis divisibiles sint & formæ accidentales corporeæ, & formæ seu animæ imperfectorum & sectilium animalium.

Dices secundò, quando augetur animal, est actio augmentativa eductiva formæ, non autem tantum unitiva; sed non est eductiva totius formæ, ut per se patet: ergo est eductiva partis formæ seu animæ; proindeque supponi debet anima illa divisibilis. *Probatur Major*, de qua solum potest esse difficultas: materialis forma, qualis est anima animalis, dependet a materia cui unitur, ad differentiam spiritualis: sed si actio augmentativa animalis non esset eductiva formæ sed solum unitiva, non penderet tunc ejus anima à nova illa parte materiæ, cum ei tunc solum uniretur, sicut spiritualis anima: ergo quando augetur animal, debet actio augmentativa esse eductiva formæ, non autem tantum unitiva.

Respon-

Respondeo negando majorem, ad cujus probationem distinguo majorem: materialis forma, ad differentiam spiritualis dependet à materia cui unitur, vel in fieri, vel in conservari *Concedo*; dependet à materia cui unitur, in fieri, subdistinguo: loquendo de materia, cui unitur à principio sive per generationem *Concedo*: loquendo de materia cui unitur successu temporis seu per augmentationem, *Nego*, quod ab ea dependeat materialis forma in fieri nec consequenter quod ab ea educatur, sed ab ea solum pendet in conservari, in quo quidem differt adhuc à forma spirituali, quæ unitur quidem materiæ, tum ei quæ supponitur a principio generationis, tum ei quæ advenit successu temporis per augmentationem, ita tamen quod à nulla pendeat, nec in fieri nec in conservari.

Neque est inauditum in philosophia, quod aliquid ab aliquo pendeat in conservari, à quo tamen non pendet in fieri: ipsa nãque materia prima, quando primo creata est, fuit solum creata ut dependens ab illa forma sub qua creata est; & nihilominus quando postea successivè generãtur formæ, redditur dependens à forma genita, non quia de novo fiat & creetur, sed quia fit dependens de novo in conservari ab illis formis, quæ intra ipsius potentiam continentur, & quæ ab ea educuntur: non ergo mirum, quod anima illa animalis, quæ à principio educta fuit à materia generationis, ita fuerit educta ab illa & dependens quantum ad fieri, quod in conservari sit dependens tam ab ipsa, quam à qualibet alia materia succedente intra limites suæ informationis.

Dices tertiò, si esset anima animalis perfecti indivisibilis, deberet esse tota in tota materia & tota in qualibet ejus parte; sed hoc dici non potest de anima materiali, qualis est præfata anima: ergo non est præfata anima animalis perfecti indivisibilis. *Major* videtur certa: solemus enim dicere, quod angelus & anima rationalis, quia indivisibiles sunt, sunt etiam totus in loco & totus in qualibet parte loci. *Probatur minor*, talis est anima animalis perfecti in materia, qualis ab ea educitur, cum de facto in ea non sit nisi per eductionem: sed anima illa non educitur tota ex una parte materiæ: ergo necesse potest tota in qualibet materiæ parte.

Respondeo negando majorem, cujus ratio est quia comparatio alicujus totius ad totum & partis ad partem potest solum fieri media quantitate, utpote quæ sola habet distinguere cum ordine quodam partes & totum: arqui impossibile est, quod forma illa substantialis, sive sit anima animalis perfecti, sive quæ-

cumque altera, comparetur ad materiam quam informat media quantitate, quia cum consequatur quantitas ad corpus jam constitutum in esse corporis, & in eo subjecterur, debet per consequens anima & omnis forma substantialis utpote constitutiva corporis per informationem materiæ, ipsam informare materiam antecedenter ad quantitatem; non ergo de anima prout informante materiam inquiri potest nec debet, an sit tota, in toto & tota in qualibet parte.

Dices quartò, anima illa animalis perfecti educitur à partibus materiæ, cum educatur ex materia quæ habet partes: ergo & educitur à parte materiæ; sed à parte materiæ non educitur secundum se totam: ergo à parte materiæ educitur tantum secundum sui partem; proindeque est anima illa divisibilis in partes.

Respondeo primò, negando majorem sumptam in rigore terminorum; cum enim ut supra dicebamus anima illa materiam informet antecedenter ad quantitatem, quæ sola habet distinguere & ordinare materiam in totum & partes, & informare non possit nisi sit, nec esse nisi educatur, ideo fit quod antequam sit materia distincta est ordinata in totum. Et partes jam in eo priori naturæ ipsa sit educta forma; atque ita quod in rigore terminorum falsa sit præfata illa major, in qua asseritur, esse formam seu animam illam eductam ex partibus aut parte materiæ. Vel respondeo secundo concedendo antecedens, simul & consequens, & distinguendo sublumptum sic: sed à parte materiæ non educitur anima secundum se totam, in hoc scilicet sensu ita quod ab una parte materiæ non educatur totaliter Concedo: non educitur secundum se totam, ita quod sensus sit quod secundum aliquid sui educitur, & secundum aliud quid non educitur Nego.

Non igitur educitur anima à parte materiæ secundum se totam & totaliter, quia ly *totaliter* excludit aliud seu aliam partem à qua educatur; educitur tamen tota anima à parte materiæ sed non totaliter, quia tunc sensus est, quod taliter est tota anima sub una parte materiæ, quod simul & semel tota sit ab aliis partibus, nec sit tota ab una parte nisi quia tota est ab aliis, eo quod scilicet modum habeat informandi indivisibilem, ut supra exposuimus, nec possit unam informare partem quia simul & semel omnes informet; propterea quod ly organicum, cujus ipsa est essentialiter actus & forma, non exurgit nisi ex omnibus illis partibus.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De potentiis animæ, utrum potentiæ operativæ animæ realiter distinguantur ab anima.

PRamittendum primò, specificari potentias per actus & per objecta, adeo ut sumant distinctionem vel unitatem specificam ab unitate vel distinctione specifica actuum & objectorum. Pro quo notandum est potentias esse quoddam genus entis, nec purè absolutum, nec purè relativum, sed habere rationem absoluti cum aliquo respectu transcendentali ad alterum; cum enim tribuantur à natura in ordine ad alterum ad quod deserviunt, puta ad actum vel ad objectum attingendum inde fit quod non sint entia purè absoluta; quia vero naturæ deserviunt ad operandum, ideo nec etiam sunt entia purè relativa, sed sunt ex natura & ex essentia sua entia absoluta prout transcendentaliter respectiva. *Nota.*

Jam sic est, quod ens, quod ita est absolutum, ut sit etiam transcendentaliter respectivum ex essentia & essentiali sua ratione, non potest non specificari ab eo quod respicit; cum non possit aliter definiri quam per ordinem ad illud, alias non explicaret definitio id totum, quod importatur in essentia sivè essentiali ratione; ac proinde & per illud fiat talis speciei, cum per illud sit talis definitionis: ergo specificantur potentiæ per actus & objecta, proindeque & ab illis accipiunt unitatem aut distinctionem essentialem & specificam. Unde potentiæ omnes auditivæ dicuntur esse unius speciei, quia dicunt omnes ordinem ad eundem actum auditionis & sonum; differunt vero specificè à potentia visiva, quia dicit hæc ordinem ad actus & objecta specificè diversa à præfatis, puta ad actum visionis & ad visibile, quod est lux est color.

In quo genere causæ specificent potentias per actus & objecta.

Ad aliud autem quod inquiri solet in quo genere causæ habeant actus & objecta specificare potentias, respondeo quod illas specificant in genere causæ formalis extrinsecæ; cujus ratio est, quia cum specificativum qua tale rationem habeat causæ respectu specificati, ex eo scilicet quod facit specificatum qua tale à se dependens, hoc ipso quod actus & objecta non habent specificare potentias in genere causæ efficientis vel finalis, nec etiam in genere causæ formalis intrinsecæ, restat, quod illas specificent in genere causæ formalis extrinsecæ;

non enim habet hic locum materialis causa, utpote quæ non tam determinativa est & specificativa, quam determinabilis & specificabilis:

Sed sic est quod specificativum reduci nequit ad genus causæ efficientis vel finalis; cum specificatio sicut & definitio ab existentia abstrahant quia scilicet existentia nulli rei creatæ essentialis est, neque ad definitionem pertinet; causa vero efficiens solum respiciat rem sub existentia seu ut ponendam extra causas, & finalis similiter, ex eo quod habet solum movere efficiens ad agendum, in eodem consequenter ordine respiciat effectum, scilicet in ordine ad existendum: non ergo in alio genere causæ habent actus & objecta specificare potentias quam in genere causæ formalis: sed non habent nec possunt specificare in genere causæ formalis intrinsecæ, quia objectum est extra potentiã: restat igitur quod specificent in genere causæ formalis extrinsecæ: & hoc ideo, quia essentia potentiæ consistit in quadam proportione & coaptatione cum actu & objecto, adeoque merito tribuitur ratio formalis causæ ipsi actui & objecto comparativè ad potentiam.

Iam verò quantum ad resolutionem quæsiti tituli, an scilicet potentiæ operativæ animæ realiter distinguantur ab anima, jam resolutum fuit affirmativè in hoc tomo, in ea scilicet quæstione libri secundi, in qua conclusum fuit, efficientem causam non esse per seipsam, seu per substantiam suam immediatè operativam, sed solum per potentias sive per accidentia sibi realiter superaddita & ab ipsa realiter distincta; ex hac enim conclusione infertur evidenter, realiter distingui potentias operativas ab anima, cum sit anima efficiens causa in ordine ad suas operationes, & efficiens causa, ut relinquitur probatum in prafata quæstione non sit operativa per seipsam, seu per potentias cum ipsius substantia identificatas, sed ipsi potius superadditas, & ab ipsa realiter distinctas.

QUÆSTIUNCULA.

Quot sint genera potentiarum animæ & quodnam illorum subjectum.

RESpondeo primò, quinque esse genera potentiarum animæ, seu potentiarum vitalium, in varias deinde species divisibilias

ria; nempe vegetativum, sensitivum, intellectivum, appetitivum, & loco-motivum. Potentiæ namque, ut ex præmissis constat unitatem atque diversitatem essentialem accipiunt ex unitate & diversitate objectorum: ergo quot erunt genera objectorum, circa quæ versari debent potentiæ animæ, tot erunt admittenda potentiarum vitalium genera. Sed sic est, quod objectum potentiæ vitalis, quod quidem aliud non est, quam ens conjunctum viventi, vel realiter secundum suam entitatem physicam, vel intentionaliter per speciem representativam sui, tale, inquam, objectum est quintuplex ex genere suo: illud enim circa quod potentia vitalis seu animæ operatur, vel est alimentum intus susceptum ut convertibile aut in propriam substantiam, aut in substantiam alterius, mediante saltem, beneficio scilicet seminis; & adhoc ordinatur potentia vegetativa: vel est singulare sensibile prout tale, & ad hoc ordinatur potentia sensitiva: vel est ens universale ut intelligibile, & ad hoc instituta est potentia intellectiva: vel est bonum sub ratione boni, id est illud idem objectum sensibile aut intelligibile repræsentatum sub ratione convenientis, & pro hoc statuitur potentia appetitiva: vel tandem est bonum apprehensum & desideratum ut assequibile per motum localem, & ad hoc ponitur potentia loco motiva: ergo sicut sunt quinque genera objectorum potentiæ vitalis; quorum quidem primum est unitum viventi realiter secundum suam entitatem physicam, ut constat, alia vero intentionaliter & per species repræsentativas, quinque etiam admittenda sunt genera potentiarum animæ seu vitalium.

At sicut præfata objecta ulterius dividuntur in ulteriores species, ita similiter & potentiæ: nempe vegetativam in nutritivam, augmentativam, & generativam: sensitiva in sensus internos & externos: intellectiva in intellectum agentem & patibilem: appetitiva in appetitum sensitivum, & intellectivum qui dicitur voluntas: & tandem loco motiva in progressivam, volativam, &c. Neque ex eo quod sensus & intellectus sunt duo potentiarum genera, ita & appetitus sensitivus & intellectivus duo debent constituere genera facultatum: uterque namque appetitus fertur in singularia: non enim appetimus bonum in universali & in abstracto, sed hoc & illud in particulari; atque adeo uterque habet idem genus objecti, non autem sensus & intellectus, cum versetur sensus circa singularia & intellectus circa universalia.

Respondeo secundo, quod potentiæ animæ, quæ sunt organicæ immediate subjectantur in composito, & non in sola

anima; quæ verò quæ sunt inorganicæ, quæque sunt numero duæ, intellectus scilicet & voluntas, subjectantur in sola anima à qua dimanant. Cum enim potentiæ, hoc ipso quod organicæ suas eliciant operationes medio organo tanquam instrumento, non possunt consequenter suas elicere operationes separatæ ab organo: sed si subjectarentur in sola anima, possent separatæ & divisæ ab organo, suas elicere operationes, dum scilicet esset anima separata; alias essent potentiæ in hoc casu in anima, & non essent potentiæ, cum non possent operari: non ergo potentiæ organicæ subjectantur in sola anima, sed in ipso conjuncto, sive in toto composito.

E contra vero cum potentiæ dicantur non organicæ, per hoc quod independenter à materia & organo corporeo operantur, eæ per consequens in statu separationis perseverant in anima, atque in tali statu suas elicere possunt operationes, quod quidem verificari non posset, si in alio subjectarentur quam in anima.

QUÆSTIUNCULA

Qua ratione stare potest realis distinctio potentiarum verbi gratia, intellectus & voluntatis, cum distinctione solum rationis objectorum, puta veri, & boni.

Respondeo, rationem hujus fundari in eò quod objecta non habent esse causa distinctionis realis potentiarum, nisi in quantum sunt causa distinctionis actuum incompossibilium in eadem potentia; siquidem hoc ipso admitti debent potentiæ realiter distinctæ, ut scilicet receptivæ sint hujusmodi actuum ita incompossibilium in una & eadem potentia: sed sic est quod objecta solum ratione distincta, seu quod in idem redit, una realis & realiter objectiva entitas potest esse causa actuum ita ab invicem distinctorum, seu movere potest ad actus realiter distinctos & incompossibiles in una & eadem potentia, puta ad actum amandi, & actum intelligendi.

Cujus ratio est quia adhoc ut aliquid sit causa plurium realiter differentium, sufficit, quod tale quid sit plura non formaliter sed solum virtualiter: sicut enim ad hoc ut aliquid calefaciat, non propterea requiritur quod sit formaliter calidum, sed vir-

virtualiter solum; quod aliud nihil est, quam habere virtutem efficiendi calorem: ita adhoc ut aliquid causet plura, non propterea requiritur in eo formalis aliqua pluralitas, sed requiritur tantum quod sit in ea virtus, quæ sit causativa plurium; ita quod virtus hæc causativa ponatur in causa, quatenus scilicet est excedens & eminens, pluralitas vero formalis sit in effectibus: ergo rectè componitur, quod objecta non sint plura formaliter vel realiter, & quod ipsæ potentiæ quæ talia respiciunt objecta, adhuc realiter distinguantur; propterea quod distinguntur potentiæ per objecta, in quantum ipsa objecta movent ad actus incompossibiles in eadem potentiâ; & de facto ita eveniat, puta quod objecta solum ratione distincta moveant ad actus incompossibiles in eadem potentia, ut sunt intelligere & velle.

Quæres in quo consistat conceptus essentialis & differentialis vitæ seu actus vitalis.

Respondeo ex D. Thoma 1. *p. quæst.* 8. *art.* 1. quod cum ex iis quæ manifestè vivunt accipere oporteat quorum sit vivere, subindeque & conceptum differentialem vitæ; & animal, quod quidem manifestè vivit, tunc dicamus vivere, quando certam aliquam speciem motus ex se habet, ideo & in ea vita reponenda est & stabiliendus conceptus differentialis viventis, quod aliquid seipsum moveant: sic Aristoteles 8. Physic. 2. 2, moveri ex seipso vitale esse & animatorum proprium: unde dicendum est actum vitalem esse actionem seu motum illum, quem habet aliquid ex seipso, taliter quod illum à generante non deberet vi generationis recipere. Pro quo

Notabis res inanimatas nullam à principio sibi intrinseco posse acquirere perfectionem, præterea quam à generante vi generationis in ortu suo acceperunt, aut accipere debuerunt; ut contingit in lapide tendente ad centrum; aut in aqua, ubi se ad suum reducit frigus. Hæc enim à generante vi generationis suæ debet accipere qualitates omnes sibi connaturales, quale est frigus; item & debent res omnes à generante constitui proprio in centro, quare si quid obstiterit quominus non potuerint ista ab ortu accipere, vim saltem à generante accipiunt, unde vel proprias sibi qualitates, vel locum sibi proprium acquirant: sic aqua vim emanandi propri frigoris, & lapis gravitatem ab ortu recipit, unde sibi consentaneum statum obtineant, si forte extra illum constituantur. Quare actiones ejusmodi & motus tribui solent generanti ut quod ipsi autem vel lapidi vel aquæ tribuuntur solum ut quoniat è contra de viventibus.

Viventia enim per actionem suam & proprium motum eam acquirunt perfectionem quæ ipsis à generante vi generationis non debetur, unde & ad illam se ex seipsis movent: sic planta per nutritionem acquirit substantiam novam & ampliorem eâ quam in ortu suo accipere debuerat: sic animalia præter naturæ integritatem & locum proprium quem accipiunt vi generationis, præterea quoque eliciunt cognitionem & appetitionem alicujus boni, quod ipsis vi generationis non debebatur. Item sic habent motum localem, per quem ex imaginatione rei prosequendæ, quemcumque in locum agitentur; cum è contra motus naturalis elementorum, v. g. non sit ex cognitione, determineturque ad locum unum: sic denique viventia intellectualia se se ab intrinseco perficiunt, aguntque per novas cognitiones & appetitiones rationales, vi generationis indebitas.

Restat igitur, in eo consistere conceptum essentialem vitæ seu viventis, quod se ex seipso moveat, ita quod id ad quod se movet, & consequenter motus & actio tribui non debeant generanti, ex eo scilicet quod sint vi generationis indebita, sed sint omnino ab intrinseco.

DE ANIMA VEGETATIVA.

Præmittuntur faciliora.

De quidditate seu definitione animæ vegetativæ.

Præmittendum primo, pro declaratione naturæ & quidditatis animæ vegetativæ, quod anima vegetativa, si in ratione essentiæ seu in ordine entitativo consideretur, definiri debet actus primus corporis organici potentia vitam vegetativam habentis, seu cui vitam solum vegetativam confert, in quo differt à sensitivâ quæ tribuit illi esse sensitivum, & ab anima rationali, quæ tribuit esse intellectivum: si vero spectetur in ratione naturæ & in ordine operativo definiri debet præfata anima principium radicale nutritionis, augmentationis & generationis quæ tamen definitio intelligi debet in sensu distributivo accommodo, ita ut sensus sit animam vegetativam esse principium nutriendi & augendi in omnibus viventibus, sive per-

perfectis sive imperfectis; esse vero principium generandi sibi simile, in his quæ generant, puta in viventibus non omnino imperfectis, seu quæ non semper ex putri materia fiunt. Quia vero & eas operationes vegetativas negabant Stoici esse vitales, & ipsam formam vegetativam esse propriè animam, seu propriè viventem idcò

Præmittendum secundò vegetativam animam esse verè viventem formam, seu veram habere rationem animæ. Etenim forma vegetativa est verè actus corporis organici: sic enim in plantis lignum, cortex, radix, fibræ, aliæque hujusmodi partes, sunt de se heterogeneæ, constituuntque corpus organicum. Item nutriuntur per intus susceptionem alimenti, quod variis modis præparatum in earum substantiam tandem convertitur; unde & sequitur augmentatio in omnem extensionem. *De ejusdem vita.*

Quod quidem ignis, v. g. non convenit: non enim dicitur nutriri & augeri nisi per juxta positionem, nec generat modo viventium proprio, nimirum per aliquam propriæ substantiæ communicationem, ut cernitur in viventibus. Unde & sacra scriptura de rebus vegetabilibus loquens 1. *ad Cor. cap.* 8. illis tribuit rationem vitæ. Dicit enim: *Quod seminas, non vivificatur nisi prius moriatur.*

Præmittendum tertiò, quod animæ vegetativæ triplex istud est præcipuum ac proprium facultatum seu potentiarum genus, quarum prima est nutritiva, secunda augmentativa in omnem dimensionem, ex nutritione & transmutatione alimenti: tertia denique est generativa, per communicationem propriæ substantiæ: hic enim est proprius rerum viventium generandi modus, notandumque est, ad istas facultates seu potentias accedere alias innumerabiles quasi administras, cujusmodi sunt facultates attractivæ, retentivæ, expulsivæ rerum tum inutilium, tum noxiarum &c. *De ejusdem facultatibus seu potentiis.*

Utuntur autem hujusmodi facultates temperamento primarum qualitatum, ac præcipuè calore tanquam instrumento ad suas operationes obeundas: ab illis tamen distingui realiter, docet communis philosophorum sententia; cum sint præfatæ facultates potentiæ vitales, ut dictum fuit, per se primo dimanantes ab anima vegetativa: calor vero & sic de aliis primis qualitatibus secundum suam rationem specificam non sit potentia vitalis, nec dimanet ab anima vegetativa ut tali, sed ab ea in quantum est forma corporea.

Præmittendum quartò, dupliciter considerari posse nutritionem & augmentationem, nempe vel in ratione actionis, vel *De distinctio-*

Nutritionis ab augmentatione.

in ratione mutationis, atque tam ut mutationes quam ut actiones realiter ab invicem distingui. Nutritio namque in ratione mutationis nihil aliud est, quam mutatio materiæ alimenti de fua forma, aut de privatione formæ aliti ad esse hujus formæ; sive ex tali materia educatur pars formæ viventis quod nutritur, sive præexistens forma extendatur ad novam illam materiam informandam, quod contingit in iis, quorum animæ non sunt formaliter extensæ & divisibiles, sed tantum virtualiter: in ratione vero actionis nihil aliud est nutritio quam alteratio ultimo dispositiva materiæ alimenti ad formam aliti; eo enim modo proportionaliter philosophandum est de aggeneratione seu partiali generatione, qualis est nutritio, ac de generatione, quæ quidem in ratione actionis non est actio distincta à prævia alteratione prout ultimo dispositiva ad formam geniti.

Augmentatio vero in ratione mutationis est motus à minori ad majorem quantitatem: in ratione autem actionis est idem motus prout emanans à principio seu facultate augmentativa, cujus quidem actio non terminatur solum ad præviam dispositionem per se primo ordine executionis, sicut actio nutritiva sed ad partem ipsam quantitatis quæ acquiritur; utpote quæ conditiones habet requisitas ut per se terminet motum & actionem.

Ex his autem colligitur, distingui realiter ab invicem nutritionem & augmentationem, tum ut mutationes sunt, tum ut sunt actiones; cum utroque modo sumptæ terminos habeant primarios realiter distinctos: nutritio siquidem in quantum actio primario ordine executionis terminatur ad præviam dispositionem; & in quantum mutatio ad formam aliti ut ad terminum *quo*, & ad ipsum suppositum alitum reduplicativè ut tale sicut ad terminum *qui* augmentatio vero & in quantum actio & in quantum mutatio per se primo terminatur ad quantitatem ut ad terminum *quo*, & ad suppositum prout auctum ut ad terminum *qui*. His autem præmissis, tanquam certis, jam pro eorum resolutione quæ de anima vegetativa circa nutritionem & augmentationem disputari solent sit.

QUÆSTIUNCULA I.

Utrum nutritio & augmentatio sint motus continui & successivi.

RESPONDEO, quod nutritio & augmentatio sunt motus continui, & successivi, seu divisibiliter & per partes continuari, non

non autem discreti , nec instantanei ; cujus ratio est, quia duo sunt quæ concurrunt ad nutritionem & augmentationem, puta materia sive quantitas alimenti , circa quam prout convertendam in materiam aut quantitatem aliti exercentur nutritio & augmentatio ; & ipsa qualitas dispositiva ad hanc conversionem : ergo hoc ipso quod requiritur continuitas & successio ex parte qualitatis in præfatis motibus, & non obstat ex parte materiæ aut quantitatis, dicendi sunt motus illi esse continui & successivi ; sed sic est, quod ex parte qualitatis dispositivæ ad nutritionem & augmentationem requiritur & exigitur continuitas & successio in illis, & ex parte materiæ seu quantitatis non obstat : ergo nutritio & augmentatio dici debent motus continui & successivi. *Probatur subsumptum*, & quidem primo quoad primam partem : exigitur ex parte præfatæ qualitatis dispositivæ successio & continuitas, si in materiam nutritionis & augmentationis diffunditur hæc qualitas uniformiter difformiter : sed diffunditur hæc qualitas uniformiter difformiter in materiam nutritionis & augmentationis : ergo ex parte præfatæ qualitatis dispositivæ requiritur in nutritionis & augmentationis motu successio & continuitas. *Major* est evidens ; cum dicatur hæc qualitas diffundi uniformiter difformiter per hoc quod non afficiat æqualiter & secundum se totam, totam materiam , sed si partem unam ultimo disponat & afficiat, partem alteram magis afficiat & disponat, & alteram minus, ex quo evidenter sequitur successio & continuitas in introductione formæ sive in aggeneratione. *Probatur Minor* : qualitas non diffunditur ab agente per hoc quod eadem numero transeat de subjecto uno ad aliud, sed per multiplicationem producitur ab una parte in partem immediatam : sed quælibet pars medii in quo multiplicatur qualitas, imperfectiori modo producit qualitatem ; cum quælibet pars medii imperfectiori modo qualitatem recipiat, quam sit in subjecto proprio, alias posset subjectum proprium producere quantum est ex se qualitatem suam ad omnem distantiam : ergo diffunditur qualitas per hoc quod quanto magis à primo agente elongatur, imperfectiori modo producitur , quod est diffundi uniformiter difformiter.

Iam vero, quod huic continuitati & successioni, quæ exigitur ex parte qualitatis dispositivæ ad augmentationem & nutritionem , non obstet materia sive quantitas circa quas exerceri debet nutritio & augmentatio, ut dictum fuit in altera parte præfatæ propositionis subsumptæ, probatur sic : ideo in prima generatione obstat quantitas continuitati & successioni generationis, quia

quia à principio generationis requiritur tota aliqua & determinata quantitas, in quam introducatur forma: sed in nutritione vel augmentatione non requiritur tota aliqua & determinata materia sive quantitas respectu alimenti convertendi: ergo non obstat præfata quantitas sive materia alimenti continuitati motus nutritionis & augmentationis. *Probatur Minor*: ideo in generatione requiritur tota aliqua & determinata quantitas & materia in quam simul inducatur forma, quia sine ea haberi non potest requisita quantitas ad consistentiam viventis, tam quoad organa, quibus operari potest, quam quoad debitam mensuram ultra minimum in quo esse non potest: sed sic est quod in nutritione & augmentatione supponitur vivens habere jam quantitatem requisitam ad suam consistentiam, ut per se patet: ergo in nutritione vel augmentatione non requiritur tota aliqua & determinata quantitas alimenti tota simul convertenda, ac proinde nec obstat continuitati & successioni nutritionis & augmentationis ipsa quantitas alimenti convertibilis.

Dices primò, Nutritio est motus sive mutatio ad substantiam: sed impossibile est quod motus ad substantiam sit successivus & continuus: ergo nec potest nutritionis motus esse continuus & successivus. *Probatur Minor*: substantia fit & incipit per primum sui esse: ita quod verum sit dicere: nunc est substantia & immediate antea non erat: sed si fieret substantia per motum successivum & continuum, non posset incipere per primum sui esse: ergo non potest motus ad substantiam esse continuus & successivus. *Major* est certa; cum enim fiat substantia procedendo de privatione ad formam, quæ quidem privatio simul tota & in instanti relinquitur, consequenter fit, quod in inceptione substantiæ verum sit dicere: nunc est substantia, cum pro tali tunc non sit privatio. *Probatur Minor*: si fieret substantia per motum continuum & successivum, inciperet esse quando inciperet esse motus: sed motus continuus & successivus non potest incipere per primum sui esse seu per instans intrinsecum; cum illud nunc inceptivum motus successivi sit indivisibile, & in indivisibili dari non possit successio, nec consequenter esse seu existentia successivi: ergo si fieret substantia per motum successivum & continuum, non posset incipere per primum sui esse.

Respondeo Negando Minorem; ad cujus probationem distinguo majorem: substantia fit & incipit per primum sui esse; quando primò fit & in prima sui generatione Concedo; fit & incipit per primum sui esse, quando partialiter fit & in sui aggeneratione, Nego; ratio autem disparitatis est, quia quando

primo

primo & totalis generatur substantia, prodit simpliciter & absolutè à privatione ad formam, in qua quidem privatione ita absolutè sumpta esse non potest latitudo, ratione cujus transire possit substantia per motum divisibilem à non esse ad esse; & ideo sicut tota simul & indivisibiliter desinit privatio, ita & tota simul & indivisibiliter primo acquiritur substantia; & ita in tali nunc inceptivo substantiæ verum est dicere: nunc est substantia, & immediatè antea non erat: *Nam*

At verò quando deinde per nutritionem aggeneratur substantia, & partialiter acquiritur, tunc non fit absolutè à privatione formæ, sed à privatione prout tantâ & in tanta materia, & in tali parte; ac proinde cum privatio ita sumpta modum induat divisibilitatis, susciptaque latitudinem, consequenter fit quod in aggeneratione seu partiali acquisitione substantiæ possit, immò & debeat fieri transitus successivus à privatione ad formam, & per consequens quod incipere possit partialis illa substantia ad instar motus continui & successivi. Addo quod substantia in prima sui generatione ideo indivisibiliter acquiritur, quia acquiritur per modum totius, & ut unum & totum quoddam est determinatum, ultra & infra quod esse & stare non potest: sed sic est, quod in aggeneratione seu nutritione acquiritur, non ut totum quoddam determinatum, sed ut pars, & quidem taliter, ut in minori esse & stare possit; cum jam supponatur ex prima generatione, quod ad nutriti consistentiam requiritur: ergo potest substantia in sui aggeneratione seu partiali acquisitione acquiri successivè & divisibiliter, & consequenter potest non incipere per primum sui esse seu in instanti intrinseco, sed per ultimum sui non esse, ad instar motus; adeo ut verum sit dicere: in illo instanti inceptivo: nunc non est substantia vivens, seu forma viventis in alimento, & immediatè post erit.

Instabis: Si in aliquo instanti verum esset dicere: nunc non est forma viventis in alimento & immediate post erit, etiam verum esset dicere in tali instanti; nunc non est ultima dispositio, & immediatè post erit: sed hoc dici non potest de dispositione: ergo nec potest illud dici de forma. *Major* est certa, cum ultima dispositio comitetur inseparabiliter formam. *Probatur Minor*, dispositio hæc ultima vel est indivisibilis vel divisibilis; sed nec de illa ut divisibili, nec ut indivisibili, verificari potest, quod pro aliquo instanti non sit, & quod immediate post erit: ergo de hac ultima dispositione verificari nequit tale dictum. *Probatur Minor*, & primo quidem de dispositione indivisibili:

si immediate post instans poneretur dispositio indivisibilis, daretur duratio indivisibilis post instans : sed dari non potest duratio indivisibilis post instans : alias darentur duo instantia sibi immediatè succedentia : ergo nec immediatè post instans poni potest hæc dispositio, si sit indivisibilis. Quod autem nec poni possit immediate post instans, si sit divisibilis, probatur sic. Non ponitur dispositio ultima, nisi ponatur tota & completa ; sed si sit divisibilis , poni non potest tota & completa immediate post , cum hoc ipso quod divisibilis est , prius immediatè post incipiat poni medietas illius quam tota : ergo nec de præfata dispositione ut divisibili, verificari potest, quod in aliquo instanti non sit & quod immediatè post erit.

Respondeo Negando Minorem ; ad cujus probationem nego minorem, præsertim quoad secundam partem ; licet enim supponatur, & [meo judicio] supponenda sit ultima illa dispositio indivisibilis ; propterea quod est ipsa terminus reliquarum partium dispositionis, & terminus est indivisibile quid , hoc ipso quod talis ; nihilominus adhuc de tali dispositione ultima & indivisibili verificari potest, quod in aliquo instanti non sit , & quod immediate post erit. Unde ad probationem quæ affertur in contrarium distinguo majorem sic : si immediate post instans poneretur dispositio indivisibilis , daretur duratio indivisibilis post instans, si poneretur dispositio indivisibilis modo indivisibili, Concedo : si poneretur dispositio indivisibilis divisibili modo Nego, & concessâ minori nego consequentiam.

Sensus autem solutionis est, quod quia in aggeneratione seu partiali acquisitione substantiæ, in qua acquiritur substantia non ut totum quoddam determinatum, sed ut pars & prout subest partiali quantitati , introducitur dispositio in parte incerta & prius in parte minori quam majori, ideo ex parte talis quantitatis divisibili modo introducitur illa dispositio ultima & indivisibilis ; ac proinde non propterea sequitur quod illud immediatum in quo erit & quod sequitur ad instans in quo non est , sit duratio aliqua indivisibilis, cum mensuret & mensurare debeat modum acquirendi præfatam dispositionem divisibiliter, ut dictum fuit.

Vrgebis : Par est ratio de diminutione & augmentatione quoad continuitatem motus : sed ex Aristotele 8. *Physic. textu* 23. diminutio non continuè fit : ergo idem similiter dicendum de augmentatione.

Respondeo ad minorem , negare dumtaxat Philosophum fieri diminutionem continuè continuitate regulari, non autem nega-

negare continuitatem quæ opponitur instantaneæ mutationi ; hoc enim non deserviebat ad ejus intentum, sed primum, propterea quod ibi intendebat, nullum motum esse continuum, id est perpetuum nisi localem & circularem, ad quod sufficit, quod augmentatio aut diminutio non sit perpetua, sed irregularitatem admittat, in suo motu, atque sæpe interrumpatur propter indispositionem subjecti aut defectum alimenti.

Unde in responsione ad quæsitum dictum fuit, esse augmentationem & nutritionem mutationes continuas & successivas, prout ly successivum seu continuum opponitur instantaneo, sive unico instanti sit instantaneum, sive discretis ; ut hinc subintelligeretur non esse mutationes continuas, si ly continuum dicat regularem proportionem, ita ut si augeatur tantum in tanto tempore, in medietate ejus augeatur dimidium, & in quarta parte temporis quartum. Nutritio namque & augmentatio admittunt irregularitatem & consequenter aliquid discontinuationis, propter scilicet dependentiam quam habet nutritio à dispositione alimenti, quæ non semper est æqualis, & à virtute subjecti, quod quandoque infirmatur, nec est semper in eadem dispositione.

QUÆSTIUNCULA II.

Vtrum nutritio & augmentatio durent toto tempore vitæ.

RESpondeo primò, Quantum ad nutritionem, quod quamvis non ita duret nutritio toto vitæ tempore, ut etiam pro aliquo brevi tempore interrumpi non possit, ita tamen durat toto vitæ tempore, ut per totam vitam indigeat animal alimento, & nutritione ; adeo ut pro nullo vitæ statu ponatur naturaliter loquendo terminus huic indigentiæ ; cujus ratio est, quia quæ probat ratio, indigere aliquando animal seu vivens conversione alimenti per nutritionem, probat hæc eadem ratio indigere etiam quamdiu vivit : sed omnino manifestum est aliquando indigere vivens nutritione seu alimenti conversione in substantiam aliti : ergo dicendum est esse in tali indigentia per totam vitam. *Probatur Major* : ideo aliquando indiget animal conversione alimenti, quia humidum quod est pars una tem-

temperamenti viventis depascitur & consumitur per acrimoniam caloris, qui est alia temperamenti pars, proindeque reparari & instaurari debet per novi alimenti conversionem : sed sic est quod toto vitæ tempore aliquid deperditur & depascitur de tali humido per calorem consumentem : ergo & toto vitæ tempore indiget animal conversione novi & extrinseci alimenti pro reparatione & instauratione intrinseci deperditi.

Respondeo secundò, Quoad augmentum, quod non durat nec durare debet toto vitæ tempore ; cujus ratio est, quia augmentum ex eo provenit, quod plus acquiritur quam deperditur ; sed falsum est, quod pro toto vitæ tempore plus acquiratur quam deperdatur : ergo & falsum est, quod pro toto vitæ tempore duret augmentum. *Probatur Minor*, quod acquiritur de alimento extraneo & quod deperditur de proprio, acquiritur & deperditur per calorem ; sed non potest calor per totum vitæ tempus plus de extraneo convertere, quam deperdere de proprio : ergo falsum est quod pro toto vitæ tempore plus acquiratur quam deperdatur. *Probatur Minor*, calor hoc ipso quod semel est deficiens, non potest plus, immò nec tantum convertere de alimento extraneo quantum deperditur de proprio ; tum quia non debet posse facere ut deficiens hoc idem quod facit dum adhuc viget ; tum quia in proprium & intrinsecum alimentum facilius agit quam in extraneum, utpote quod plures habet qualitates vincendas : sed sic est quod calor naturalis est aliquando deficiens, ob continuam reactionem, qua alimentum ipsum in calorem agit, & ratione cujus illum tandem minuit & debilitat : ergo naturalis ille calor, ratione cujus acquiritur de alimento extraneo, & de proprio deperditur, non potest per totum vitæ tempus plus de extraneo convertere, quam deperdere de proprio.

Dices : Ideo igitur non durat augmentum per totum vitæ tempus, quia calor ad quem reducitur augmentum est aliquando deficiens : sed falsum est quod ad calorem reducatur augmentum ; cum in juvene calor sit fortior ad decoquendum alimentum quam in infante, & tamen magis augeatur infans, quam juvenis : ergo non propterea dici debet, non durare augmentum per totum vitæ tempus.

Respondeo, Distinguendo Minorem : sed falsum est, quod ad calorem reducatur augmentum, loquendo de calore quasi adventitio Concedo : loquendo de calore vitali & animali Nego. Unde ad id quod affertur in probationem dico, esse quidem in juvene magis de calore quam in infante, loquendo de

calore

calore quasi generico vel adventitio, tum quia nova materia addita, additur viventi novus calor, adeoque cum plus accipiatur à juvene de alimento quam ab infante, etiam plus ei advenit de calore; tum quia plures in juvene sunt partes susipientes calorem quam in infante; nihilominus quia perfectio vitalitatis non consistit in quocumque calore cujus signum est, quod si nimium exterescat calor ille adventitius, potius interit animal, ideò fit, quod non propterea sit in juvene magis de calore illo, qui facit ad augmentum vitale; quin immo est multo major calor ille vitalis in infante, tum quia est purior in infante, eo quod habeat minus de admixtione contrarii, seu contrariarum qualitatum quas imprimit humidum extraneum, quod acquiritur; tum quia in juvene magis, ac magis debilitatur calor ille continuâ reactione alimenti.

Dices secundò, augetur animal hoc ipso quod facilius convertit de alimento extraneo, quam perdat de propria substantia: sed fieri potest, quod adepto augmenti termino, adhuc possit facilius convertere de alimento extraneo, quam perdere de propria substantia; si nimirum tali adepto termino sustentetur cibo facilis digestionis: ergo non ita assignari potest augmenti terminus, quin adhuc possit animal ultro augeri, quod est augeri posse per totum vitæ tempus.

Respondeo negando minorem; cibus enim quantumcumque delicatus aut facilis digestionis, semper tamen est impurior ipso humido radicali & innito; unde quia calor vitalis utpote in tali termino per continuam reactionem debilitatus, difficilius convertit & decoquit alimentum magis dissimile & magis crassum, facilius autem consumit humidum proprium & partes suas; sunt enim respectu caloris naturalis, seu proprii consumptivi facilioris evaporationis, consequenter fit, quod quamvis possit animal per totum vitæ tempus sustentari cibo, qui facilis sit digestionis, non propterea per totum vitæ tempus augeri possit, seu facilius convertere de alimento quam perdere de propria substantia, & magis convertere de humido nutrimentali & adventitio, quam consumere de radicali.

Dices tertiò, quod aliquando cessante statu & ætate augmenti adhuc pinguescit animal: sed hoc pertinet ad augmentum; cum tunc crescat in latera: ergo potest aliquando durare augmentum toto tempore vitæ.

Respondeo negando minorem: augmentum enim illud in sola pinguedine vel in carne, etiam si diffundatur in latera, non est augmentum simpliciter, seu quoad omnes partes animalis,

sed solum secundum quid, & quoad aliquam partem, scilicet quoad carnem vel humorem; unde dicendum est, non augeri animal simpliciter loquendo, de quo quidem augmento loquimur in præsenti, nisi quando crescit secundum longitudinem, quia tunc nedum caro, sed ossa & partes omnes solidiores fiunt majoris quantitatis.

Quares, quomodo & qua ratione maneat vivens idem numero toto tempore nutritionis & augmenti.

Respondeo rationem hujus esse, quia quamvis per nutritionem & augmentum aliquid continuè deperdatur, & aliud superadditur, id tamen quod superadditur, continuatur cum præexistente; & rursum cum aliud superadditur, hoc idem continuatur cum illo, cum semper aliquid de ipso toto maneat cum parte superveniente: atqui ex hac continuatione aut continuitate servatur & verificatur unitas numerica totius; cum ex hoc verificetur variari solum & deperdi partes sumptas materialiter, non autem formales aut formaliter sumptas, ex eo scilicet quod sub eadem continuatione, subindeque sub eadem dispositione quoad figuram, temperamentum, &c. ordinantur partes eodem modo ad componendum ipsum totum, non quidem unitate indivisibilitatis, quæ illi non debetur, sed continuationis: ergo ex hac ratione sufficienter habetur, manere idem numero vivens toto tempore nutritionis & augmenti.

DE ANIMA SENSITIVA.

Præmittuntur faciliora.

De variis facultatibus animæ sensitivæ.

PRæmittendum primò, animam sensitivam, quæ quidem in ordine entitativo definiri solet actus primus corporis physici organici potentia vitam sensitivam habentis & in ordine operativo principium radicale unde habet animal vim sentiendi, triplex sibi vindicare operationem ac facultatum genus. Primò enim est cognoscitiva rerum materialium: tum secundo est appetitiva rei sensibilis ex prævia hujusmodi cognitione; ac denique est loco-motiva, aut motu progressionis, aut saltem

tem constrictionis & dilationis. Porro sensus, ex quo denominatur anima sensitiva, eo quod inter cæteras ipsius facultates primum locum tenet, quique definiri solet facultas animæ sensitivæ propria, per quam objecta materialia materiali modo cognoscuntur, dividitur in internos, eo quod in cerebro quasi diliteſcant, de quibus infra, & in externos, qui nimirum in externis corporis partibus residunt, quique vulgo numerantur quinque, nempe visus, auditus, gustus, odoratus & tactus; neque enim plures aut pauciores reperire est in animali; neque etiam plura sunt aut pauciora objecta sensibilia propria, circa quæ versentur quam objectum visibile, tum audibile, odorabile, gustabile & tactile. Cæterū adeò & taliter perficitur animal, per istos sensus, ut animalia illa dicantur imperfecta, quæ his sensibus universis non sunt prædita: ut vermes: nam visu, & auditu & olfactu carent; cum è contra vulgo censeantur perfecta animalia, quæ illorum omnium usum habent.

Notandum tamen sensus istos in diversis animalibus etiam perfectis esse diversæ perfectionis accidentalis, propter inæqualitatem quam habent in temperamento primarum qualitatum; sicque ut vulgò ajunt, nos aper auditu, linx visu, simia gustu, vultur odoratu, præcedit aranea tactu. Quanquam cum aristotele mihi persuadeo facilè, homini præstantissimum inesse tactum & gustum inter cætera animalia; cum acrius sentiat, minusque ferre possit excessum caloris aut frigoris, aut divisionem continui. Item ex sensu tactus judicantur homines ingenioſi & prudentes; nam qui duras habent carnes, inquit aristoteles sunt obtuso ingenio; qui autem molles, non quidem mollitie aquea & fœminea, sed aerea sunt ingenioſi; quia temperamentum illud valde confert ad operationes mentis.

Præmittendum secundò, circa objectum externorum sensuum in communi, quod objectum sensus exterai est, & definitur sensibile singulare, localiter præsens in debitâ distantiâ. Dicitur autem sensibile singulare, quia solus intellectus potest percipere sensibilia universalia, puta colorem ut sic; non vero sensus, qui cum sit facultas materialis non est consequenter capax nisi specierum repræsentantium materialiter, quales sunt species singularium, utpote quæ hoc ipso quod repræsentatur ut talia, repræsentari debent cum suis conditionibus materialibus, unde est illud Boëtii, quod intellectus est universalium, sensus autem est singularium. Additur verò, localiter præsens, in quo differt sensibile externum ab interno, quod potest esse absens; nam phantasia verbi gratia, objecta sensibilia percipit etiam

De objecto sensuum exterorum in communi.

am absentia; atque per hoc etiam denotatur objectum sensus debère esse localiter extensum, cum habeat immutare potentiam organicam, quæ est extensa: & defectu hujus conditionis corpus Christi in Eucharistia non potest percipi.

Additur denique, in debita distantia, quia cum sensibile comparetur aliquo modo ad sensum, sicut agens ad passum cui speciem immittit, debet ei esse sufficienter approximatum. Dividitur autem sensibile externum in sensibile proprium, & sensibile commune: sensibile proprium est illud, quod per se primo & ab uno duntaxat sensu externo percipitur, ut color à visu, sonus ab auditu, unde & illud est quintuplex, sicut quinque sunt sensus externi. Sensibile verò commune est illud, quod per se secundo & à pluribus sensibus externis percipi potest; & istud etiam est quintuplex; nempe motus, quies, numerus, figura, quantitas, seu magnitudo. Dicitur autem percipi, non quidem per se primò, cum non specificent sensus, sed tamen per se secundo, quatenus objectum proprium & per se primo specificativum non potest percipi sine illis.

De sensibili proprio & communi.

Ex quo sequitur, sensibile commune non imprimere sensui propriam speciem condistinctam à specie sensibilis proprii, alias per se primo respiceretur ab illo, sicut per se primo in tali specie repræsentaretur, & sic fieret objectum specificativum; modificare tamen præfatam speciem sensibilis proprii, cum enim non possit sensibile proprium percipi, nisi ut affectum seu modificatum per sensibile commune, puta color per quantitatem aut magnitudinem, debet consequenter species illa sensibilis proprii ita esse modificata, ut per se primo repræsentet illud, & per se secundo sensibile commune tanquam conditionem & modum sine quo sensibile proprium nequeat attingi; proindeque cum quidquid in specie relucet imprimatur ab objecto, sensibile proprium producet eam secundum suam rationem primariam, sensibile verò commune solum quoad modum aliquem, ratione cujus ipsum repræsentet.

De sensibili vehementi, & immediate conjuncto.

Præmittendum tertiò, qualitatem objecti sensibilis movantem sensum externum, debere esse temperatam; alioquin ut monet Aristoteles *sensibile vehemens ladit sensum*, impeditque illius actionem. Ita nimia lux solis disgregat visum, exsiccat retinam, porosque resolvit, unde spiritus ad visionem necessarii diffluant. Sic ajunt Xenophontis milites, dum nimis diu per nives incederent, penè omnes inde fuisse excæcatos.

Quomodo verò hujusmodi vehemens sensibile lædat sensu; an scilicet per se & in quantum sensibile est, seu agens intentio-

na-

nale, producendo in hujusmodi sensu aliquam speciem improportionatam, excellentiorem & vehementiorem, quam connaturaliter recipere postulet; an vero per accidens & in quantum agens naturale, producendo in organo qualitatem aliquam naturalem noxiam, quæ destruat illius debitum temperamentum, subindeque ipsum organum per se corrumpat, & per accidens ad destructionem subjecti corrumpat facultatem sensitivam ipsi inhærentem: respondeo non primo sed secundo modo lædere; cum enim species excellens non sit contraria facultati sensitivæ, non potest consequenter potentia sensitiva per se & directe lædi à specie excellentiori, sed tantum indirecte ad læsionem ipsius organi, quæ scilicet fit per qualitatem aliquam naturalem ipsi disproportionatam, quam simul cum specie imprimit tanquam agens naturale, qualis est nimius ille calor qui in oculo producitur per radios solares, cum directe respiciuntur, exsiccatque humorem oculi & spiritus visuales dissipat.

Notabis denique circa sensus externos in communi sumptos, eos non posse percipere objectum sensibile sibi immediatè conjunctum, sed ut circa illud sensationem eliciat, necessarium esse aliquod medium vel externum; quale est aër aut aqua vel quid simile, quod mediat inter visum, auditum, olfactum & objecta ipsorum; vel internum, quale est cutis aut caro, quæ mediat inter tactum & gustum, qui subjectantur in nervo sub cute aut carne posito, & propria ipsorum sensibilia. Ratio autem hujus est, quia sensus non potest percipere sensibile, nisi per speciem proportionatam ab ipso receptam: à sensibili autem immediate conjuncto vel non recipit ullam speciem, vel illa est nimis materialis & improportionata, sicut & ipsum objectum in se est nimis crassum & materiale: proindeque debet intercedere aliquod medium in quo species suam deponat crassitiem, quam habet, cum primum effluit ab objecto.

De organo subjecto potentiæ visivæ.

Præmittendum quarto, Pro declaratione eorum, quæ pertinent ad sensum videndi, quod oculus qui est potentiæ visivæ organum constituitur variis ex tunicis; tum variis ex humoribus, quibus accedunt plures musculi; ac duo tandem nervi qui optici seu optici nominantur per quos deferuntur & spiritus animales ad visionem necessarii à cerebro, & species receptæ ad sensum communem. In quo autem ex illis subjectetur potentia visiva tanquam in subjecto, respondeo subjectari in pupilla seu humore crystallino, ac in nervis opticis usque ad conjunctionem illorum; & quidem primo quod subjectetur potentia visiva in humore crystallino, ex eo patet, quod illa est præcipua oculorum

pars ad quam ordinantur tum omnes alii humores, tum omnes tunicæ ; & præterea humor ille est diaphanus omnique colore destitutus, sicque aptus ad recipiendas omnium colorum species, si enim aliquem in se haberet actu, non posset alios recipere, quia intus existens prohiberet extraneum.

Quod autem non solus ille humor, sed unâ cum nervis opticis usque ad eorum conjunctionem subjectum sit potentiæ visivæ, ex eo colligitur, quod si in solo duplici crystallino humore disjuncto subjectaretur potentia visiva, illa esset duplex realiter disjuncta in quolibet animali, cum haberet duplex subjectum ; quod tamen admitti non debet, cum unica sufficiat ad omnes colores percipiendos.

De objecto visus, ubi de lumine & colore.

Præmittendum quinto, Quod proprium visus objectum est tum lumen tum color : pro quorum declaratione notandum primò contra nonnullos recentiores, lumen non esse tantum præsentiam lucidi ; tum quia ex sacra Scriptura primis creationis diebus existebat lux sine lucido ; item in puncto reflexionis & in ipso corpore reflectente majus est lumen cum majori activitate, nec tamen ibi est major præsentia lucidi : similiter supponendum est, lumen non esse substantiam, neque spiritualem, quia sub nostros sensus cadit, neque corpoream, seu corpus aut corpuscula ; quia dum lumen per crystallum trajicitur, tunc diceretur fieri naturalis corporum penetratio.

Item lumen à lucido per totum medium, etiam ad magnam distantiam propagatur in instanti ; proindeque sic diceretur corpus moveri localiter in instanti, quod fieri non potest. Unde dicendum est lumen esse tantum accidens seu qualitatem quamdam, hanc habentem proprietatem essentialem, ut sit actus seu forma, per quam corpus, quod de se potest esse actu perspicuum seu diaphanum, efficitur actu perspicuum : pro cujus intelligentia supponendum est illud corpus dici perspicuum seu Diaphanum aut transparens, per quod transmitti possunt ad oculum species objectorum visibilium : cujusmodi est aër, aqua, vitrum &c. Vocanturque etiam illa corpora perspicua & interminata, quatenus de se visum non sistunt, seu non terminant. At munus illud fungi actu nequeunt, donec perfundantur lumine ut patet experientia. Quam ob causam lumen ab Aristotele 2. *de Anim. cap. 7.* definitur actus perspicui interminati quatenus perspicuum est, seu quatenus per lumen redditur formaliter & actu perspicuum, id est perlucidum aut transparens : hæc enim sunt varia ejusdem rei nomina.

Jam vero quantum ad colorem, definitur ab Aristotele id quod

mover actu diaphanum, seu qualitas motiva diaphani: vel ut clarius loquar: est qualitas diffusiva sui per diaphanum, ubi jam beneficio luminis, est actu diaphanum. Quanquam *lib. de sensu & sensibili* ab Aristotele sic præterea definitur: color est terminus seu extremitas corporis perspicui definiti & terminati. Hic autem perspicuum sumitur pro re conspicua, seu quæ visu percipi potest. Item dicitur corpus illud perspicuum, definitum ac terminatum, quatenus propter convenientem opacitatem, non patitur, visum quasi ulterius rendere, sed potius illum sistit terminatque. Nam ob contrariam rationem diaphanum appellatur interminatum, ac indefinitum, ut supra monuimus: porro hic color non sumitur absolutè, sed tantum respectivè ad visum, seu quatenus à nobis aspectabilis. Quia licet absolutè in tota substantia corporis imbibatur, utpote qui oritur maximè ex mixtione primarum qualitatum, cujus signum est, quod mutato illarum qualitatum temperamento, mutari soleat: nihilominus per se nō est visibilis nisi prout est in superficie, qua de causa dicitur & definitur ab Aristotele extremitas &c.

Præmittendum sextò, quod auditus qui est facultas perceptiva soni suum habet organum in aure, quæ quidem duas habet partes: prima est externa, quæ auricula nuncupatur: conflata maxime ex cartilagine striatâ & excavata. Secunda est interna, quæ ex quadruplici meatu, tum ex quibusdam osticulis & membranis constat. Primus auris internæ meatus ille est, per quem primò fit transitus ad percipiendum sonum, semperque est patens: item est tortuosus ac flexuosus, ne aër externus confestim irruens damnum inferat. Deinde sequitur secundus meatus magis interior, qui ab Aristotele vocatur cochlea, & ab aliis pelvis; continetur que in eo aër, quem innatum vel implantatum appellant; quia ibi ab ortu incluſus manet. Tertius meatus vocatur labyrinthus, quia multis quasi cuniculis furtim agitur. Quartus denique est foramen cæcum. *De organo auditus*

Notabis autem ad finem primi meatus occurrere membranam sensus exquisitissimi, quam Tympanum vocant, quia instar bellici tympani cujusdam extenditur; tum quia ad illam appellit sonus externus, qui postea transmittitur ad sequentes meatus. Membrana autem illa seu tympanum firmatur & continetur tribus osticulis inter se alligatis & complicatis, ex quibus primum nuncupatur malleus: secundum vocatur incus, & tertium stapes, quod triangulare est. Nec tamen primum vocatur malleus, quasi incudem veluti tundat, nam illa ossa immobilia sunt, sed hanc appellationem acceperunt tantum ex recentiorum arbitrio.

Item præter tympanum, ad intimam auris partem, adest & alia membrana omnium siccissima, quæ nervis auditoriis copulatur; in qua quidem tanquam in subjecto ponunt recentiores potentiam auditivam, cum alia, inquiunt, pars auris commodior illi assignari nequeat: siquidem & propinquitas nervi auditorii fidem hujus rei certiorem videtur facere, tum etiam quia in eâ terminatur species soni. Unde, inquiunt, quod insinuet Aristoteles fieri auditionem in aëre innato, vel in tympano; explicandus est de auditione inchoativè & dispositivè sumpta, non autem formaliter.

De objecto auditus nisi de sono tum reali tum intentionali.

Præmittendum septimò, circa proprium auditus objectum, quod aliud non est quam sonus, quod sonus ille non est aër, aëris ve motus aut aliqua alia substantia: si enim diceretur esse aër, non posset explicari quomodo in ea subiret loca, quæ aëri aut aëris motui sunt impervia. Vt quando in fundo aquæ vel in cubiculo perfectè clauso auditur sonus extra editus. Neque etiam sonus est quantitas aut aliud accidens quam qualitas, de earum genere quæ dicuntur passiones seu passibiles qualitates: ea enim quæ dicuntur de sono possunt tantum cadere in hujusmodi qualitatem; nempe quod concurrat ad auditionem, quod recipiat magis & minus: unde

Dicendum est quod sonus est qualitas orta ex subdita corporis alicujus fluidi fractione, qualis solet contingere in subita ac vehementi corporum allisione ad invicem, cum fractione aëris intercepti: in sono namque edendo hæc omninò deprehendi solent, nec possunt alia assignari principia soni productiva: ex quo fit quod lana, spongia, aliaque similia corpora non sint sonora, eo quod habeant plures poros, quibus aër compressus diffluat, nec proinde frangi commode possit ad efficiendum sonum. Notabis verò, sufficere ad generationem soni si subito frangatur aër, citra omnem corporum solidorum allisionem ad invicem. Ita enim agitata per aërem virga aut aëre in fistulis attrito fit sonus.

Quantum autem ad subjectum soni, illud est corpus, v. g. aër, ex cujus fractione producitur: nam in eo producitur de facto, tum inde quoquoversus diffunditur. Unde quæ audiuntur non propterea vocantur sonantia corpora, quia sonum in se recipiant, sed potius quia illum reddunt. Non est tamen solus aër medium per quod sonus diffunditur. Nam & urinatores sub ipsa aqua audiunt motum piscium, ipsique pisces afficiuntur sono extra aquam edito; unde & piscatores silentium commendant. Effunditur autem sonus quoquoversum in sphæram,

eo

eo per proportionem modo, quo circuli jactu lapidis in aqua è centro ad omnem loci differentiam continuatâ serie producuntur. Nam omni ex parte audiri solet. Item sonus ille, qui dicitur realis statim ubi existit, profundit ex se speciem sui quam vocant sonum intentionalem. Ille etenim realis sonus non posset aut transire de subjecto in subjectum, aut per motum localem aëris, cui inhæret, tam citò deferri ad loca remotissima ex quibus percipitur. Item auditur iis ex locis ad quæ pervadere nequit motus aëris, puta ex fundo aquæ; ex cubiculo perfectè clauso nec illi aëri pervio. Unde necesse est admitti sonum intentionalem, cujus beneficio præstentur illa.

Huc adde, non posse nisi intentionalem sonum tendere ad organum auditus, penetrando Tympanum, quod aëri externo non est permeabile. Dicendum tamen sonum realem ad aliquam saltem medii partem deferri per motum aëris cui inhærer. Experimur enim quod flante vento, longius ad eadem partes propagatur sonus, reflante autem minus auditur; quod quidem certissimum indicium est illum pendere à motu aëris, & cum ipso saltem ad aliquam medii partem deferri ultro citroque.

Præmittendum octavò. Circa odoratum, quod organum seu subjectum proprium illius, sunt processus mammillares, id est duos globulos carneos, qui sunt in nariibus, mammillarum extremitatibus similes, simul cum duobus nervis quibus continuantur & conjunguntur modo supra explicato de nervis visui deservientibus: qui nervi similiter in sensum communem desinunt. Odor autem qui est illius objectum, est qualitas secunda resultans ex certo temperamento primarum, utpote quo variato, variatur odor, & in quo siccum prædominatur humido. *De odoratu, gustu & tactu.*

Neque obstat, quod in vino, melle, aqua rosacea sit odor, & tamen in eis prædominetur humiditas: ad hoc enim respondetur, quod in hujusmodi corporibus odoriferis sunt quædam partes subtiliores & fumidæ, & in iis prædominatur siccitas, ac subjectatur odor: aliæ verò crassiores, in quibus prædominatur humiditas, residetque sapor, qui ex hujusmodi humiditatis prædominio oritur. Quod si in cibis aridis & siccis reperiatur sapor, ideo est quia in iis sunt aliquæ partes humidiores, vel quia humectantur per salivam, quæ dicitur condimentum saporum: porrò organum gustus cujus ipse sapor est objectum, non est caro ipsa linguæ, sed nervus aliquis à cerebro descendens sub carne per totam linguam ramificatus. Ratio autem hujus est, quia hujusmodi organum debet esse siccius ut possit percipere humiditatem in cujus prædominio fundatur sapor: caro autem

cum sit compositionis aëreæ, est humidior, nervus vero ille siccior, quia est naturæ terreæ, nec parti ipat humiditatem à cerebro, sicut nervi mammillares, quia longius distat ab illo. Medium vero gustus internum est, nempe ipla caro linguæ, quâ nervus gustatorius tegitur, cum experiamur, non posse sapidum gustu percipi, nisi secundum esse naturale linguam contingat, quod certissimo indicio est, medium deferens speciès ad sensorium gustus non posse esse aliud quam carnem linguæ.

Tandem organum tactus est nervus quidam sub carne per totum corpus diffusus in modum retis: caro autem est ipsum medium per quod species qualitatum tangibilium deferuntur ad hujusmodi sensorium, Cujus ratio est quia sensorium tactus debet esse valde attemperatum, seu parum activum, subindeque terreum, ut qualitates activas & tangibiles possit percipere: Nervus autem ille est naturæ terreæ & craſſæ, cum tamen caro sit naturæ aëreæ & spongiosæ; proindeque debet nervus ille esse organum, caro autem medium dumtaxat deferens species. Hujus vero sensus objectum sunt quatuor primæ qualitates. & nonnullæ aliæ, ut molle, durum, asperum, rarum densum & hujusmodi: quia hæ omnes per se & ratione sui, tactu percipiuntur & discernuntur.

De sensuum externorum deceptione.

Præmittendum ultimò. Quod licet in sensu externo per se non sit deceptio etiam apprehensiva circa sensibile proprium; bene tamen circa sensibile commune: tota namque deceptionis causa inde nascitur, quod unum lateat & alterum appareat; unde & circa oricalchum contingere solet deceptio, quia apprehenditur id quod apparet, puta color auri, & non manifestatur id quod latet, puta substantia seu natura oricalchi: sed sic est quod ex propria ratione sensibilis communis accidere potest quod in attingentia illius appareat unum, & alterum lateat; hoc autem ex propria ratione objecti seu sensibilis proprii non potest accidere: ergo circa sensibile proprium non potest per se loquendo contingere deceptio. bene quidem circa sensibile commune. *Probatur Minor:* id quod per alterum sentitur potest ex se & per se loquendo latere, altero apparente: sed sic est quod de propria ratione sensibilis communis est sentiri per alterum, seu immutare sensum, non quidem immediate, sed mediante alio, puta sensibili proprio, è contra vero de sensibili proprio: ergo ex propria ratione sensibilis communis accidere potest, quod in attingentia illius appareat unum, & alterum lateat; non autem est hoc de propria ratione sensibilis proprii, proindeque circa objectum seu sensibile proprium non potest per se loquendo

decipi sensus; ita quod visus, v.g. decipi non possit apprehensivè circa colorem, si nimirum sit debitè propositus, & medium vel organum non sit indispositum: nam tunc non per se sed ex illo accidente decipi potest, sicut si medium sit affectum colore viridi, omnia apprehenduntur ut viridia; & similiter si lingua, quæ est organum gustus infecta sit humore aliquo amaro, omnia tunc sapiunt amarè. His autem præmissis, jam pro quorumdam resolutione, quæ circa sensus controverti solent apud Philosophos sit.

QUÆSTIUNCULA I.

Utrum indigeant sensus speciebus intentionalibus seu impressis ad eliciendas sensationes.

Respondeo. Indigere sensus pro suis eliciendis cognitionibus, speciebus intentionalibus seu impressis, quæ quidem dicuntur species intentionales, quia cum vox illa, intentio, idem etiam significet, ac notio seu cognitio, illæ consequenter species seu imagines, quæ conducunt & pertinent ad cognitionem, meritò appellantur intentionales.

Ratio autem hujus est quia omnis notitia, sive sit potentiæ sensitivæ sive intellectivæ est vitalis quidam partus potentiæ determinatus circa hoc objectum: sed seclusâ præfatâ specie intentionali impressæ ab objecto ipsi potentiæ, exire nequit à potentia vitalis ille partus ita determinatus circa hoc objectum: ergo indigent sensus præfatis speciebus intentionalibus ad suas eliciendas cognitiones. *Probatur Minor:* objectum non potest esse intra potentiam seclusâ præfatâ specie intentionali; sed partus ille ita determinatus & vitalis exire non valet à potentia, nisi ut in se & intra se habente hoc objectum: ergo seclusâ præfatâ specie exire nequit à potentia vitalis ille partus ita determinatus circa hoc objectum. *Major* per se patet; cum objectum secundum suam realitatem & entitatem sit semper extra potentiam, cujus est objectum. *Probatur Minor:* non potest partus ille ita determinatus & vitalis exire à potentia, nisi sit potentia determinata ad hunc emittendum vitaliter: sed non est, nec esse potest potentia determinata ad hunc pariendum partum circa hoc objectum, nisi ut sumpta cum objecto, cum ex

se sit indifferens, neque est potest determinata ad hunc emittendum partum vitaliter nisi ut sumpta cum objecto ut intra ipsam habito; cum partus ille exire non possit vitaliter ab objecto, prout istud est extra potentiam: ergo partus ille ita determinatus & vitalis exire non potest à potentia, nisi ut in se & intra se habente hoc objectum, subindeque & mediante specie intentionali impressa ab objecto; cujus scilicet beneficio constituatur objectum intra potentiam.

Dices primò, Species illæ intentionales ideo requiruntur ut necessariæ, ut scilicet per eas uniatur objectum ipsi potentiæ, proindeque ut gerant intra potentiam vices objecti: sed inintelligibile est, posse gerere species illas vices objecti: ergo frustra requiruntur hujusmodi species. *Probatur Minor*: non possunt species illæ vices gerere objectorum, quin sint similitudines & imagines objectorum: sed inintelligibile est, esse præfatas species imagines & similitudines objectorum; alias fundaretur ratio dissimilitudinis in disconvenientia, cum disconveniant species & objectum in entitate; ergo inintelligibile est gerere posse species illas vices objectorum.

Respondeo Negando Minorem, ad cujus probationem nego similiter minorem; vel claritatis gratia distinguo sic: sed inintelligibile est, species illas ut pote disconvenientes in entitate, esse similitudines objectorum, loquendo de similitudine intra ordinem naturalem Concedo: loquendo de similitudine intra ordinem intentionalem, de quo loquimur in præsenti Nego: similitudo namque naturalis & in ordine naturali, qualis est v. g. inter duo individua, cum fundetur in hoc quod similia sint ejusdem seu similis naturæ, non potest consequenter inter ea reperiri, quæ in natura disconveniunt, qualiter disconveniunt species & objectum. At similitudo intentionalis & in ordine intentionali acrepræsentativo, cum in hoc sita sit quod unum quid sit repræsentativè solum, quod alterum est physicè & naturaliter, tantum abest, quod reperiri non possit inter ea quæ disconveniunt in natura, quin immò impossibile est reperiri nisi inter ea quæ sunt alterius & alterius naturæ, cum id quod est solum repræsentativè & intentionaliter id, quod aliud est naturaliter & physicè, non possit non esse alterius naturæ ab illo. Est igitur species illa quamvis alterius naturæ ab objecto, ipsa etiam formalis similitudo objecti, quatenus totum quod invenitur realiter & physicè in objecto transfertur ad essendum repræsentativè in specie, ut dicere solemus de imagine & idea respectu sui repræsentati. Neque propterea fund-

fundatur similitudo illa in disconvenientia naturarum, quamvis talem requirat disconvenientiam ut fundetur, sed potius fundatur in eo quod emittitur species representativa ab objecto representato, & quidem naturaliter, ut illud repræsentet, ex hoc enim sequitur, esse debere id quod emittitur similitudinem objecti emittentis, ut videre est in experimento celebri de speciebus visibilibus. Sit enim conclave quoddam ita dispositum, ut lumini aditus nullus pateat, nisi per foramen exiguum: tum intus objiciatur charta alba, in debita distantia.

His positis, quæcumque foris sunt, propriis depicta coloribus conspicientur in charta, nihilque ab objecto discrepabit imago, nisi magnitudine & situ. Est enim inversus, quandoquidem inferiores objecti partes secundum lineam rectam depinguntur in superioribus chartæ partibus: superiores vero in inferioribus; sicque omnes veluti radii ab objecti singulis punctis emissi decussantur ad foramen per quod subeunt intra conclave. Notandumque est picturam illam fore longè tersiorem & vivaciorem, si lentem vitream foramini adhibueris. *Nota.*

Dices secundò, vel illæ species ponuntur in potentia ut res cognitæ, vel ut formæ informantes: sed neutrum dici potest: ergo nec dici potest tales intra potentiam requiri species. *Probatur minor*, & primò quidem quod non sint intra potentiam tanquam res cognitæ. Species illæ requiruntur ad hoc ut cognoscatur objectum: ergo se habent species illæ præcisè ut id *quo* res cognoscitur: sed si essent intra potentiam tanquam res cognitæ, essent id *quod* cognoscitur, non autem id *quo* cognoscitur res: ergo non se habent species illæ in potentia tanquam res cognita. Quod autem nec se habeant ut formæ informantes probatur sic. Positio speciei intra potentiam facit quod cognoscatur objectum: sed positio speciei ad modum formæ informantis, non facit quod cognoscantur objectum; cum species illæ conserventur in memoria ad modum formæ informantis, nec tamen propterea actu cognoscamus objectum: ergo nec dici potest esse præfatas species intra potentiam ad modum formæ informantis.

Respondeo negando minorem quoad secundam partem: sunt enim præfatæ species in potentia ad modum formæ informantis; non quidem informantis entitativè solum, sed intentionaliter. Pro quo notandum est, quod species inter omnes alias formas hoc habet speciale, quod non solum informat pro se, & ut inhæreat, ut faciunt reliquæ formæ accidentales, sed etiam vicè alterius scilicet objecti; siquidem ab ipso objecto pendet specifica-

cificatio & determinatio actus, qui oritur à potentia prout informata & fæcundata tali specie. Unde sicut calor verbi gratia, aliter & majus quid operatur quando operatur vice ignis vel animæ, quam quando solum operatur præcisè ut calor est; ita & potest species habendo se ad modum formæ informantis intentionaliter & vice objecti facere quod emittat potentia actum determinatum cognitionis circa hoc objectum, quamvis illud præstare nequeat, dum solum informat physicè & prosè & ut inhæreat, ad instar reliquorum accidentium.

Unde ad id quod affertur in contrarium, puta quod species illæ conservantur in memoria ad modum formæ informantis, absque eo quod cognoscamus objectum, ad hoc, inquam, respondetur, conservari tunc species ad modum solum reliquorum accidentium, sive ut informantes entitativè solum & inhærenter, non tamen intentionaliter & vice objecti, seu per modum repræsentantis & continentis objectum, à qua quidem ut tali actuari debet ipsa potentia ut emittat actum cognitionis determinatum circa hoc objectum, ut supra notavimus.

Dices tertiò, si essent hujusmodi species intentionales requisitæ, deberent illæ & educi ex suo subjecto, cum accidentales sint & inhærentes, & effici ab objecto, cum ab eo emitti debeant: sed nec educi possunt à subjecto, cum earum esse intentionale sit & representativum; neque etiam effici possunt ab objecto, cum species utpote minus materialis quam objectum, seu ut abstractius quid & minus concretum, sit etiam nobilius quid ipso objecto: non ergo dabiles sunt, nec consequenter requisitæ præfatæ illæ species.

Respondeo negando minorem quoad utramque partem. Et quidem primo quantum ad subjectum eductionis, cum taliter habeant species illæ esse intentionale & repræsentativum, quod tale esse sit identicè & materialiter idem cum earundem esse entitativo, naturali & accidentali, siquidem non dicuntur habere esse intentionale, quasi cum esse reali & accidentali habeant & aliud esse quod intentionale sit & repræsentativum, sed quia hoc idem esse quod accidentale est & physicum, vim habet repræsentandi, & transfertur ad repræsentandum, ideo fit quod præfatæ illæ species intentionales educi debeant à subjecto cui inhærent, sive sit potentia cognoscens, sive medium per quod transeunt, adeo ut inde educantur ubi inhærent, non obstante præfato esse intentionali, ut potè quod in re accidentale est, sicut etiam formæ artificiales, quia in re accidentales sunt, à subjecto naturali educuntur, quamvis

vis non naturaliter, sed modo artificioso.

Quantum verò ad earum causam efficientem, probat quidem præfata ratio non posse hujusmodi species ab objecto effici secundum se, & seorsim sumpto ab omni influentia superioris causæ, non tamen probat, non posse præfata objecta ita emittere intentionales species cum subordinatione ad influentiam cælestem; unde dicendum est efficere objectum præfatas species, prout participans influxum & virtutem cælorum, dummodo tamen influentiæ istæ non sint dependentes à motu cæli sicut generationes & corruptiones; quia ut inquit S. Thomas, cessante motu cæli erit adhuc actio in istis inferioribus illuminationis & immutationis medii à sensibus & consequenter sensuum per objecta, licet non amplius fit actio per quam transmutatur materia; quam sequitur generatio & corruptio.

Colliges omnino requiri species intentionales ad eliciendas sensationes, & quidem nedum quoad externos sensus, sed etiam quantum ad internos; tum propter generalem rationem omnium cognoscentium, quia scilicet actuari & determinati debent ab objectis modo intentionali & cognoscibili, tum specialiter, quia cognoscunt in absentia objectorum, & sic requirunt suppleri objectum per subrogationem speciei.

Neque propterea sequitur, quod si species conservatur in absentia, perpetuo repræsentet in actu; non, inquam, id sequitur, eo quod scilicet licet semper præbeant effectum formalem entitativum, existendi scilicet inhærenter in potentia, non tamen præbent intentionalem, nisi quando actu applicatur & excitatur potentia erga tale objectum, eo quod intentionalis informatio est conjuncta cum vitali concursu potentiæ ad actum determinatum eliciendum erga tale objectum, à quo mediante specie prout non pro se solum, sed vice illius informante, actuatur & determinatur potentia.

QUÆSTIUNCULA II.

Vtrum sensus externi forment idolum seu speciem expressam, ut cognoscant.

Respondeo, negativè, cujus quidem negati rationem propono sic. Cognitio sensuum externorum est experientia quædam seu cognitio experimentalis de objecto; tunc enim maxime experimur & dicimur experiri aliquid, quando sensu ex-

exteriori tangimus; sed si sensus externi formarent & exprimerent speciem seu imaginem aliquam in qua objectum cognoscerent, non haberent cognitionem experimentalem de objecto: ergo non formant nec exprimunt sensus externi speciem aliquam ad quam earum terminetur cognitio, sed terminatur earum cognitio ad res ipsas prout extra sunt. *Probatur Minor*, cognitio experimentalis debet esse per se certa seu certificata de suo objecto: sed si sensus externi cognoscerent objectum in specie seu imagine aliqua quam formarent, non essent per se certi seu certificati de objecto cognito, sed alia potius indigerent cognitione ad hanc habendam certitudinem: ergo si talem formarent & exprimerent sensus externi speciem & imaginem, non esset earum cognitio experimentalis. *Major* est certa; experientia namque seu cognitio experimentalis est ratio & causa quare omnes aliæ nostræ cognitiones sint certæ, in quo differimus ab angelis, qui cum non habeant sensus accipiunt certitudinem suarum cognitionum ex infusione superioris causæ illis dantis & infundentis species; nos vero è contra cum simus sensu præditi, medio quo res experimentaliter tangimus, & ex quo ortum habet omnis nostra cognitio, ideo & omnis nostrarum cognitionum certitudo reducitur ad certitudinem experimentalis illius cognitionis, quâ scilicet non datur in nobis cognitio certior; proindeque debet illa experimentalis cognitio esse certa, per se, cum per id solum quòd est per se tale cætera fiant talia. *Probatur Minor*, cognitio quæ sit de re aliqua in sua imagine esse non potest certa, nisi certa sit quod talis imago est de facto rei ut est in se: sed cognosci non potest quod imago sit de facto talis rei ut est in se, nisi per aliam cognitionem attingatur res illa in seipsa: ergo si cognoscerent sensus externi objecta sua in imagine quam exprimerent & formarent, alia indigerent cognitione ut essent certi & certificati de objecto cognito, proindeque non esset eorum cognitio per se certa, nec consequenter experimentalis cognitio.

Dices primò, inintelligibilis est vera actio sine termino; sed sensatio seu cognitio elicita à sensibus externis est vera actio; alias si esset tantum qualitas, alia indigeret actione quæ produceretur: ergo cognitio illa à sensibus externis elicita habere debet aliquem terminum, qui quidem non alius videtur esse posse, quam idolum quoddam, & quædam imago quam formet & ad quam terminetur.

Respondeo distinguendo majorem: inintelligibilis est vera actio sine termino, vel objecto, vel producto Concedo: sine ter-

termino producto, subdistinguo : si sermo sit de actione transeunte Concedo: si sermo sit, ut est in præsenti, de actione immanente Nego, actio namque transiens ideo dari non potest sine termino quem producat, quia est essentialiter propter terminum, proindeque se habet solum ut fieri & ut causalitas termini producendi : sed sic est quod actio immanens non se habet essentialiter & per se primo tanquam fieri ipsius termini, sed ut perfectio & actus ultimus ipsius agentis: unde & est ultima perfectio & quæritur propter se, siquidem quæritur ut constituat cognoscentem vel intelligentem in actu secundo quæ est summa, & ultima cognoscentis perfectio:

Non ergo sequitur quod debeat actio immanens, qualis est omnis cognitio, habere terminum productum & immutatum, quamvis habere debeat terminum aliquem, sed qui ipsi objiciatur & ad quem terminetur, non autem qui per eam de necessitate immutetur. Neque ex eo quod actio illa immanens sit qualitas, alia propterea indiget actione ut eliciatur, siquidem cum hoc quod est qualitas, & ita immanens, adhuc tamen est virtualiter transiens, cum ex ratione generica immanentiæ non impediatur, quo minus adhuc esse possit productiva termini; unde quia esse non posset productio termini, si seipsa non emanaret per simplicem emanationem sicut actio transiens, ideo fit quod non alia propterea indigeat actione qua eliciatur, sed ipsa per simplicem emanationem emanet à potentia.

Dices secundò, non potest terminus cognitionis esse intra potentiam cognoscentem nisi per speciem & imaginem aliquam, quam formet de cognito; cum cognitum secundum entitatem & realitatem suam supponatur esse extra potentiam; sed omnis cognitionis terminus videtur petere ex natura sua esse intra potentiam cognoscentem, cum terminus videatur petere ex natura sua esse cum eo & prope id quod terminat, & omnis cognitio utpote immanens sit solum intra potentiam cognoscentem: ergo de ratione cognitionis sensuum videtur esse, quod imaginem formet & exprimant ad quam terminetur cognitio.

Respondeo, negando minorem : non enim petit cognitionis terminus esse intra potentiam cognoscentem, nisi quando ibi redditur & reddi debet formatus & proportionatus in ratione termini cogniti, eo quod extra potentiam non habeat sufficientem immaterialitatem ad terminandum cognitionem; & ideo quia objectum cognitionis intellectivæ non habet esse sufficienter proportionatum & formatum ut terminet nisi per lu-

cem quandam spiritualem per quam illustratur, & lux illa extra intellectum non diffunditur, propterea fit quod debeat objectum intellectus quod scilicet elicitur ex phantasmatibus exprimi intelligibiliter in verbo mentis seu in imagine quadam intra intellectum expressa, ad hoc ut terminet intellectionem: sed sic est quod obiectum sensuum externorum habet in se & ut est extra potentiam sufficientem proportionem, adhoc ut terminet eorum cognitionem: lux enim quæ reddit objectum sufficienter proportionatum & sufficienter visibile, ad terminandam visionem in actu est externa & extra oculum; neque intra oculum potest magis proportionari ab ipsa luce, imo multo minus, eo quod id quod ponitur intra potentiam non manet habile ut sentiatur sensatione externa, utpote quæ non sentit id quod est intra se, sed extra propter nimiam materialitatem talis cognitionis, quæ quidem in tali cognitione reperitur summa: non ergo requiritur, formari & exprimi speciem aliquam quæ talem terminet cognitionem sensuum externorum.

Neque id probat quod additum fuit in probationem minoris negatæ; quin immo ex eo formari potest argumentum in contrarium. Siquidem terminus non habet esse prope vel simul cum eo quod terminat, nisi juxta illius exigentiam & conditionem, ut patet in termino relationis distantiæ, qui quidem petit esse alibi quam ubi est relatio, quia scilicet ea est conditio & exigentia talis relationis: sed sic est, quod actus sensitivus sensuum externorum talis est naturæ & conditionis, quod terminari petat ad objectum prout est extra sensum, cum sit actus experimentalis, & consequenter attingere debens rem in seipsa: non ergo ex ratione terminationis orti potest, quod debeat præfatus terminus esse ut talis intra potentiam.

QUÆSTIUNCULA III.

An & quot sint sensus interni, & qualiter distinguantur.

Respondeo primò, præter exteriores sensus admitti quoque debere internos, qui scilicet intra ipsam cerebri substantiam sint constituti, ut probat ipsa experientia & ratio. Primò enim tam bruta quam homines, ligatis sensibus externis, res varias

rias sibi repræsentant, ut nobis quidem contingit inter somniandum. Ac ne illud tribuatur intellectui, idem observare est in brutis animantibus, siquidem ipsos canes videmus latrare, etiam ubi dormiunt, & usu externorum sensuum carent; quod necesse est oriri ex incurrente rei alicujus intus apprehensæ objecto.

Respondebis, in eo casu solutum remanere aliquem ex sensibus, cum certum sit, non omnes semper ligari in somno. Verum adresolutoriam responsionem confirmandam accedit, quod ab ipsis cognoscantur objecta quædam etiam absentia & præterita. Nam eam solum ob causam equus & canis ad consuetum locum revertuntur; ideoque canis redire pertimescit aliquando, eo quod ibi inflictas sibi esse plagas meminerit. Cum autem sensus externus non possit percipere nisi objecta præsentia, necesse est ut hæc oriantur ab aliquo interno. Item brutæ animantes cognitione attingunt res etiam insensatas, id est quæ speciem sui externis sensibus ingerere, aut ab iis attingi nequeunt: ut quando ovis cognoscit seu æstimat canem tanquam sibi amicum, lupum vero tanquam sibi infestum. Quamobrem necesse est ut facultatem aliam ab externis sensibus habeant, qua possint ferri in objecta ejusmodi; & hanc contendimus aliquem esse sensum internum.

Respondeo secundo, quatuor numerari solere sensus internos: ac primo quidem est *sensus communis* sic dictus, quia omnium externorum sensuum objecta & sensationes percipit, omnium tanquam communis arbiter, simul apprehendendo, discernendo & veluti annotando quæ actu & de præsenti geruntur in singulis. Quia vero præter apprehensionem sensibilium singulorum ut præsentium, experimur quoque & eorum species tum in nobis tum in brutis animantibus retineri, quarum quidem specierum beneficio percipiantur objecta etiam absentia, immo & præterita, ideo adstrui solet & alius internus sensus quem *phantasiam*, seu *imaginatricem* appellant; cujus etiam munus est, multa agere distincta componendo, & conjuncta dividendo, ut dum ex speciebus montis & auri format montem aureum. Tertio his accedit facultas quam vocant *æstimativam*, per quam objectum vel ut conveniens vel ut disconveniens apprehenditur; ut quando ovis apprehendit lupum tanquam sibi inimicum, ac proinde fertur talis facultas in objecta insensata, ut loquuntur, id est per sensus externos non sensata. Quarto denique admitti debet & *memoria sensitiva*, quæ rerum cognitarum species conservet, ut iterum possint objici cognitioni. Qua ra-

tione videmus eadem & equum res diversas recordari.

Respondeo tertiò, quatuor hujusmodi facultates esse inter se specie ac realiter distinctas: cum enim potentiæ desumant suam unitatem aut distinctionem specificam ab actibus & objectis, illæ consequenter realiter & essentialiter distinguuntur, quæ habent diversos formaliter actus & objecta: sed sic est quod quatuor prædicti sensus habent singuli diversos actus & diversa objecta: nam inprimis sensus communis habet per se primo percipere sensibilia externa, secundum quod sensibus exterioribus hic & nunc actu objiciuntur, & solum quoad rationes, quæ ab hujusmodi sensibus percipiuntur, quatenus inter illa discernit: phantasia vero seu imaginatio per se primo percipit hujusmodi objecta secundum rationes à sensibus externis perceptas, sed prout abstrahunt à præsentia vel absentia: æstimativa autem habet per se primò considerare hujusmodi sensibilia secundum rationes speciales à sensibus aliis non perceptas; idque actualiter quando hujusmodi sensibilia sunt præsentia sensibus externis; memoria denique sensitiva percipit hujusmodi objecta prout à præsentia vel absentia abstrahunt, quoad illas rationes insensatas: ergo debent prædicti sensus essentialiter atque realiter distingui.

DE ANIMA RATIONALI.

Præmittuntur faciliora.

De spiritualitate animæ rationalis.

PRæmittendum primò, animam rationalem, quæ ita dicitur, quia principium est rationis, cujusmodi est in homine, esse spiritualem & incorpoream. Etenim necesse est, ut ea sit anima spiritualis seu incorporea, quæ habet facultates & operationes spirituales; neque enim modus operandi seu effectus potest esse perfectior modo essendi, aut sua causa: sed sic est quod anima rationalis habet operationes ac proinde facultates spirituales: ergo debet anima rationalis esse spiritualis. *Probatur Minor*, tum ex parte intellectus, tum ex parte volunta-

luntatis. Primò enim intellectus est potentia universalis ad omne ens tam materiale quam spiritua e, sive creatum sive increatum; siquidem versatur circa Angelos, ipsumque Deum. Res multas cognoscit per abstractionem à materia & à sensibus, varii generis scientias & omnia naturæ arcana subtilissimè discurrendo prosequens. Item discernit corporea ab incorporeis, sese etiam ad suas operationes reflectendo &c. Quod certe fieri non potest à potentia, quæ determinata est ad certa objectorum genera, tantumque attingit materialia: similiter spiritualis est & immaterialis ex parte voluntatis. Voluntas enim in homine imperat appetitui sensitivo, ipsoque corpore tanquam instrumento utitur pro libito varios in fines; proindeque debet esse altioris ordinis ad facultates omnes corporeas, ac proinde supereste ut dicatur spiritualis. Item sibi ipsi imperat, ita ut positis omnibus ad agendum prærequisitis possit agere aut non agere, tum si lubet agere frequenter contraria, aut omnem actum suspendere; nec potest cogi vel necessitari per se directè ab ulla creatura. Quæ quidem convenire non possunt nisi agenti spirituali; nam corporea omnia, ut patet, sunt ex se determinata ad unum, possuntque per se & directè vim pati à causis extrinsecis creatis.

Præmittendum secundò, esse animam rationalem immortalem. Quæ enim substantia est spiritualis, ea ex natura sua est incorruptibilis seu immortalis, propterea quod substantia spiritualis est independens à materia & per se subsistens, proindeque destructo corpore est semper superstes. Et vero neque ex defectu subjecti potest corrumpi anima spiritualis, quia independens est à subjecto ut sustentante: neque à forma contraria, quia substantia non est per se contraria substantiæ; Neque ex defectu principii conservantis, siquidem ut à solo Deo producitur, sic à solo Deo conservatur, qui rebus creatis pro uniuscujusque exigentia, præbet concursum conservativum: cum ergo anima spiritualis, qualis est rationalis ex natura sua sit incorruptibilis, ut ostensum est, præbet illi Deus perpetuum concursum conservativum; restatque ut solum pro absoluta ipsius Dei voluntate sit annihilabilis. *De ejusdem immortalitate.*

Huc accedit, quod homo finem ultimum sibi consentaneum non assequeretur, nisi anima rationalis foret immortalis. Etenim finis ultimus hominis, seu bonum ipsius supremum ac beatitudo præsentis vitæ bonis non continetur. Neque enim ullus dum hic vivit, perfectam rerum cognitionem, aut ea bona consequitur, quorum possessione perfectè beatus esse possit: supereste

ergo ut anima sit corpori superstes, bonisque alterius vitæ perfruendo, facilitatem sibi propriam obtineat. Item cum videamus plerumque impios florere bonis omnibus, probos autem calamitatibus opprimi; nisi in alteram vitam sua cuique servaretur merces, sequeretur mundi hujus res agi sine ulla providentia, quæ pro meritis bonos compenset, malos autem afficiat pœnis; quare necessarium cum Dei provisoris existentia connexionem habet animæ rationalis immortalitas.

De intellectu ejusque objecto.

Præmittendum tertiò, quod cum anima rationalis ex genere suo sit naturæ perfectissimæ; necesse est consequenter ut facultates habeat ex genere suo perfectissimas. Unde habet imprimis *intellectum*, qui est potentia cognoscitiva ad omne verum universalem, seu ens ut sic aut ens quodlibet tanquam objectum potest attingere: quin immò & reflectit se supra suas operationes, quod est proprium agentis immaterialis. Item ut loquitur Aristoteles, intellectus noster est universalium; eo quod de se naturas universales, puta hominem ut sic, non repræsentatis ejus contrahentibus differentiis, sibi repræsentet. Quanquam hoc non impedit, quo minus etiam sit singularium, cum judicet de rebus singularibus, & de iis discurrat; ita tamen ut ea non nisi indirectè attingat, in quantum cognoscendo directè naturam humanam ut sic, v. g. indirectè & per quamdam veluti reflexionem, seu ut loquitur Cajetanus; arguitivè cognoscimus singularia à quibus fuit abstracta, cujus ratio est quia species intelligibiles quas habemus pro hoc mortali statu repræsentant solum naturas universales materiales, relictis conditionibus materialibus; cum hujusmodi species producantur per abstractionem à phantasmatibus, quæ quidem abstractio consistit in hoc, quod intellectus agens concurrente instrumentaliter phantasmate, seu specie sensibili Petri, v. g. producat speciem intelligibilem repræsentantem solam naturam, non repræsentatis conditionibus individualibus.

De intellectu, tum agente, tum possibili

Hinc duplex in nobis distinguitur intellectus, agens scilicet & possibilis seu patibilis. Cujus ratio est quia cum intellectus patibilis, qui quidem supponitur dari in nobis, cum sit illa potentia spiritualis cognoscitiva seu receptiva specierum intelligibilium, non habeat ex se species intelligibiles, sed sit veluti tabula rasa, debet illas consequenter de novo recipere: ergo debet dari aliqua virtus quæ eas ei imprimat & producat: atqui nec objecta externa, nec sensus sive externi sive interni possunt immediatè & propria virtute producere & imprimere intellectui

pati

patibili species illas spirituales & intelligibiles, cum illa sint agentia corporea & subinde improportionata : ergo dari debet in anima alias virtus, quæ eas producat, quæ quidem virtus est id quod appellamus intellectum agentem.

Præmittendum quartò, memoriam intellectivam esse quidem in rationali anima quantum ad hoc munus quod est conservare species rerum anteà cognitarum, non tamen quantum ad istud quod etiam convenit memoriæ sensitivæ, puta recordari præteritorum, ita & taliter quod feratur in præterita tanquam in proprium objectum facultas namque intellectiva, cum intelligat per species ab intellectu agente receptas, ut vidimus, fertur consequenter per se primo in naturas universales, quæ quidem abstrahunt ab omni tempore, nec subsunt secundum se præteritioni aut futuritioni. *De memoria intellectiva.*

Ex quo sequitur memoriam intellectivam non esse realiter distinctam ab intellectu patibili, cum non habeat objectum in quod feratur per se primò, distinctum & diversum ab objecto intellectus patibilis. Similiter intellectus speculativus & practicus, tum ratio superior & inferior non sunt diversæ realiter facultates, sed una & eadem potentia intellectiva, quæ dicitur intellectus speculativus, quatenus versatur circa objectum mere speculabile ; practicus vero prout respicit objectum operabile, & principia tendentia ad praxim. Item dicitur ratio superior, quatenus in agendis respicit rationes æternas & motiva altiora ; inferior verò quatenus respicit motiva inferiora & rationes temporales ; quæ omnia conveniunt in una ratione intelligibili, seu objecti formalis intellectus, quod naturaliter tantum dividitur in speculabile & operabile. & istud simpliciter in agibile conformiter ad rationes æternas aut temporales. Quantum autem ad id quod spectat ad conscientiam. *De intellectu speculativo & practico.*

Præmittendum quinto, ex D. Thoma, 1. *p. quæst.* 79. *art.* 13. dupliciter sumi nomen conscientiæ ; ac primo quidem pro naturali habitu primorum principiorum moralium, quem propriè vocant synderesim. Secundo verò pro actu illius habitus per quem judicatur, hoc esse vel faciendum vel non faciendum ; atque iste quidem actus propriè dicitur conscientia, quasi scientia cum alio, seu applicatio scientiæ ad aliud, quod judicatur faciendum aut non faciendum. Ita cum universaliter hunc in modum sentio. *Quicunque agit impiè, est pœna dignus* : istud proficiscitur ex habitu naturali, quam synderesim nominavimus. Tum ubi subditur : *atqui egi impiè* : *ergo sum* *De conscientia*

pœna

pœna dignus. Isti sunt actus conscientiæ; quæ propterea pertinet & reducitur ad intellectum: siquidem illi actus conscientiæ, non sunt alii quam intellectus, ut per se patet.

Notandum autem est, ex actibus conscientiæ alios esse antecedentes actum voluntatis, nempe cum judicatur opus esse vel faciendum vel non faciendum. Alios autem esse consequentes, quibus judicatur rem esse vel bene vel malè gestam; unde & conscientia dicitur vel consolari, vel testari & justificare, aut accusare, remordere &c. Sequiturque inde connaturaliter timor; eo quod ipso naturæ lumine certo nobis constet, nullum scelus admitti, cui pœna à Deo non paretur.

De voluntate ejusque objecto, modo agendi & libertate.

Præmittendum sextò, & ultimo voluntatem; quæ propriè sumpta est altera animæ rationalis facultas, esse & definiri posse potentiam naturæ intellectualis per quam appetit bonum, malumque refugit, prout ab intellectu repræsentatum. Ideoque vocari solet appetitus rationalis, quia operatur tantum consequenter ad eam objecti repræsentationem quæ fit per intellectum seu rationem: quomodo is, qui dicitur appetitus sensitivus operatur consequenter ad imaginationem. Atque ut appetitus sensitivi actus sunt amor, desiderium, spes, gaudium seu delectatio, odium, fuga, timor, tristitia seu dolor, audacia, ira & desperatio vel circa bonum vel circa malum sensitivum: Ita per proportionem voluntas suas habet ejusmodi volitiones & effectus vel circa bonum vel circa malum quodlibet, sive materiale, sive physicum sive morale: Hæc enim utpote immaterialis potentia, est etiam potentia universalis ad omne appetibile, nullumque est genus boni cujus non sit capax.

Est autem motus voluntatis aut modus agendi veluti contrarius motui aut modo agendi intellectus. Siquidem intellectus res cognitas ad sese quasi pertrahit, easque reddit immateriales; quatenus res eæ, quæ ab intellectu creato cognoscuntur, in ipso debent existere per speciem sui intentionalem: quo pacto etiam intellectus vulgo dicitur fieri intentionaliter omnia, cum objectorum omnium similitudines in se recipiat. At voluntas econtra se habet. Nam fertur ad objecta & veluti sese transformat in ea quæ diligit; unde profluxit illud proverbium: anima ibi est potius ubi animat, quam ubi amat. Porro proprium voluntatis est, esse libera, ea scilicet libertate, unde se se pro libito ad alterutrum cum electione determinet ad modum tamen secundi determinantis & secundi liberi, subindeque & dependenter à determinatione prævia primi liberi. In eo si-

qui-

quidem differat à causis non voluntariis, quæ agunt, non se se determinando, sed potius de se ad unum determinatæ.

Notandum tamen est, voluntatem interdum agere ut naturam, seu ex solâ inclinatione naturæ ad bonum, aut aversione à malo, sine ulla electione, ut in motibus primò primis. Notabis insuper, tunc agere tantum ut liberam, seu ex libertate requisitâ ad meritum aut ad demeritum, quando objectum repræsentatur sub ratione aliqua, virtualiter saltem multiplici, unde illud voluntas possit vel sequi vel respuere. Eamque maximam ob causam bruta animantia carent libero arbitrio, eo quod imaginationem habeant ad unum duntaxat repræsentandum determinatam, ac proinde locum electioni non relinquant. Quamobrem sic vulgò ajunt libertatem quæ formaliter sumpta reperitur solum in voluntate, existere tamen radicaliter in intellectu, eo quod sublata tali conditione seu repræsentatione objecti sub illa ratione multiplici, libertas indifferentiæ nulla foret. His ergo præmissis tanquam certis jam pro quorundam resolutione, quæ de anima rationali disputari solent, sit

QUÆSTIUNCULA I.

Utrum una anima sit vel esse possit intra eandem speciem substantialiter perfectior altera.

Respondeo affirmativè, quod sic probo. Perfectio quæ est de linea individuationis animæ est perfectio substantialis: sed una anima rationalis est, vel esse potest individualiter perfectior altera, seu perfectior perfectione pertinente ad lineam individuationis: ergo esse potest anima rationalis substantialiter perfectior altera intra eandem speciem. *Major* est certissima, individuum enim subindeque & individuatio substantiæ, qualis est anima, est de genere & prædicamento substantiæ etiam ut individuum est, cum sit basis lineæ prædicamentalis, proindeque perfectio quæ est intra lineam individuationis animæ, non potest non esse substantialis. *Probatur minor*: quod est perfectius in eo, per quod individualiter distinguitur, subindeque & constituitur, est perfectius perfectione spectante ad lineam individuationis; sed anima una rationalis est vel esse potest perfectior altera secundum id per quod individualiter distinguitur ab altera: ergo & esse potest perfectior altera perfectione spectante ad lineam individuationis. *Major* constat ex terminis. *Probatur minor*, non distinguuntur individualiter animæ nisi per esse hujus & illius corporis organici; ut ostensum fuit in

tomo 1 etaphysicæ in quæstione de immultiplicabilitate angelorum intra eandem speciem; sed quantum ad hoc quod est esse hujus & illius corporis organici, potest una anima esse altera perfectior; cum sit vel esse possit hoc corpus perfectiori modo organizatum quam alterum: ergo potest una anima rationalis esse perfectior altera perfectione spectante ad lineam individuationis, seu perfectione individuali, subindeque & perfectione substantiali intra eandem speciem.

Dices: substantia non suscipit magis & minus: ergo perfectio substantialis animæ consistit in indivisibili: sed si esset substantialiter perfectior altera, divisibilis esset ejus perfectio substantialis: ergo non potest una anima esse substantialiter perfectior altera.

Respondeo, distinguendo consequens: ergo perfectio substantialis animæ consistit in indivisibili, in hoc sensu, ut non possit modo majus modo minus esse perfecta substantialiter: Concedo: in hoc enim sensu verificatur dictum illud de substantia, quod non suscipit magis & minus: consistit perfectio substantialis animæ in indivisibili, loquendo ut loquimur in diversis animabus, ita quod una non possit esse substantialiter perfectior altera. Nego. Etenim perfectio substantialis individualis animæ est transcendentaliter respectiva ad aliquid, puta ad corpus organicum, quod quidem esse potest perfectius alterο, ad quod altera anima est transcendentaliter respectiva, ac proinde non mirum quod inde dicatur una anima esse individualiter substantialiter perfectior altera; quamvis non possit esse perfectior alterâ quantum ad perfectionem specificam & essentialem, utpote quæ ita & taliter consistit in indivisibili, ut quocumque dempto vel addito, varietur species, eo quod scilicet illud omne quod addi potest, vel adimi à perfectione speciei est essentiale quid, utpote quæ non constat, nisi ex essentialibus.

QUÆSTIUNCULA. II.

Utrum intellectus agens & intellectus patibilis sint distinctæ realiter potentiæ.

Respondeo, affirmativè quod sic probo; hoc ipso quod actus elicitus ab intellectu agente esse non potest elicitus ab intellectu possibili, debent intellectus agens & possibilis esse distinctæ realiter potentiæ: sed actus qui tribuitur intellectui agenti esse non potest elicitus ab intellectu possibili, etiam absolutè loquendo: ergo non possunt intellectus agens & intellectus

ctus possibilis non distingui realiter. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*, actus intellectus agentis est actus factivus specierum & non cognoscitivus: sed actus factivus specierum & non cognoscitivus elici nequit ab intellectu possibili, qui est essentialiter potentia cognoscitiva: ergo actus qui tribuitur intellectui agenti esse non potest elicitus ab intellectu possibili. *Probatur minor*, non potest actus non cognoscitivus elici à potentia cognoscitiva, nisi detur aliqua communis ratio sub qua conveniat cum actu cognoscitivo, & à qua specificetur unica illa potentia illos eliciens: sed actus faciens species sine cognitione, & actus cognoscitivus per species convenire nequeunt in aliqua ratione communi constituente & specificante unam potentiam, sed potius sunt rationes ita distantes & diversæ, quod ex se sufficiant fundare distinctas potentias, ut patet in sensu cognoscente & virtute emittente species ab objecto, seu faciente illas sine cognitione: ergo actus factivus specierum qui tribuitur intellectui agenti, non potest esse elicitus ab intellectu possibili.

Dices primò, ideo ergo distingui debet intellectus possibilis ab intellectu agente, quia non habet posse formare species ad cognoscendum: sed falsum est, quod non habeat intellectus possibilis vim formandi species; cum ex speciebus præconceptis alias aliquando formet species: ergo non propterea distingui debet intellectus possibilis ab intellectu agente.

Respondeo negando minorem, si nimirum sermo sit de actu formante species sine cognitione, seu formante primas species intelligibiles, qualis est actus qui tribuitur intellectui agenti. Talem namque actum non potest intellectus possibilis elicere utpote qui cum sit potentia essentialiter cognoscitiva non potest elicere actum qui non sit cognitio, sicut nec potest potentia visiva elicere actum qui non sit visio; proindeq; ad talem formandum actũ admitti debet alia potentia quæ cognoscitiva non sit.

Neque contrariũ probat illud, quod additur in probationem minoris, puta quod intellectus possibilis aliquando ex speciebus præconceptis alias etiam format species; tales siquidem species format cognoscendo & componendo, atque ita non est par ratio de illo alio actu qui primas format species intelligibiles, & consequenter sine cognitione.

Quæres quomodo se habeant ad invicem illa tria, puta intellectio, dictio, & verbum mentis seu species expressa.

Respondeo ita & taliter se habere, quod dictio seu expressio verbi non sit actio distincta ab intellectione; sint tamen & dictio seu intellectio aliud realiter à verbo seu specie expressa.

Ratio primi est, quia actio qua formatur & exprimitur verbum seu species expressa est operatio intellectus possibilis, cum sit actio intellectus jam fœcundati & informati specie impressa; proindeque cum omnis actio intellectus possibilis, qui est potentia essentialiter cognoscitiva, sit cognitio seu intellectio, debet consequenter dictio illa esse intellectio, ita quod una & eadem sit ratio qua objectum intelligo, & qua formo speciem expressam ejus, in qua immediate & ea mediante in ipsò illud percipio. Quod autem dictio seu intellectio realiter distinguatur à verbo illo seu specie expressa, potest ex eo colligi; quod verbum illud debet esse procedens quid per intelligere tanquam imago expressa per actum exprimentem: quod ex eo patet, quod alioquin non possemus ex nostro verbo mentali colligere & explicare processionem verbi divini per intellectionem, ut communiter faciunt Patres & Theologi. Neque contrarium probat, quod dicunt aliqui, puta quod intellectio ut talis est manifestativa objecti: ut verbum dicitur communiter notitia: intellectio namque manifestat solum operando & cognoscendo, proindeque non manifestat tanquam similitudo ut verbum quod manifestat repræsentando: Ita verbum, dum dicitur notitia, dicitur solum terminativè seu per modum termini in quo fit notitia objecti, non autem formaliter & per modum operationis, sicut intellectio.

Et hæc de naturali philosophiâ dicta sufficiant, quæ etiam huic nostro cursui philosophico finem imponent; cum moralem philosophiam nec possimus juxta nobis propositam servandam methodum exponere, quin philosophiæ lineas ac terminos prætervolantes, alienos, ut ajunt, (Theologiæ scilicet) agros colamus; nec de ea solum per transennam & quasi solum à limine salutando debeamus pertractare, nisi velimus & à præfato operis scopo deviare; & maximè cum celebriores quæ in ea agitantur quæstiones tractaturi simus in compendio controversiarum celebriorum totius Theologiæ, quod speramus typis mandare; nisi fortè adaperiat Deus oculos cordis ad utilia imposterum perscrutanda, non subtilia.

Cæterùm si quid in hoc nostro cursu erratum deprehenderis, amice Lector, memento quæso, quod errorem correxit Deus, nec extinxit errantes. Sic & tu, mi Lector, vel errorem benigne corrige, vel nos mone paratos corrigere ubicumq; deprehendemur erraſſe. Interim hoc philosophico cursu sic utere, ut ex utendi intentione tibi possit viam sternere ad bravium; & si signum censes, vel unico ad Deum suspirio, bene preceris Auctori.

FINIS.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE
INF 0005420

509

Digitized by Google

Digitized by Google